





FRATRIS SALVATORIS MARIÆ

ROSELLI,

S. THEOL. MAGIST. ORDINIS PRÆDICATOR.

SUMMA PHILOSOPHICA

AD MENTEM ANGELICI DOCTORIS

S. THOMÆ AQUINATIS.

PARS PRIMA

LOGICAM COMPLECTENS.

Tom. I.

BIBLIOTECA DE LA RESIDENCIA
VALLADOLID
R 15353



MATRITI.
TYPIS BENEDICTI CANO.
M.DCC.LXXXVIII.

Josef.ª Ximeno inv. et sculp.

83/2
1800
Tomo

EXC.MO AC ILL.MO

D. D. FRANCISCO ANTONIO

DE LORENZANA,

ARCHIEPISCOPO TOLETANO,

HISPANIARUM PRIMATI,

&c. &c. &c.

EXC.ME DOMINE.

QUemadmodùm *ardentissimo desiderio, quo me Patriæ utilitati devovi, progressuique litterarum emolumento esse curavi, pluries stimulatus, à mea typographica Officina procul abesse jussi opera illa, quæ magis oneri, quàm honori*

Reipublicæ Litterariæ, cordatiorum hominum judicio, esse cognovi: sic naturali veluti quadam propensione ad publicationem illorum librorum rapiebar, quos veri eruditi plausibus excipiunt, boni quærunt, & sitibundo corde sapientiæ studiosi appetunt. Hujusmodi sunt opera Philosophica R. P. Fr. Salvatoris Maria Roselli. *Cum primum fœlici omine, opus hoc Hispaniæ innotuit, ultroneis, avidisque ulnis acutiora ingenia illud exceperunt, oculis perlustrarunt, sensu rimarunt, & quid non invenerunt? Ibi abdita quæque naturæ luce clariora viderunt, ibi abstrusa rerum naturalium prin-*

cipia in propatulo posita cognoverunt, ibi quàm apta convenientia inter res fidei naturæque sit, perceperunt, ibi quidquid novi à recentioribus observatum est, & fortassè malo genio in Religionis detrimentum propugnatum, humilitèr Religioni servire mirati sunt, ibi utile dulci mixtum conspexerunt. Verbo dicam, Philosophiam veritatis pedissequam, omnibusque numeris absolutam, quam tot retro sæculis quæsierant, invenerunt. At quamvis hujusmodi elogia mihi pergrata, jucundaque vel maximè essent, animus tamen hærebat, nec ad denuo cudendum opus excitabatur, donec certissimé innotuit,

quod Tu, Exc.me Domine, post-
quam illud præ cæteris suspexis-
ses, ubique ejus meritum extol-
leres, styli elegantiam, rerum de-
lectum, dispositionemque, & uti-
litatem, quæ ex ejus lectione per-
cipi potest, deprædicares. Acta
res fuit, tamque læto nuntio pro-
tinus me accinxi, ut novæ edi-
tionis laborem susciperem, ratus
hunc viros eruditos esse compro-
baturos, cum illis daretur copia
illorum librorum, qui & tam ar-
dentèr desiderati fuerant, & cum
magno sapientum dolore, verita-
tisque detrimento in eorum avi-
das manus nondum potuerant per-
venire. Sed cum opus, cujuscum-
que pretii illud sit, ni velit, aut

invidia perire, aut detractorum calumniis obrui, in publicam lucem sine Mœcenate prodire nequeat, cujus nisi tuam, Exc.me Domine, protectionem exquirerem? Si enim judicium à te de hoc opere prolatum me olim ancipitem ad ejus editionem properare fecit, quidni crederem, quod nomen tuum in fronte inscriptum efficeret, ut ab omnibus Roselli *benè audiret? Infatigabile studium tuum in legendo optimæ classis Philosophos, exactissima crisis, quæ uti à viro emunctæ naris profecta plurimi apud sapientes sempèr est habita, intimus sensus, quo sententias illorum ad trutinam veritatis revo-*

cando, quid vulgare, quidvè in pretio habendum, discernere ac judicare es solitus, hujusmodi opus absdubio commendatissimum faceret, cum omnibus innotesceret à te præaliis electum, dilectumque esse. Hi ipsi qui audito Philosophiæ novæ nomine inhorrescunt, pavidique timent, ne, sicut luctuosissimo fato in dies singulos contra Christianam Religionem opera hujusmodi à libertinis sparguntur, quidquam simile in hoc nostro opere inveniatur, fronte serena illud amplectentur, cum viderint hanc Philosophiam protegi sub umbra illius Præsulis, qui & veritatis lucidus amator, & Religionis studiosissimus sectator, ac, ne cætera dicam,

in editione operum SS. PP. Toletanorum, de fide, de eruditione, de Republica Litteraria, de Hispania ipsa optimè meritus, ob idque à Sede Apostolica iterum iterumque commendatissimus, optimè testatur, nihil se prius cordi habere, quam ut sapientiam antiquorum, uti verè sapiens, exquirat, & profanas vocum novitates ut fidelium Doctor, devitet. Superest ergo, Exc.^me Domine, ut hoc qualecumque sit meum obsequium dignatione tua acceptes, sicque Hispaniæ nostræ fœlicitatem compleas. Complere te fœlicitatem Hispaniæ volui, nec sine causa. Jam enim ex te fœlicem se esse lætatur. Si enim juxta Pla-

tonis sententiam beata censetur Respublica, cujus Rectores operam sapientiæ dare contigerit, *meritò fœlix*, *beataque censenda Hispania erit*, *cum te*, *quem* Primatem *habet*, *& dum in minoribus esses*, *clientem sapientiæ vidit*, *& ad dignitatis amplissimæ apicem evectum*, *sapientiæ ejusdem protectorem*, *propagatorem*, *ac sapientium omnium Mœcenatem admirata est. Vale ergo*, *& è fastigio illo*, *quod tanta cum tui nominis gloria tenes*, *me respice*, *me fovere perge ea humanitate*, *qua benevolentia. Sic optat*

TIBI, EXC.me AC ILL.me DOMINE,

Addictissimus, & obsequentissimus

BENEDICTUS CANO.

NOS FR. JOANNES THOMAS

TIT. S. XYSTI

S. R. E. PRESB. CARDINALIS

DE BOXADORS

Universi Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

Harum serie, nostrique auctoritate Officii licentiam concedimus, quantum in nobis est, R. A. P. M. Fr. Salvatori Mariæ Roselli, Provinciæ nostræ Regni, Provinciæ Scotiæ Provinciali, & pro Provinciis utriusque Siciliæ Socio nostro, typis edendi *Summam Philosophicam* ad mentem S. Thomæ Aquinatis à se elaboratam : dummodo à duobus ejusdem Ordinis nostri S. Theologiæ Professoribus probetur, & serventur cætera de jure servanda. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ supra Minervam die 26. Martii Ann. 1777.

Fr. Joannes Thomas Card. de Boxadors,
Magister Ordinis.

Reg. p. 34.

Fr. Dominicus Vincentius Maria Bertucci,
Magister Provincialis Daciæ, & Socius.

Jussu Eminentis., ac Reverendis. D. D. S. R. E. Presbyt. Cardinalis Fr. Joan. Thomæ de Boxadors, totius Ord. Præd. Mag. Generalis, diligenter legi opus philosophicum, cui titulus: *Fr. Salvatoris Mariæ Roselli, Ord. Præd. Summa Philosophica &c.* Legendo autem reperi in re quavis in eo sive refellenda, sive statuenda, nedum quidpiam non esse à recta judicii ratione alienum; Virum quinimo novi singulare à Natura sortitum ingenium; Dialecticum accuratissimum, omni Philosophicæ eruditionis genere refertum; Collectis enim recentiorum Philosophorum placitis, ea fideliter refert, intime scrutatur, & quantum à recta philosophandi ratione distent, invictis rationibus demonstrat; quæ autem à veri nominis Philosopho statuenda, retinenda, propugnandaque sunt, ineluctabili pariter ratiocinatione proponit, ostendit, atque tuetur. Idipsum itaque opus censeo, si typis publicetur, maximæ utilitati, & commodo iis omnibus futurum, qui intentum animum ad Philosophiæ studium adjungere voluerint.

Romæ in Ædibus S. Mariæ super Minervam IX. Kalend. April. MDCCLXXVII.

Fr. Hyac. Maria Bonfilius, Ord. Præd. S. Theol. Mag. Cathedr. Casanatensis.

Jussu Eminentissimi Domini, Patris Reverendissimi Joannis Thomæ de Boxadors S. R. E. Presbyteri Cardinalis, ac totius Ord. Præd. Magistri Generalis, diligenter perlegi *Summam Philosophiæ* ab Ad. R. P. M. Salvatore Maria Roselli S. Theol. Doctore, Scotiæ Provinciali, prælaudati Eminentissimi Domini, Patris Reverendissimi, pro Neapolitanis Provinciis Socio, erudite concinnatam in salutarem usum studiosæ juventutis, ac munimen contra plerosque Philosophiæ tractatores philologos, qui Sophiam ab Sacrarum Scientiarum ancillatu, ad arbitraria, prout affectant, traducunt, noxiisque infarciunt scitamentis quibus perversa sua sensa diffundant, instilentque incautis: in horum subsidium Eximius auctor SOLI Angelico D. THOMÆ AQUINATI tenaciter inhærens, avitam philosophiæ facem reaccendit; nonnullas quæstiones; velut pedanticas ab aliis expunctas suæ utilitati restituit textu brevi, claro, & firmo, perdoctis annotationibus taliter illustrato, ut, meo saltem judicio, opus hoc magno futurum sit Lectoribus emolumento, si publico donetur.

Dabam Romæ in Collegio Casanatensi 6. Novemb. 1776.

Fr. Eustachius Bous, Magister Theologus Casanat.

Reverendissimi P. Thomæ Augustini Ricchinii, S. A. P. Magistri mandatis obtemperans, Opus titulo insignitum *Fr. Salvatoris Mariæ Roselli, Ordinis Prædicatorum Summa Philosophica ad mentem Angelici &c.* ea qua par est attentione perlegi, illudque nihil seu Catholicæ fidei adversum, seu à recta morum regula devium exhibere deprehendi: & quamquam Eclecticæ ipse philosophandi rationi, quæ Clariss. Auctori minus arridet ex animo sim addictus, nihilo tamen minus diffiteri nequaquam possum, me nedum elegantem stili perspicuitatem rerumque ordinem, quo Opus adornavit suum, omnigenaque eruditione, ac doctrina ditavit, demiratum esse, verum & illud commendatione dignum, quo non secus ac Angelicus Doctor, quem sibi in normam, Ætyponque proposuit, institutiones suas ita pro locorum opportunitate Theologicis Theorematibus adserendis, confirmandisque accommodat, applicatque, iisque, appositissimis passim exemplis ita Philosophiæ Candidatos instruit, ac informat, ut jam exinde practica exercitatione excolantur apprime ad Sacra dogmata (præcipuus quod esse debuerit Ecclesiæ Alumnis Philosophici studii finis, ac scopus) cum oppido illustranda, tum adversus Acatholicorum Sophismata protegenda. Sane Auctor ea, quæ adversus receptiorem, florentissima hac nostra ætate, Philosophiam, ex Peripatismo depromit, aptiori, quotamdecumque fieri potest modo promovere, atque excitare conatur: in iis vero, in quibus vel constabiliendis, vel convellendis saniorem Recentium Philosophorum censum minime adversum habet, accuratissimus est, remque omnem numeris absolvit omnibus, præsertim quum absurda quædam placita nuperi unius alteriusque Philosophi, quem sola dixerim temporis Epocha, minime vero constans, rectusque principiorum usus iis, qui Recentiores vulgo dicuntur adscribit, censoria virga carpit, perstringit, refellitque. Atque hoc potissimum haud minimi quidem pendendo nomine utile fore autumo, si prælo excesum opus publicæ lucis usura fruatur.

Romæ die 29. Septembris Anno 1776.

Fr. Josephus Maria Nicolai à Jesu, Augustin. Excalc.
Sac. Rit. Congr. Consultor.

Mirari quis forte poterit, quod dum Italorum Scriptorum ingenia in libertatem philosophicam se vindicare satagunt, abjectisque servitutis scholasticæ vinculis, & auctoritatis, ut ajunt, præjudiciis novam sibi philosophandi viam seligunt, quam Eclecticam vocant, id est liberam per singulas sectas sparsarum veritatum electionem, Reverendissimus P. Magister Salvator Maria Roselli Ordinis Prædicatorum S. Thomæ Aquinatis philosophiæ nomen dare non dubitet, & ab humo tollendam & sublevandam Peripateticam philosophiam non solum manus opitulatrices porrigat, verum etiam pristinum honorem eidem restituere honestissima emulatione contendat. Quantum in laudatissimo hoc conamine Clarissimus Auctor profecerit, quantumque ei Minerva arriserit mearum partium non est suffragium interponere & simbolam conferre. Illud absque veritatis dispendio tacere nequeo perlegenti mihi de mandato Reverendissimi P. Thomæ Augustini Ricchini, S. A. P. Magistri opus inscriptum *Fr. Salvatoris Mariæ Roselli, S. Theol. Magistri O. P. Summa Philosophica ad mentem Angelici &c.* Admirationem excivisse argumentorum pondus, doctrinæ copiam, subactum judicium, atque uberrimas illas eruditionis gazas, quibus circumfluit & ut ita dicam nobilitatur. In Logicis Institutionibus tradendis nihil apparet, quod barbaries scholastica dehonestet, atque illæ eædem loquendi formulæ, quas tantopere Recentiores fastidiunt, squalidum & pannosum habitum deponunt comptiores redditæ auctoritatibus piscorum Ecclesiæ Patrum, & eorumdem loquela consecratæ. In serie Theorematum texenda presso pede relegens Angelici Doctoris vestigia ea omnia ad Sacra Dogmata adserenda & confirmanda, tamquan rivos in alveum, ordinatim deducit. Scepticorum, Atheorum, Theistarum, & Incredulorum nostri ævi conscripta volumina venatici canis ritu diligenti indagine cingit, atque eorum graves & pestilentes errores adhibitis accuratis ratiociniis revincit. Opus itaque istud, non solum ad amussim Dogmatum Catholicæ Fidei proborumque morum rite exactum prælo dignissimum censeo; verum etiam tamquam exemplar absolutissimum & præstantissimum Christianæ Philosophiæ Candidatis omnibus proponere non dubito.

Romæ die 2. Aprilis Ann. 1777.

Fr. Eliseus à Conceptione, Italicæ Congregationis Carmelit. Discalceat. Procurat. Gener.

LISTA

DE LOS SUBSCRIPTORES A ESTA OBRA.

El Excmo. é Illmo. Sr. D. Francisco Antonio de Lorenzana, Arzobispo de Toledo, por veinte y cinco exemplares de toda la obra.
El Excmo. é Illmo. Sr. D. Agustin Rubin de Ceballos, Obispo de Jaen é Inquisidor general, por toda la obra.
El Illmo. Sr. Obispo de Leon D. Cayetano Antonio Quadrillero, por toda la obra.
El Illmo. Sr. Obispo de Tuy D. Domingo Fernandez de Angulo, por toda la obra.
El Illmo. Sr. D. Francisco de Beyan, Obispo de Vique, por toda la obra.
El Illmo. Sr. Obispo de Plasencia D. Joseph Gonzalez Laso, por toda la obra, y un juego en marquilla.
El Illmo. Sr. D. Fr. Rafael Lasala, Obispo de Solsona, por toda la obra.
El Illmo. Sr. Abad de Alcalá la Real, por toda la obra.
El Illmo. Sr. D. Manuel Ferrer y Figueredo, Arzobispo Obispo de Málaga, por dos exemplares de toda la obra.
El Illmo. Sr. Obispo de Lugo D. Felipe Pelaez Caunedo, por toda la obra.
El Sr. Marques de Ayerbe, por tres juegos de toda la obra.
El Rmo. P. Fr. Manuel María Truxillo, Comisario General de Indias, del Orden de S. Francisco, por toda la obra.
El Sr. D. Leonardo Stuk, Cónsul general de Holanda en Alicante, por el tomo primero y segundo.
El Rmo. P. M. Fr. Joseph de Poveda, del Consejo de la Suprema, por los dos tomos primeros de 6 juegos.
El Sr. D. Juan Matías Ascarate, Ministro del Consejo de Castilla, por toda la obra.
El R. P. Fr. Vicente Dutari, por toda la obra.
El Dr. D. Domingo Dutari, por toda la obra.
El R. P. Fr. Antonio Yurami, Presbítero, Calificador del Sto. Tribunal y Maestro de Estudiantes en Sto. Tomas de esta Corte, por toda la obra.
El R. P. Fr. Francisco Gomez, Lector de Teología en Sto Tomas, por toda la obra.
El R. P. Fr. Ramon Guerrero, Lector de Teología en dicho Convento, por toda la obra.
El R. P. Fr. Raymundo Martinez, Lector de Artes en dicho Convento, por toda la obra.
El R. P. Fr. Antonio Algora, Predicador mayor y Bibliotecario en S. Francisco el Grande, por toda la obra.
El Dr. D. Juan Julian Caparros, Capellan mayor del Convento de Religiosas de Sta. María Magdalena, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Sebastian de Valverde, Procurador general de la Provincia del Santísimo Rosario de Filipinas, por seis juegos del tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Joseph Diaz, Comendador de la Merced de Toledo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Juan Antonio Fernandez, Mercenario Calzado, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Francisco Zerdeyra, del Convento de Sto. Tomas de esta Corte por un juego de toda la obra.
El R. P. Fr. Manuel Ortiz, Maestro de Novicios del Convento de Sto. Tomas de Madrid, por quatro juegos de toda la obra.
El P. Fr. Antonio Panadero, Dominico, en el Convento del Rosario, por un juego de toda la obra.
El Sr. D. Juan Vimercati, Presbítero, por los dos tomos primeros.
El Sr. D. Iguacio Xara y Alvarez, Teniente mayor de S. Justo y Pastor de esta Corte, por toda la obra.
El Sr. D. Francisco García Angulo, por toda la obra.
El Licenciado D. Joseph Bringas, Cura de Mejorada de Madrid, por toda la obra.
El R. P. Fr. Juan Peña, Dominico, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph de Miranda, primer Agente de Indias titulado por S. M. por toda la obra.
El Sr. D. Antonio Romero, Agente-Fiscal, del Consejo y Cámara de Indias, por el tomo primero y segundo.

El R. P. Fr. Pedro Alcántara de los Dolores, Mercenario Descalzo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Antonio de Prado, del Convento de Sto. Tomas de esta Corte, por toda la obra.
El Sr. D. Miguel de Quevedo, Cura de Palacio, por toda la obra.
El Sr. D. Felipe Antonio Sainz Prado, Rector del Colegio de los Verdes de Alcalá, por toda la obra.
La Biblioteca del Colegio de Sta. Catalina Mártyr, del Colegio de los Verdes de Alcalá, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Miguel Acero, Carmelita Calzado, y Catedrático de Teología de la Universidad de Alcalá, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Prudencio de Villar, por toda la obra.
El Sr. D. Francisco Bujanda, Doctoral de la Catedral de Jaen, por toda la obra.
El Sr. D. Manuel Martinez Gil, Cura de Casarrubios del Monte, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Miguel de Ignarra, Presbítero, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Santiago Vicente del Barrio, por toda la obra.
La Biblioteca de la Merced Calzada de Madrid, por toda la obra.
El P. D. Ignacio Dominguez, Premonstratense, por toda la obra.
El Sr. D. Tomas Sanchez de Ocaña, Cura mas antiguo de la Iglesia mayor Prioral del Puerto de Sta. María, por toda la obra.
El Sr. D. Pedro Francos Bustillo, Canónigo Dignidad de la Sta. Iglesia de Oviedo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Urbano de los Arcos, Capuchino en S. Antonio del Prado de esta Corte, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Andres de la Ascension, General de Carmelitas Descalzos, por toda la obra.
El R. P. Fr. Pablo de la Virgen María, Lector de Filosofia de Carmelitas Descalzos de Budia, por toda la obra.
El R. P. Fr. Nicolas García Luengo, Lector de Teología y Corrector de Mínimos en Santa Ana de Alcalá de Henares, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Veradiez, vecino de Atienza, por toda la obra.
El Sr. D. Alexo Ximenez de Castro, del Consejo de la Suprema Inquisicion, por toda la obra.
El Sr. D. Juan de Murcia, Abogado de los Reales Consejos, por toda la obra.
El Sr. D. Segismundo Pou, Presbítero de Barcelona, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Martin Luxan, Dominico, por toda la obra.
El Rmo. P. Fr. Joseph Gonzalez, Provincial del Orden de Mínimos en Sevilla, por toda la obra.
El Rmo. P. Fr. Jayme Serrano, Lector jubilado, Ex-Cólega del Orden de Mínimos, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Joseph Uria, en el Convento de Sto. Domingo de Ciudad Rodrigo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Rafael Ichaso, del Orden de S. Bernardo, por toda la obra.
El Rmo. P. M. Fr. Buenaventura Ordoñez, del Orden de S. Benito, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Ramon Moas, en el Convento de la Merced de Conjo, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Manuel Rodriguez, Prior del Convento de Sto. Tomas de Avila, por dos juegos de toda la obra.
El R. P. M. Fr. Tomas de Montalvan, Prior del Convento de Sto. Tomas de Madrid, por dos juegos de toda la obra.
La Biblioteca del Convento de Trinitarios Descalzos de esta Corte por toda la obra.
El R. P. Fr. Pedro de Sto. Domingo, Capuchino en el Convento de Esquivias, por toda la obra.
La Biblioteca de RR. PP. Capuchinos de Esquivias, por toda la obra.
La Biblioteca pública del Palacio Arzobispal de Valencia, por seis juegos de toda la obra.
La Biblioteca pública del Colegio Seminario Conciliar de S. Bartolomé de Sigüenza por dos juegos de toda la obra.
La Biblioteca pública del Colegio de S. Antonio de Porta-Cœli de la Universidad de Sigüenza, por dos juegos de toda la obra.
El M. R. P. M. Fr. Diego García, del Orden de S. Bernardo, por toda la obra.
El M. R. P. M. Fr. Gaspar Calvo, del Orden de S. Bernardo, por toda la obra.
El M. R. P. M. Fr. Tomas Gonzalez, del Orden de S. Bernardo, por toda la obra.
El Rmo. P. Provincial de la Merced Calzada, por toda la obra.
El Sr. D. Domingo Hubarte, por toda la obra.
El S. D. Juan de Sta. María, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Berard, por tres juegos de toda la obra.
El Sr. D. Tomas Barrera y Artal, Capellan de S. M. por toda la obra.

El R. P. Fr. Benito Colmenero, Dominico en Sto. Tomas, por quatro juegos de toda la obra.
El R. P. Fr. Juan Laguna, Maestro y Prior del Convento de S. Estevan de Salamanca, Dominico, por cinco juegos de toda la obra.
El R. P. Fr. Francisco Repiso, Maestro de Estudiantes del Convento de Dominicos de S. Estevan de Salamanca, por quatro juegos de toda la obra.
El R. P. M. Fr. Fernando Portillo, Prior del Real Convento de Sto. Domingo de Almería, por el primero y segundo tomo.
La Comunidad de Sto Domingo de Pontevedra, por dos juegos de toda la obra.
El P. M. Fr. Miguel Angulo, por dos juegos de toda la obra.
La Comunidad de Sto. Domingo de la Coruña, por dos juegos de toda la obra.
El Convento de S. Ildefonso el Real de Toro, por toda la obra.
El R. P. Fr. Pasqual Suarez, Dominico, por toda la obra.
El R. P. Fr. Bartolomé Fernandez, Dominico, por toda la obra.
El R. P. Fr. Andres Magariñas, por toda la obra.
El R. P. Fr. Juan Sanchez, Lector de Teología, por toda la obra.
El R. P. Fr. Francisco Martinez, Dominico en Sto. Tomas de Madrid, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Antonio Parreño, Catedrático de Vísperas en Alcalá de Henares, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Antonio Neyra, Cura Párroco de Sta. María de Villaselan y Piñeyra, por toda la obra.
El Convento de S. Joaquin de Zieza de Franciscos Descalzos, por toda la obra.
El Sr. D. Francisco Sartolo, Beneficiado de Zaragoza, por dos juegos de toda la obra.
El R. P. M. Fr. Diego de S. Joseph, Prior de Carmelitas Descalzos de Madrid, por toda la obra.
El R. P. Fr. Santiago García, Benedictino, por toda la obra.
El Sr. D. Juan de Belandia, Oficial tercero de la Contaduría de la Real Orden de Cárlos III, por toda la obra,
El Dr. D. Marcelo Feliz Dorje, Canónigo Magistral de la Sta. Iglesia de Sevilla, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Martinez de Hermosilla, Canónigo de Valencia, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Roa y Fabian, Canónigo de Valencia, por toda la obra.
El Dr. D. Joseph Gonzalez Caso, Cura de la Villa nueva de Castellon en el Arzobispado de Valencia, por toda la obra.
El Sr. D. Joaquin Joseph de Peñalver, Canónigo de Jaen, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Joaquin Ibañez de Sta. Cruz, Arcipreste de la Sta. Iglesia de Málaga, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Francisco Irala de S. Antonio, Agustino Recoleto, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph de Oca, Opositor á Curatos, natural de Villafranca Montes de Oca, por toda la obra.
El Sr. D. Sebastian Duro Velazquez, por toda la obra.
El M. R. P. Lector Fr. Domingo Belloch, Dominico en el Colegio de Tortosa, por toda la obra.
El Dr. D. Joseph Asenjo, del Claustro y Gremio de la Universidad de Alcalá, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Ventura Alvarez, Canónigo Penitenciario en S. Ildefonso, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Joseph Gonzalez, Cura de S. Salvador de la Bañeza, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Angel Gutierrez de Sta. Clara, Capellan en el Real de S. Isidro, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Epifanio Ortiz, Religioso Dominico, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Ruiz Cabañas, Magistral de la Sta. Iglesia de Burgos, por toda la obra.
El Convento de Sta. Cruz de Segobia, del Orden de Predicadores, por quatro juegos de toda la obra.
El R. P. Fr. Manuel Correas, Procurador en las Monjas de Sto. Domingo el Real de esta Corte, por toda la obra.
El Sr. D. Francisco Fernando de Flores, Capellan del Real Monasterio de las Salesas de esta Corte, por toda la obra.
El P. Fr Ildefonso de Armentia, en el Convento del Rosario de Madrid, por toda la obra.
El Dr. D. Joseph Sala, Canónigo de la Colegial de Gandía, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Esteban Ventura de la Puente, Cura Párroco de Camarena, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Vicente Nanclares, Beneficiado en la Villa de Briones, Obispado de Calahorra, por el tomo primero y segundo.

El Sr. D. Isidro de Villodas, Beneficiado de la Villa de Briones en Calahorra, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Joseph Moreno, Oficial mayor de la Contaduría de Distribucion de la Real Hacienda, por toda la obra.
El Sr. D. Lorenzo Ignacio de Rio Estrada, Dignidad de Chantre en la Catedral de Sevilla, por toda la obra.
El Sr. D. Joaquin Lopez Conesa, natural de Sevilla, por toda la obra.
El Dr. D. Juan Ramon de Ricarte, Canónigo de la Catedral de Cuenca, por toda la obra.
El Sr. D. Francisco Almonacid, Canónigo de Salamanca, por dos juegos de toda la obra.
El R. P. Lector Fr. Antonio de la Cruz, Rector de Mercenarios Descalzos de Alcalá, por toda la obra.
El R. P. Lector Fr. Antonio de la SS. Trinidad, Calificador del Sto. Oficio, Mercenario Descalzo de Sta. Bárbara, de esta Corte, por toda la obra.
El R. P. Fr. Jacobo Moreyras, del Orden de S. Bernardo, y Abad en su Monasterio de Valde Dios, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Benito Cassin, Benedictino, hijo profeso de la Casa de Sta. María la Real de Náxera, por los dos primeros tomos.
El P. D. Romualdo Ramirez, Administrador de la Casa de S. Anton de esta Corte, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Julian de Llera, vecino de Málaga, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Juan Arteaga, Carmelita calzado, Difinidor mayor de Provincia, y Teólogo de la Nunciatura, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Miguel del Rincon, Carmelita Calzado, y Doctor en Sagrada Teología, por toda la obra.
El R. P. Fr. Juan Ruiz, Benedictino en S. Salvador de Lorezta, por toda la obra.
El R. P. Fr. Miguel Martinez, de Virgala, Dominico, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Joseph Aso, Canónigo de la Sta. Iglesia de Jaca, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Francisco Calcina, Presbítero, Catedrático del Colegio Tridentino de Gerona, por toda la obra.
El R. P. Prior del Convento de Sta. María la Real de Trianos, por dos exemplares de toda la obra.
El R. P. Fr. Santos Piornedo, Maestro de Novicios en el Convento de S. Pablo de Valladolid, por dos juegos de toda la obra.
El R. P. Fr. Ramon Gomez, Dominico en el Convento de la Ciudad de Almagro, por toda la obra.
El Sr. D. Tomas de la Fuente, Cura de Castilfrio, en el Obispado de Osma, por toda la obra.
La Biblioteca de S. Martin de Santiago, por toda la obra.
El Sr. D. Gregorio Bañares, por toda la obra.
El Sr. D. Rafael de Oseñalde, Cura Párroco de Loranea en Tajuña, por toda la obra.
El R. P. Prior de Carmelitas Descalzos de Lietor, por dos juegos de toda la obra.
El R. P. Fr. Manuel del Carmelo, Carmelita Descalzo, por toda la obra.
El Convento de Carmelitas Descalzos de Lucena, por toda la obra.
El Sr. D. Martin de Porcuna, vecino de la Ciudad de Ubeda, por los dos tomos primeros.
El R. P. Fr. Manuel Correas, del Orden de Predicadores, Procurador de las Religiosas de Sto. Domingo el Real, por toda la obra.
El P. M. Fr. Joseph Reconco, Catedrático de Oviedo, de Observantes, por toda la obra.
El Sr. D. Bernabé Suarez de Villar, de la Ciudad de Oviedo, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Santiago del Villar, de la Ciudad de Oviedo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Rosendo Gonzalez, Monge Benedictino en su Convento de S. Pedro Montes, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Agustin Romero, Cura de la Parroquial de Pruna, por toda la obra.
El R. P. Prior de Carmelitas Descalzos de Aguilar, por toda la obra.
El R. P. Fr. Salvador de Jesus María, Difinidor general de Carmelitas Descalzos, por toda la obra.
El Sr. D. Matías Barquero de Godoy, Presbítero, por los dos tomos primero y segundo.
El Sr. D. Julian María de Isla Moscoso, por el primero y segundo tomo.
El Sr. D. Manuel Traveso, por toda la obra.
El Dr. D. Martin Joseph de Zeverio, Colegial del Mayor de S. Vicente, y Catedrático de Filosofía de la Universidad de Huesca, por toda la obra.
El Dr. D. Joseph Casamayor, Catedrático de Filosofía de la Universidad de Huesca, por toda la obra.
El Sr. D. Manuel Yela, de Alcalá, por toda la obra.

El Sr. D. Tomas Molero y Borgis, Mayordomo de Fábrica de la Parroquia de Santiago, por los dos tomos primero y segundo.
El Sr. D. Juan Parreño, Abogado de los Reales Consejos, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Benito Carrasco, por quatro exemplares del tomo primero y segundo.
El Sr. D. Salvador Estela, Canónigo de la Catedral de Vique, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Magin Vilella, Canónigo de la Catedral de Vique, por el tomo primero y segundo.
El Bachiller D. Antonio Berrocoso, por toda la obra.
El Dr. D. Manuel Hernandez Alcon, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Joseph Arias de Saavedra, por toda la obra.
El R. P. Fr. Tadeo de Sta. María, Dominico, Lector de Teología en Santillana, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Francisco Mieres, Rector del Colegio de S. Gregorio de Valladolid, por toda la obra.
El R. P. Fr. Gonzalo Mieres, Lector en el Colegio de S. Gregorio de Valladolid, por toda la obra.
El Colegio de S. Gregorio de Valladolid, por toda la obra.
El R. P. Fr. Manuel Rodriguez Puga, Dominico, Lector de Teología de Palencia, por toda la obra.
El P. D. Juan Antonio Merino, Canónigo Reglar Premostratense, por los dos primeros tomos.
El P. D. Miguel Ibarrola, Canónigo Reglar Premostratense, por el tomo primero y segundo.
El P. D. Antonio Martinez de los Rios, Canónigo Reglar Premostratense, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Joseph Garro, Catedrático de Leyes de la Universidad de Zaragoza, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Otondo, Capellan de S. Isidro, por los dos primeros tomos.
El R. P. Fr. Joseph Elias Garcia Carrillo, del Orden de Minimos, por toda la obra.
El R. P. Fr. Lorenzo de la Asuncion, del Convento de Corvan, por toda la obra.
El Colegio mayor del Rosario de la Ciudad de Sta. Fe de Bogotá, por dos juegos de toda la obra.
El Sr. D. Vicente Manuel de Zumelzu, Presbítero, por toda la obra.
El Dr. Mansueto Pasqual, de la Villa de Esparragera, Obispado de Barcelona, por toda la obra.
El Sr. D. Bernardino Bautista, Rector de Valdelinares, por toda la obra.
El Dr. D. Miguel Mareca, Canónigo de la Catedral de Tarazona, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Gonzalez del Rio, Catedrático de la Ciudad de Oviedo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Antonio Lengarán, Religioso Dominico, por toda la obra.
El R. P. Fr. Luis Antonio de Sevilla, Religioso Capuchino en su Convento de Málaga, por toda la obra.
El Sr. D. Joaquin Lopez, Abogado de los Reales Consejos, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Pedro María de Llano, Oficial de la Contaduría general de Distribucion de la Real Hacienda, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Benito de Derqui, vecino de Cádiz, por toda la obra.
El Sr. D. Ignacio Guerrico, vecino de Cádiz, por toda la obra.
El R. P. M. Fr. Pedro Dominguez, Agustino en el Convento de la Ciudad del Puerto de Sta. María, por toda la obra.
El R. P. Fr. Benito Rodriguez, Religioso Dominico, por toda la obra.
El Dr. D. Miguel de la Herran Teran, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Cayetano Hue, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Roman Manzano, por toda la obra.
El R. P. Fr. Francisco Xavier, Procurador general de Recoletos Agustinos, por los dos primeros tomos de dos juegos.
D. Juan Sellent, por veinte y cinco juegos de toda la obra.
Sres. Vazquez, Fidalgo y Compañía, por dos juegos de toda la obra.
El Sr. D. Juan María Gonzalez, Presbitero, por toda la obra.
El R. P. Fr. Alonso Remesal, Predicador general de Dominicos, por toda la obra.
El Sr. D. Martin Ordaz, Cura Párroco de Sta. María de Salome, en la Ciudad de Santiago, por toda la obra.
El Sr. D. Angel Joseph Patiño, Canónigo, Cardenal de la Sta. Iglesia de Santiago, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Agustin Baldivieso, Cura Párroco de Sta. María de Teo, en el Arzobispado de Santiago, por toda la obra.

El


El Sr. D. Domingo Blanco, Presbítero, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Aguado, Cura de Alcovendas, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Manuel Olahondo, del Orden de Predicadores, en el Convento de Carmona, por toda la obra.
El Sr. D. Fernando Xara Quemada, Capellan de Honor de S. M. por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Eulogio Argüelles, Dignidad de Tesorero de la Catedral de Ciudad-Rodrigo, por toda la obra.
La Biblioteca del Monasterio de S. Benito el Real de Valladolid, por toda la obra.
El R. P. Fr. Joaquin Cermeño, Religioso Dominico, por toda la obra.
El Sr. D. Antonio Fernandez, por los dos primeros tomos de quatro juegos.
El Sr. D. Pedro Fulla, por los dos primeros tomos de diez juegos.
El Sr. D. Angel Pozo, Presbítero, por toda la obra.
El R. P. Fr. Benito Martin, Religioso Mínimo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Tadeo Lopez, Religioso Mínimo, por toda la obra.
El P. Jacinto de Figueroa, de los Clérigos Menores del Espíritu Santo, por toda la obra.
El Sr. D. Diego Antonio Galiano, por toda la obra.
El R. P. Fr. Manuel Martinez, Lector del Convento de la Pasion, por cinco juegos de toda la obra.
El Sr. D. Luis Valdelomar, vecino de la Villa de Almagro, por dos juegos de toda la obra.
El Dr. D. Mariano Joseph Saenz, Canónigo de la Real Colegiata de S. Hipólito, de Córdoba, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Jover, Rector del Colegio de S. Miguel de la Ciudad de Orihuela, por el tomo primero y segundo de dos juegos.
El Sr. D. Juan Bellver, Canónigo Penitenciario de la Catedral de Vich, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Domingo Alonso Rodriguez, Cura de Camarma de Esteruelas, por toda la obra.
El Dr. D. Juan Antonio de Montes y Goyri, Presbítero, por toda la obra.
El Dr. D. Juan Vicente Canet, de la Ciudad de Valencia, por toda la obra.
El R. P. Fr. Ventura de S. Joaquin, Carmelita Descalzo, por toda la obra.
El Sr. D. Antonio Ortiz, Cura de la Villa de Montefrio, por toda la obra.
El P. Juan Perez, de los Clérigos Menores, Asistente Provincial en la Casa del Espíritu Santo, por toda la obra.
El Sr. D. Segismundo Pou, Presbítero, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Juan de Cavia, Presbítero, Canónigo Lectoral de Orense en Galicia, por los dos primeros tomos.
El Rmo. P. Fr. Francisco Xavier, Procurador general de Agustinos Recoletos, por tres tomos primeros y tres segundos.
El Mtro. D. Joseph Perez de Viacoba, del Real Monasterio de Piedra de S. Bernardo de Aragon, por el tomo primero y segundo.
El P. M. D. Jayme Jará, Procurador general de la Congregacion Cisterciense de Aragon, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Cayetano Aguado, vecino de Corella, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Joseph Martinez de Torres, Abad de la Colegial de Zafra, por toda la obra.
El Sr. D. Domingo de S. Roman y Texada, vecino de Zafra, por toda la obra.
El Sr. D. Pedro Pablo Sta. María, por seis juegos de toda la obra.
El Sr. D. Joseph Garcia Rubio, Rector del Colegio Conciliar de Ciudad Rodrigo, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph Tormo de Bataller, por toda la obra.
El Sr. D. Antonio Rodriguez, por toda la obra.
El Sr. D. Pedro Joseph de Abril y Mesa, Presbítero, por el tomo primero y segundo.
La Biblioteca del Real Convento de Sta. Catalina Mártyr de Jaen, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Francisco Fernandez, Prior del Real Convento de Sta. Catalina Mártyr de Jaen, por el tomo primero y segundo.
El R. P.Fr. Bartolomé Escalona, Lector de Cano de dicho Real Convento, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Cárlos Santiago, Lector de Prima de dicho Convento, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Salvador de la Torre, Maestro de Estudiantes de dicho Convento, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Felix Muñoz, Lector de Moral de dicho Convento, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Juan de Dios Perez, Lector de Artes en dicho Convento, por el tomo primero y segundo.

El

El R. P. Fr. Tomas Ortiz, Lector de Vísperas de dicho Convento, por el tomo primero y segundo.
El Convento de Sta. Ana del Monte de Jumilla, por toda la obra.
El Sr. D. Jacinto Joseph de Cabrera, Presbítero, Secretario de Cámara del Illmo. Sr. Arzobispo Obispo de Málaga, por toda la obra.
El Dr. D. Joseph de Soria, Catedrático de Teología de la Universidad de Osma, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Lector Fr. Rafael de Leyva, del Orden de Predicadores, del Convento de S. Pablo de Córdoba, por toda la obra.
El Dr. D. Alberto Piquer, Médico en Calanda de Aragon, por el tomo primero y segundo.
El Dr. D. Andres Felix García Luengo, Canónigo Penitenciario de Plasencia, por dos juegos de toda la obra.
El R. P. M. Fr. Alexandro Sinde, Prior del Convento de Dominicos de Ocaña, por toda la obra.
El Sr. D. Pedro Reynes, vecino de Barcelona, por dos juegos de toda la obra.
El Sr. D. Blas Aspas, vecino de Zaragoza, por el tomo primero y segundo.
El R. P. Fr. Joseph Ruiseco, Carmelita Descalzo, por los dos primeros tomos.
El R. P. Fr. Joseph Gil, Carmelita Descalzo, de Zaragoza, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Francisco Ferrer, Presbítero, vecino de Zaragoza, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Francisco Amad, Presbítero, vecino de Zaragoza, por los dos primeros tomos.
El Sr. D. Dionisio Estrada, Presbítero, vecino de Zaragoza, por los dos primeros tomos.
El R. P. Fr. Matías Miguel, del Convento de la Victoria de Zaragoza, por el tomo primero y segundo.
El Sr. D. Diego Bara, vecino de Zaragoza, por quatro tomos primeros y quatro segundos.
El Sr. D. Joseph Tolosa, vecino de Zaragoza, por tres tomos primeros y tres segundos.
El Sr. D. Fernando Polo y Monge, vecino de Zaragoza, por veinte y cinco juegos del tomo primero y segundo.
El R. P. M. Fr. Joseph Muñoz, Prior del Convento de Dominicos de la Coruña, por toda la obra.
El Sr. D. Ramon Christoval Zapater, por toda la obra.
El Sr. D. Joseph María Ocharan, Abogado de los Reales Consejos, por toda la obra.
El Sr. D. Juan Antonio Oter, vecino de Sigüenza, por los dos primeros tomos.
El Dr. D. Melchor Guardia, por el tomo primero y segundo.
La Biblioteca de RR. PP. Mercenarios de la Ciudad de Huete, por un exemplar de toda la obra.
La Biblioteca del Colegio de Pasantes de la Merced Calzada de la Ciudad de Segovia, por un juego de toda la obra.
El R. P. Fr. Juan Muñoz, Prior del Convento de Sto. Domingo de Lugo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Manuel Doval, Lector de Teología del mismo Convento, por toda la obra.
El Convento de Sto. Domingo de Lugo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Leon Ruiz, Lector de Artes del Convento de Sto. Tomas de esta Corte, por toda la obra.
El Sr. D. Antonio Mendez Vigo, por toda la obra.
El R. P. Fr. Juan Melendez, Lector de Artes del Convento de Rioseco, por toda la obra.
El Sr. D. Ramon García Prieto, Cursante en la Universidad de Valladolid, por el tomo primero y segundo.
El R.P.Fr. Raymundo Vilageliu, Colegial de S. Vicente y S. Raymundo, de Predicadores de Barcelona, por el tomo primero y segundo.
El M. R. P. Fr. Manuel Francos, Regente en el Convento de la Madre de Dios, por el tomo primero y segundo.

FE DE ERRATAS.

Errata.	Corrige.
Pág. 15. not. lín. 7. visibilis	*risibilis.*
Pág. 92. lín. 2. vagare.	*vagari.*
Pág. 231. lín. 10. evolventur.	*evolverentur.*
Pág. 327. lín. 3. scidentibus.	*scindentibus.*
Pág. 485. not. lín. 26. notione.	*natione.*
Pág. 510. not. lín. 16. contra Pelagium. . .	*contra Manichæos.*
Pág. 624. not. lín. 8. Meditiones.	*Meditationes.*
Pág. 626. not. lín. 6. un con	*con un.*


Fr. SALVATOR MARIA
ROSELLI
Ordinis Praedicatorum.
Nimeno inv. sculp.

SUMMÆ PHILOSOPHICÆ

AD MENTEM

ANGELICI DOCTORIS

S. THOMÆ AQUINATIS.

PROLOGUS.

1. Quæ duæ potissimum causæ Angelicum Doctorem ad perscribendam Summam Theologicam impulere, oportere, scilicet, quæstiones cavere multas, quibus nihil erat utilitatis, de utilibus autem disserere ex ordine disciplinæ (1); eæ nos vehementer urgent, illius ut vestigia in re philosophica persequamur. Et ipsi enim animadvertimus, adolescentes nostros Philosophiæ auditores (quorum unice causa est hic à nobis susceptus labor) morari plurimum, cum ob quæstiones bene multas in Scholis versari solitas, quæ vel omni prorsus utilitate carent (2), vel adolescentum abducunt studia ab utilioribus capessendis (3); tum quod & ipsæ utiles quæstiones tradi à non-

(1) Vide ejus Prol. Sum. Theol.

(2) „ Quis ferre possit (inquit Canus l. 9. de Locis c. 7.) disputa„tiones illas de universalibus, de nominum analogia, de primo cogni„to, de principio individuationis, sic enim inscribunt; de distinctio„ne quantitatis à re quanta, de maximo, & minimo, de intensione, & „remissione, de proportionibus, & gradibus, deque aliis hujusmodi „sexcentis, quæ ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tardo, nec „his intelligendis parum temporis, & diligentiæ adhibuissem, animo „vel informare non poteram &c." Hæc autem dum scribit Canus, non res quidem, iis disputationibus comprehensas intelligit, quas magnæ utilitatis esse opportuno demonstrabimus loco; sed disputationes ipsas subtilissimas, & infinitas reprobat; agit enim ibid. adversus *vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras, atque difficiles conferunt.*

(3) Utiliores illæ censendæ sunt, quæ ad Sacram Doctrinam, ideoque ad beatam vitam conferunt. „Multi (ait S. Augustinus l. 2. de Gen. ad litt. c. 9.) multa disputant de iis rebus, quas majore pru„dentia nostri Auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas „discentibus, & occupantes, quod pejus est, multum pretiosa, & re„bus salubribus impendenda temporum spatia."

nullis consueverint, perturbato ordine disciplinæ (1).

2. Itaque divino freti auxilio, quod ejusdem Angelici Doctoris patrocinio consequuturos speramus, Summam Philosophicam perscribere aggredimur. In ea autem perscribenda, persequemur ordinem S. Thomæ (2), utilioresque tantummodo complectemur quæstiones, atque illas in primis, quæ cum Sacra Doctrina, cujus unice delectari studio debemus (3), connexæ, & conjunctæ videbuntur. Quod si vires huic sunt operi impares, cum Lactantio (4) dicam: *Hoc opus veritatis fiducia suscepi, fortasse majus quam ut possit meis viribus sustineri: quod tamen, etiamsi ego defecerim, Deo, cujus est hoc munus, adjuvante, veritas ipsa complebit.*

3. Quia vero, ut infra ostendemus, in Philosophia tradenda, à Logica est incipiendum; Logica vero, ut Cicero (5) monet, *primo progressu festive tradit elementa loquendi, & ambiguorum inteligentiam, concludendique rationem*; quæ quidem omnia Institutionibus Logicis continentur; idcirco ab iisdem Institutionibus ducimus Philophiæ initium.

---

(1) Est tradendarum disciplinarum ordo præcipuus, ut quæ cujusque propria principia sint, explicetur, atque adeo ut ab universalioribus ad minus universalia procedatur. Qui ordo si negligatur, nullus erit progressus: nam ut scribit S. Fulgentius l. 1. ad Trasim. c. 3. „Magnum bonum confert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato „non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus „innitatur."

(2) Disserendi, scilicet, per quæstiones, & articulos. Cujus ordinis Cicero 4. Acad. illud summum agnovit commodum, quod *quæstio est appetitio cognitionis, quæstionisque finis inventio.* Insuper præponendi in quolibet articulo argumenta quæ contra sunt; nam ut S. Hieronymus scribit in Proem. Dial. adv. Pelag. *magis perspicua veritas fit, cum proposuerit unusquisque quod senserit.*

(3) S. Thomas 2. 2. *q.* 185. a. 5. ad 3. „Religiosis, *inquit*, com„petit principaliter intendere studio litterarum pertinentium ad doctri„nam, quæ secundum pietatem est, ut dicitur ad Tit. 1. Aliis autem „doctrinis intendere non pertinet ad Religiosos, quorum tota vita di„vinis obsequiis mancipatur, nisi in quantum ordinantur ad sacram „doctrinam." Vide S. August. l. 2. de Gen. ad litt. c. 10.

(4) L. 3. Instit. c. 1. (5) 4. Acad.

INSTITUTIONES

LOGICÆ.

1. Logica, (1) quam brevibus explicandam aggredimur, *ars* est *bene disserendi* (2). Disserere autem bene non possumus, nisi recte judicemus; nec recte judicare, nisi recte percipiamus. Itaque Logica mentem dirigit, ut recte percipiat (3), judicet (4), ratiocinetur (5). Judicia vero, & raciotinationes propositionibus exprimuntur, propositiones ex terminis constant. Quare 1. de terminis, 2. de propositionibus, 3. de ratiocinatione erit agendum.

PARS PRIMA.

DE TERMINIS.

CAPUT PRIMUM

Complectens definitiones, & divisiones terminorum.

2. Terminus universim dicitur esse *id ex quo simplex conficitur propositio* (6), v. g. hæc propositio, *Christus est Deus*,

(1) *Logica* dicitur à λογος, *sermo*, *verbum*, *ratio*, quasi *scientia rationalis*, & *ratio disserendi*. Vide Tull. 1. de fin.

(2) Cicero 2. de Orat.

(3) Perceptio est, cum rem concipimus, nihil de ea affirmantes, aut negantes: ut cum simpliciter concipio hominem.

(4) Judicare dicimur, cum unum de altero affirmamus, aut negamus: ut cum dico, circulus est figura, circulus non est quadratus.

(5) Ratiocinamur, cum unum ex altero inferimus: ut cum probo, animam nostram esse immortalem, quia expers materiæ.

(6) Quamquam Aristoteles 1. Prior. c. 1. terminum definiat *id in quod resolvitur propositio ut prædicatum, & id de quo prædicatur*; loquitur tamen de terminis, ut constituunt ordinem syllogisticum. Quapropter S. Thomas 1. Perih. lect. 1, „ Triplex est, *inquit*, consideratio „ simplicium dictionum, 1 secundum quod absolute significant simpli„ces intellectus. 2. prout sunt partes enunciationis. 3. secundum quod „ ex eis constituitur ordo syllogisticus, & sic determinatur de eis sub

conficitur ex tribus terminis, *Christus*, & *est*, & *Deus* (1).

3. Dividitur terminus in *mentalem*, *vocalem*, & *scriptum*. Ac *mentalis* quidem est conceptus, seu idea & notio rei, quam mente formamus, cum aliquid concipimus; & quam deinde voce exprimimus; non enim exprimimus voce, nisi quod mente concepimus; idque vocatur *verbum* mentis (2); v. g. cum dico *homo*, immediate significo conceptum hominis quem mente gero, & mediate ipsum hominem per talem conceptum significatum (3).

4. Terminus *vocalis* est vox significativa (4), qua men-

„ratione terminorum in lib. Priorum." Itaque qui terminus dicitur communiter acceptus, vocatur à S. Thoma *simplex dictio* : ex dictionibus autem simplicibus componuntur enunciationes, & qua ratione dictiones illæ sunt apte dispositæ ad concludendum, constituitur ordo syllogisticus, ut infra dicemus. Vide Damascenum Dial. c. 64.

(1) Propterea S. Thomas loc. cit. lect. 5. ait : *Aliquando nomen sumitur, prout communiter significat quamlibet dictionem, etiam ipsum verbum.*

(2) S. Augustinus l. 15. de Trin. c. 11. „Verbum, *inquit*, quod „foris sonat, signum est verbi quod intus latet, cui magis verbi compe„tit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est; ver„bumque & ipsum dicitur propter illud, à quo ut foris appareat, as„sumptum est."

(3) Confer S. Thom. loc. cit. lect. 2.

(4) Voces quæ non significant, termini non sunt; non enim exprimunt verbum mentis. Vide S. Thom. ib. lect. 4. Voces autem diversarum linguarum, termini quidem sunt, quia revera significant; sed iis qui linguas illas ignorant, perinde sunt ac si nihil significarent. Ut quis proficere possit in scientia significationis vocum, Genuensis sæpe præcipit, oportere naturam pervadere hominum Silvestrium, qui primi eas voces formarunt. Ita præsertim jubet Log. Ital. l. 5. §. 70. seqq. De hujusmodi hominibus dicemus infra. Nunc 1. in tanta temporum longinquitate, & obscuritate quis poterit ariolari, quomodo silvestres illi homines voces primum pronunciarint, & quam iis significationem adjunxerint? 2. Etiamsi hæc scire quis posset, quæ esset utilitas? Nam illorum hominum neque ulla exstant scripta, neque ullæ historiæ fide dignæ. 3. Genuensis loc. cit. §. 73. exemplum ponit in voce Κερας, quæ primis silvestribus Græcis significavit *cornu*, deinde caput, postea fortitudinem, postremo vim imperii. Inepte sane : nam quis nesciat, nunc etiam apud Græcos Κερας, proprie significare *cornu*, improprie robur, aut si malis, caput, & potestatem imperii? Sed Κερας, Græca vox videtur derivata ab Hebræa *Keren*, quæ similiter proprie *cornu*, metaphorice robur significat. Eruntne Hebræi inter silvestres homines recensendi?

tis conceptum exprimimus. Cum enim homo sit animal naturaliter sociale, necesse est, ut conceptiones suas exterius manifestet (1) per quædam signa (2). Signa autem aut *naturalia* sunt, aut *artificialia* (3): & *naturalia* quidem seipsis aliquid significant, ut gemitus dolorem; *artificialia* vero pendent ex arbitrio, & voluntate hominum. Hæc vero *artificialia* signa vel sunt res ipsæ, ut diversitas vestium, vexilla exercituum, sonus buccinæ, tympani &c. vel sunt nutus, & verba. Verba autem, ut S. Augustinus advertit (4), inter *homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur* (5).

5. Terminus *scriptus*, est idem mentis conceptus scriptura exaratus (6). Scriptura autem est signum talis conceptus ex hominum arbitrio, & institutione positum (7).

6. Voces significativæ cum institutæ sint ad significandos immediate mentis conceptus, totidem sunt, quot ipsi conceptus. Concipimus autem res vel tamquam stantes per seipsas, vel ut aliis adjacentes. Termini, quibus exprimimus res conceptas veluti stantes per seipsas, dicuntur *substantivi* (8), ut homo,

---

(1) Vide S. Thom. 1. Perhi. lect. 2.

(2) Signum definitur à S. Augustino l. 2. de Doct. Christ. c. 1. *res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire.*

(3) S. Aug. ib. (4) Ibid. c. 3. (5) Hinc probat S. Thomas 3. p. q. 60. a. 6. in Sacramentis Novæ Legis requiri non solum res, sed etiam verba.

(6) Scripturæ necessitatem ostendit S. Thomas 1. Perih. lect. 2. „Si homo, *inquit*, uteretur sola cognitione sensitiva, quæ respicit solum ad hic, & nunc, sufficeret sibi ad convivendum aliis vox signi„ficativa.... Sed quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quæ „abstrahit ab hic, & nunc, consequitur ipsum sollicitudo non solum de „præsentibus secundum locum, & tempus, sed etiam de his quæ distant „loco, & futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam „his, qui distant secundum locum, & his qui venturi sunt in futuro „tempore, manifestet, necessarius fuit usus scripturæ.“

(7) Quando usus litterarum incœperit, S. Augustino fuit incertum: nam l. 2. q. 67. in Exod. „Nonnullis, *inquit*, videtur à primis ho„minibus eas cœpisse, & perductas esse ad Noe, atque inde ad paren„tes Abrahæ, & inde ad populum Israel: sed unde hoc probari possit „ignoro.“

(8) Accidentia significari etiam solent nominibus substantivis; dici„mus enim calorem, frigus, albedinem: nam licet accidentia ut sint, dependeant à substantia, non tamen secundum rationem. Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 15.

equus, leo. Termini exprimentes res ut aliis adjunctas, dicuntur *adjectivi*, ut sapiens, prudens, fortis (1).

7. Rursus voces significativæ vel exprimunt solam formam sine subjecto, ut sapientia, temperantia, justitia; & termini dicuntur *abstracti*. Vel significant formam simul, & subjectum, ut sapiens, temperans, justus; & termini dicuntur *concreti*.

8. Item voces significativæ aliæ quidem sunt cum aliis conjunctæ, significant tamen per seipsas separatim, ut animus bonus (2); & termini dicuntur *complexi* (3). Aliæ non sunt cum aliis conjunctæ, & earum partes seorsim non significant, ut spiritus, corpus, cælum; & termini dicuntur *incomplexi* (4).

9. Præterea quædam voces aliquid positivum significant, ut amor, spes, gaudium; & termini vocantur *positivi*. Quædam adjunctam habent particulam negativam, ut non amor, non prudens, non justus; & termini dicuntur *negativi* (5).

10. Quædam significant certa genera, & species rerum, ut corporis, viventis, animalis; & termini dicuntur *categorici* (6). Quædam de universis generibus rerum dici possunt; &

---

(1) Verborum etiam aliud est substantivum, scilicet, verbum est; alia adjectiva, quæ videlicet præter esse, aliquid aliud significant, ut *videre*, *audire*, *lætari*.

(2) S. Augustinus l. 8. de Trin. c. 3. „Cum audio v. g. quod di„citur animus bonus, sicut duo verba sunt, ita ex eis verbis duo quæ„dam intelligo: aliud quo animus est, aliud quo bonus est."

(3) Vide S. Thom. 1. Perih. lect. 4.

(4) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 9.

(5) Termini *negativi* dicuntur *infiniti*, seu potius *indefiniti*, à Græcis *aoristi*, ab *a* privativo, & ὁρίζω *definio*. De ipsis quæri solet, an æquivaleant oppositis, v. g. an *non amor* idem sit ac *odium*. Negat S. Thomas 1. Perih. lect. 4. quippe terminus indefinitus imponitur à negatione, ideoque nihil significat determinatum. Quandoque utimur terminis indefinitis ad significandas res positivas, quia caremus terminis positivis, ut cum dicimus Deum immensum, infinitum, incorporeum. Hi autem termini sunt voce negativi, & positivi significatione. De terminis *negativis* S. Augustinus l. 5. de Trin. c. 7. fuse agit adversus Arianos, ocurrens eorum cavillationibus in voce *geniti*, & *ingeniti*. Concludit autem: *Quamvis diversus sit genitus, & ingenitus, non indicat diversam substantiam: quia sicut filius ad patrem, & non filius ad non patrem refertur; ita genitus ad genitorem, & non genitus ad non genitorem referatur necesse est.*

(6) A κατηγορέω, *enuncio*, quia determinata genera, & species significant. Hinc responsio aliqua dicitur *categorica*, quia est determinata, sive absolute affirmativa, aut negativa.

termini vocantur *transcendentes*. Hi autem sunt *ens*, *res*, *aliquid*, *unum*, *verum*, *bonum*: nam quidquid est, ens est, aliquid est, unum est (1), verum est (2), bonum est (3).

11. Insuper ex vocibus aliæ significant res ad alteram non relatas, ut substantia; & termini dicuntur *absoluti*; aliæ significant res relatas ad alteram, ut filius, & termini dicuntur *relativi*.

12. Ad hæc: terminorum quidam per se ipsos significant, ut Religio, Fides, Caritas, & hi vocantur *categorematici* (4). id est, *enunciabiles* (5). Quidam non per seipsos, sed simul cum aliis perfecte significant; exprimunt enim vel ipsas res confuse, ut omnis, nullus, aliquis, & universa pronomina; vel rerum modos, cujusmodi sunt præpositiones, & adverbia; & hi dicuntur *syncategorematici*, id est, *coenunciabiles*, & *consignificativi* (6).

13. Adduntur termini *communes*, & *singulares*. Communes vero vel significant plura conjunctim, ut populus, grex, exercitus; & dicuntur *collectivi* (7); vel significant plura tan si-

---

(1) S. Augustinus l. 1. de Mor. Manich. c. 6. „Nihil est esse, quam „unum esse..... nam simplicia per se sunt, quia una sunt: quæ autem „non sunt simplicia, concordia partium imitantur unitatem.“

(2) Idem l. 7. Conf. c. 15. „Omnia vera sunt, in quantum sunt: „nec quidquam est falsitas, nisi cum putatur esse quod non est.“

(3) Idem l. 3. de lib. arb. c. 7. „Omnia eo ipso quo sunt, jure „laudanda sunt: quia eo ipso quo sunt, bona sunt.“

(4) Cicero 4. Tuscul. „Res quæ dicuntur de quodam, aut quibus„dam, κατηγορηματα Dialectici appellant.

(5) S. Thomas 1, p, q. 31. a. 3, „Dicitur dictio categorematica, „quæ absolute ponit rem significatam circa aliquod suppositum, ut albus „circa hominem, cum dicitur homo albus.“

(6) Idem ib. „Dictio syncategorematica dicitur, quæ importat or„dinem prædicati ad subjectum, sicut hæc dictio omnis, vel nullus.“

(7) Vox *Ecclesia* est terminus collectivus. Genuensis Log. Ital. l. 2. c. 2. §. 12. explicans, quomodo verba progressu temporis varias apud diversas nationes significationes acceperint, exemplum sumit à voce *Ecclesia*. Ait autem, apud Paganos olim Ecclesiam significasse cœtum populi: deinde in Novo Testamento integram aliquam Scholam Christianam, veluti Ecclesiam Jerosolymitanam, Antiochenam, Smyrnensem &c. Postea aliter atque aliter fuisse acceptam: ac primum denotasse cœtum virorum Ecclesiasticorum; deinde Templa; postremis hisce temporibus solas mensas Beneficiariorum tamquam bona Ecclesiæ, pro bonis mensæ Episcopalis, Canonicalis, Parochialis. Non quæro, quid Ethnici intellexerint nomine *Ecclesiæ*. Certè apud Ethnicos *Ecclesia*

mul, quam seorsim, ut homo qui de singulis hominibus enunciari potest ; & dicuntur *distributivi.*

14. Hi autem vel significant rationem omnino eamdem in pluribus, ut triangulum in singulis triangulis ; & dicuntur *univoci.* Vel significant rationes diversas : tunc vero, si rationes sunt omnino diversæ, termini dicuntur *æquivoci*, ut vox *canis* attributa animali, & sideri (1). Si autem rationes diversæ quidem sunt, sed tamen conveniunt in aliqua proportione similitudinis, ut *pes* dictus de infima parte montis, & de infima parte corporis animalis, termini dicuntur *analogi* (2).

---

idem erat ac *cœtus* : Cicero autem sepe meminit cœtus animorum, cœtus hominum, cœtus vitiorum, cœtus matronarum &c. Præterea Clemens Alex. Strom. 1. meminit amplissimi cujusdam ædificii à Pythagora excitati, quod ὁμακοεῖον vocabant, & ad quod fœminæ quoque, ac pueri admittebantur : ait autem : *Ea quæ nunc vocatur Ecclesia, significat id quod apud ipsum est* ὁμακοεῖον. Quæro autem, an penes Catholicos *Ecclesia* aliquid aliud significet præter *id*, quod Genuensis docet? Si aliquid aliud significat (& plane significat ; nam Ecclesia Catholica à Christo fundata, est *cœtus fidelium eadem fidei, & Sacramentorum communione sub eodem capite visibili Romano Pontifice congregatus*), quare ille reticuit? Si nihil aliud significat, ecquid profitemur in Symbolo, cum dicimus credere *Sanctam Ecclesiam Catholicam*? Credimusne, illam esse aut *mensas Beneficiariorum*, aut *Templa*, aut *cœtum Ecclesiasticorum*, aut *Scholam aliquam Christianam cum suis Doctoribus, Sacerdotibus, & Episcopis*? Atqui hæretici mensis Beneficiariorum habent, Templa habent, Ecclesiasticos habent, quos *Prædicantes* vocant, scholas habent, jactant etiam suos Doctores, & nonnulli etiam, ut Græci Schismatici, Sacerdotes, & Episcopos habent. Eritne apud ipsos Ecclesia Catholica? Quid vero Apostolus intellexit cum 1. ad Tim. 3. v. 15. *Ecclesiam* appellavit *columnam & firmamentum veritatis*? Locuutusne fuit de mensis, de Templis, de cœtu Ecclesiasticorum tantum, aut de Schola aliqua Christiana? Eritne hæc Ecclesia, quam Christus Matth. 16. v. 18. *ædificavit supra Petram*, & adversus quam *portæ inferi non prævalebunt*? En quomodo Genuensis, dum explicare se velle dicit sensus verborum, illum non explicat, & omnia miscens, rebus gravissimis tenebras offundit.

(1) Eodem exemplo utitur Nazianzenus, Orat 37. adversus Arianos : *Quid canis*, inquit : *qui terrestris est & marinus, & cælestis? Nonne tres canes tibi dici videntur? Ita profecto. An ergo proinde quoque consubstantiales sunt? Quis sanus hoc dixerit?*

(2) De univocis, æquivocis, & analogis dicemus infra. Nunc de analogis hæc accipe ex Clemente Alex. Strom. 8. ita scribente : „ Ex „ his alia quidem per similitudinem, ut homo, & qui est animal, & „ qui pictus : alia autem per proportionem, & convenientiam, ut pedes

15. His adde terminos *primæ*, & *secundæ intentionis*. Ac *primæ intentionis* dicuntur illi, qui significant res *naturæ*, secundum statum quem habent independenter ab intellectu, ut homo, lapis, arbor. Termini *secundæ intentionis* illi dicuntur, qui significant res secundum statum quem habent dependenter ab intellectu, ut cum concipimus animal tamquam genus ad hominem, leonem, canem &c. Et quia mens istas intentiones cognoscit cum reflectit super res cognitas; idcirco priores illi termini dicuntur *primæ intentionis*, posteriores *secundæ intentionis* (1).

CAPUT II.

De Nomine, Verbo, & Oratione.

16. Hactenus de terminis, prout diversis modis significant: nunc de iisdem, ut orationem componunt. Oratio autem componitur nominibus, & verbis (2).

17. Nomen (3) est *vox significativa ex instituto, sine tempore, cujus nulla pars significat separata* (5). Quatenus signi-

---

„Idæ, & nostri pedes, propterea quod sint inferius: alia autem ex „operatione, ut pes navis, per quem navis navigat, & pes noster per „quem movemur.„

(1) Vide S. Thom. q. 7. de pot. a. 9. Similia scribit Clemens Alex. Strom. 8. cum ait: *Philosophorum indagatio versatur & in iis quæ animo cogitantur* (secundas intentiones nos dicimus) *& in rebus subjectis* (hoc est in rebus naturæ quæ hujusmodi intentionibus subjiciuntur).

(2) S. Thomas 1. Perih. lect. 1. „Potest, *inquit*, ex solo no„mine, & verbo simplex enunciatio fieri, non autem ex aliis ora„tionis partibus sine his„ Addit: „sola nomina, & verba sunt prin„cipales orationis partes. Sub nominibus enim comprehenduntur pro„nomina, quæ etsi non nominant naturam, personam tamen deter„minant, & ideo loco nominum ponuntur: sub verbo vero participium, „quod consignificat tempus, quamvis & cum nomine convenientiam „habeat. Alia vero sunt magis colligationes partium orationis, signi„ficantes habitudinem unius ad aliam, quam orationis partes; sicut „clavi, & alia hujusmodi non sunt partes navis, sed partium navis „conjunctiones.“

(3) S. Augustinus de Gen. ad litt. imperfec. c. 6. „Nomen, *ait*, „quod rem notet appellatum est, quasi notamen. Notet autem, id est, „distinguat, & doctitanter ad discernendum adjuvet.„

(4) Hanc definitionem explicans S. Thomas 1. perih. lect. 4. „Pri„mo, *inquit*, ponitur *vox* per modum generis, per quod distinguitur

ficat *ex instituto*, convenit cum verbo, & oratione. Discriminatur à verbo, quia verbum significat cum tempore. Differt ab oratione, quia partes orationis significant separatæ (1).

18. Verbum (2) *est id quod insuper tempus significat*, &

», nomen ab omnibus sonis, qui non sunt voces.... Additur autem pri», ma differentia, scilicet, *significativa*, ad differentiam quarumcumque », vocum non significantium.... Dicitur secundum *institutionem huma», nam* à beneplacito hominum procedente. Et per hoc nomen differt », à vocibus significantibus naturaliter, sicut sunt gemitus infirmorum... », Ponitur *sine tempore*, per quod differt nomen à verbo. Sed videtur », hoc esse falsum, quia hoc nomen *dies*, vel *annus* significat tempus », Sed dicendum, quod circa tempus tria possunt considerari. Primo », quidem ipsum tempus, secundum quod est res quædam, & sic po», test significari à nomine, sicut quælibet alia res. Alio modo potest », considerari id quod tempore mensuratur, in quantum hujusmodi: & », quia id quod primo, & principaliter tempore mensuratur, est mo», tus, in quo consistit actio, & passio: ideo verbum quod significat », actionem, & passionem, significat cum tempore. Substantia autem », secundum se considerata, prout significatur per nomen, & prono», men, non habet, in quantum hujusmodi, ut tempore mensuretur, », sed solum secundum quod subjicitur motui, prout per participium », significatur. Et ideo verbum, & participium significant cum tem», pore, non autem nomen, & pronomen. Tertio modo, potest con», siderari ipsa habitudo temporis mensurantis: quod significatur per », adverbia temporis, ut cras, heri, & hujusmodi.... Ponitur quarta dif», ferentia, cum subditur *cujus nulla pars est significativa separata*, », scilicet, à toto nomine: comparatur tamen ad significationem no», minis secundum quod est in toto. Quod ideo est, quia significa», tio est quasi forma nominis: nulla autem pars separata habet for», mam totius, sicut manus separata ab homine, non habet formam », humanam. Et per hoc distinguitur nomen ab oratione, cujus pars », significat separata."

(1) S. Thomas loc. cit. excludit à ratione nominis nomina *infinita*. Nam *omne nomen significat aliquam naturam determinatam, ut, homo; aut personam determinatam, ut pronomen; aut utrumque determinatum, ut Sortes. Sed quod dico, non homo, neque determinatam naturam, neque determinatam personam significat; imponitur enim à negatione hominis, quæ æqualiter dicitur de ente, & non ente.* Excludit etiam casus obliquos nominum; quandoquidem solus rectus *dicitur principaliter nomen, per quem facta est impositio nominis ad aliquid significandum.*

(2) Verbum quandoque accipitur pro facto. Sic 1. Reg. 3. v. 11. *Ecce ego facio verbum in Israel.* Quandoque pro interna animi notitia, quam appellavimus *terminum mentalem.* Vide S. Augustin. l. 9.

cujus nulla pars seorsum significat, atque semper eorum quæ de alio dicuntur, est signum (1). Quod dicitur *tempus significare*, distinguit verbum à nomine. Quod additur, *cujus nulla pars seorsum significat*, distinguit verbum ab oratione. Tertia vero particula distinguit verbum & à nomine, & à participio, quod licet significet cum tempore, non tamen semper est signum eorum, quæ de altero dicuntur, quippe participia possunt poni tam ex parte subjecti, quam ex parte prædicati (2); ut si dicam, *amans est timens.*

---

de Trin. c. 10. Quandoque pro quacumque etiam externa dictione: & sic etiam nomen dicitur verbum. Denique prout distinguitur à nomine.

(1) Traditam verbi definitionem ita explicat S. Thomas loc. cit. lect. 5. „Prima (particula) distinguit verbum à nomine in hoc quod „*consignificat tempus*. Dictum est enim in definitione nominis, quod „nomen significat sine tempore. Secunda vero particula est, per quam „distinguitur verbum non solum à nomine, sed etiam à participio, „quod significat cum tempore.... quia scilicet nomina, & participia pos„sunt poni ex parte subjecti, & prædicati: sed verbum semper est „ex parte prædicati."

(2) Instantiam addit S. Thomas ib. *in verbis infinitivi modi, quæ interdum ponuntur ex parte subjecti, ut cum dicitur, ambulare est moveri.* Respondet autem „quod verba infinitivi modi, quando in „subjecto ponuntur, habent vim nominis. Unde & in Græco, & „in vulgari loquutione latina suscipiunt additionem articulorum, si„cut & nomina. Cujus ratio est, quia proprium nominis est, ut „significet rem aliquam quasi per se existentem; proprium autem ver„bi est, ut significet actionem, vel passionem. Potest autem ac„tio significari tripliciter. Uno modo per se in abstracto, sicut quæ„dam res; & sic significatur per nomen, ut cum dicitur actio, passio, „ambulatio, cursus, & similia. Alio modo per modum actionis, ut „scilicet est egrediens à substantia, & inhærens ei ut subjecto; & sic „significatur per verba aliorum modorum, quæ atribuuntur prædicatis. „Sed quia etiam ipse processus, vel inhærentia actionis potest appre„hendi ab intellectu, & significari ut res quædam; inde est quod ver„ba infinitivi modi, quæ significant ipsam inhærentiam actionis ad sub„jectum, possunt accipi ut verba ratione concretionis, & ut nomina, „prout significant res quasdam." Ibid. Angelicus excludit à propria ratione verbi verbum *infinitum*, ut, *non currit, non laborat*, quia verba infinita *removent actionem, vel passionem potius, quam aliquam determinatam actionem, vel passionem significent.* Ait porro, verba hujusmodi differre à verbis negativis; *quia verba infinita sumuntur in vi unius dictionis, verba vero negativa in vi duarum dictionum.* Excludit etiam verba præteriti, & futuri temporis, *quia præteritum, vel futurum dicitur per respectum ad præsens.*

19. Oratio est *vox significativa, cujus partes aliquid separatim significant, ut dictio, sed non ut affirmatio, vel negatio.* In eo quod dicitur *vox significativa*, convenit oratio cum nomine, & verbo. In eo quod additur, *cujus partes aliquid* (1) *separatim significant*, distinguitur à nomine, & verbo. Quod subditur, *non ut dictio, ut affirmatio, vel negatio*, denotat, partes illas, in quas demum, resolvitur oratio, significare quidem separatim, sed non per modum affirmationis, aut negationis, quod soli competit orationi (2).

20. Oratio alia est *imperfecta* (3), alia *perfecta.* Imperfecta non gignit perfectum sensum in animo audientis, ut, *proh. Deus! o Cælum!* Perfecta sententiam complet (4).

21. Perfectæ orationis quinque sunt species, 1. *enuntiativa*, 2. *deprecativa*, 3. *imperativa*, 4. *interrogativa*, 5. *vocativa* (5). Sola *enunciativa* est, in qua invenitur verum, aut fal-

---

(1) Dicitur *partium aliquid*, propter *negationes*, & *alia syncategoremata, quæ secundum se non significant aliquid absolutum, sed solum habitudinem unius ad alterum.* S. Thom. loc. cit. lect. 6.

(2) Id verum habet non solum in oratione simplici, sed etiam in oratione composita: nam licet oratio composita constet partibus, quæ affirmativæ sunt, aut negativæ, ut si dicam, si sol lucet super terram, dies est; si tamen resolutio fiat in orationes simplices, ex quibus constat oratio composita, partes componentes non significabunt per modum affirmationis, aut negationis, S. Thomas loc. cit.

(3) Oratio imperfecta fuit illa Christi Domini ad Jerusalem, flentis super ipsam, Luc. 10. v. 42. *quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua.* Addendum est *fleres.* Vide S. Greg. M. Hom. 39. in Evang.

(4) Confer. S. Thom. 1. Perih. lect. 7.

(5) Hujus divisionis hanc accipe rationem ex S. Thoma ib. „Quia „intellectus, vel ratio non solum concipit in seipso veritatem rei tan„tum, sed etiam ad ejus officium pertinet secundum suum conceptum „alia dirigere, & ordinare; ideo necesse fuit, quod sicut per *enun„ciativam* orationem significatur ipse mentis conceptus; ita etiam „essent aliquæ aliæ orationes significantes ordinem rationis, secundum „quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis „alius homo ad tria. Primo quidem ad attendendum mente; & ad „hoc pertinet *vocativa* oratio. Secundo ad respondendum voce; & ad „hoc pertinet *interrogativa.* Tertio ad exequendum in opere; & ad „hoc pertinet quantum ad inferiores oratio *imperativa*; quantum au„tem ad superiores oratio *deprecativa*, ad quam reducitur oratio *opta„tiva*; quia respectu superioris, homo non habet vim motivam, nisi „per expressionem sui desiderii..... *Dubitativa* autem ad *interroga„tivam* reducitur."

sum , quia ipsa sola absolute significat conceptum intellectus, in quo est verum , vel falsum (1). De hac tantummodo agitur in Logica , quæ est ars *veri* , *& falsi disceptatrix* , *& judex* (2). De reliquis ad Rhetores , & Poetas (3).

PARS SECUNDA.

DE PROPOSITIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit propositio.

22. Propositio est *oratio enunciativa unius de altero* , ut si dicam , *Scipio Carthaginenses vicit* (4).

23. Tribus saltem partibus quælibet propositio constare debet , una de qua aliquid enunciatur , & dicitur *subjectum* ; altera quæ enunciatur , & dicitut *prædicatum* ; tertia dicitur *nexus* , sive *copula* , estque *verbum* uniens subjectum cum prædicato , atque exprimens vim enunciationis (5). Sic *Scipio* est sub-

(1) S. Thomas loc. cit. „ Quia igitur istæ quatuor orationis species „ non significant ipsum conceptum intellectus , in quo est verum , vel „ falsum , sed quemdam ordinem ad hoc consequentem , inde est , quod „ in nulla earum invenitur verum , vel falsum , sed solum in *enuncia-* „ *tiva* , quæ significat id quod de rebus concipitur. Et inde est , quod „ omnes modi orationum , in quibus invenitur verum , vel falsum , sub „ *enunciatione* continentur , quam quidam dicunt *indicativam.*"

(2) Cicero 4. Acad.

(3) S. Thomas lect. cit. „ Rhetor , *inquit* , & Poeta ducunt ad „ assentiendum ei quod intendunt , non solum per ea quæ sunt propria „ rei , sed etiam per dispositiones audientis : Unde Rhetores , & Poetæ „ plerumque movent auditores in unum , provocando eos ad aliquas pas- „ siones..... Et ideo consideratio dictarum specierum orationis , quæ „ pertinent ad ordinationem audient is in aliquid , cadit proprie sub „ consideratione Rhetoricæ , vel Poeticæ ratione sui significati : ad „ considerationem autem Grammatici , prout consideratur in eis congrua „ vocum constructio."

(4) Licet non omnis oratio enunciativa propositio sit ; nam propositio dicitur ea enunciatio quæ est pars ratiocinationis, seu quæ proponitur ad inferendum ; nihilominus usus obtinuit , ut enunciatio , & propositio pro eodem accipiantur. Vide S. Thom. 1. p. q. 13. a. 12.

(5) Damascenus Dialect. c. 64. videtur non distinguere verbum à

jectum , *Carthaginenses* prædicatum , *vicit* copula (1).

24. Aliquando solum verbum continet integram propositionem , ut *vivo* , *vici* ; significatur enim , *ego sum vivens* , *ego fui victor* (2). Aliquando reticetur subjectum , ut passim Latini faciunt , eo quod verbum personam exprimit , v. g. *sum miser*, *humiliatus sum.* Aliquando verbum exprimit prædicatum , ut *amor vincit.* Aliquando subintelligitur verbum , ut Psal. 95. v. 5. *Dii gentium dæmonia.* Logici propositiones , quæ unica efferuntur voce , appellant *primi adjacentis* ; quæ duplici , *secundi* ; quæ triplici , *tertii adjacentis.*

25. In qualibet propositione subjectum debet esse inferius prædicato , vel saltem tale , ut converti possit cum prædicato ; si enim subjectum latius pateret , quam prædicatum , non contineretur sub ipso , neque prædicato subjiceretur. Quare valet , *omnis infidelitas est peccatum* , quia peccatum latius patet, quam infidelitas : non valet , *omne peccatum est infidelitas* , quia infidelitas minus patet , quam peccatum. Valet tamen , *omne peccatum est iniquitas* , quia iniquitas convertitur cum peccato (3).

---

prædicato : nam scribit „ in propositione , hoc est , in affirmatione , & ne„ gatione , subjectum quidem nomen dici : quod autem prædicatur , ver„ bum. Ex. gr. propositio est , *homo ambulat* : in ea *homo* subjectum „ est , ac nomen dicitur ; *ambulat* autem prædicati rationem obtinet , & „ dicitur verbum. Ac rursum in his verbis , *Socrates bonus est* , Socra„ tes subjectum est , ac nomen dicitur ; *bonus est* , prædicati locum te„ net , ac verbum nuncupatur , utpote affirmationis pars : tametsi alio„ qui apud Grammaticos *bonus* dicatur esse nomen. " Verum hæc non ita sunt intelligenda , ut solum verbum dicatur prædicatum , sed quia id quod prædicatur, nonnisi à verbo habet, ut prædicetur. Nam ut ait S. Thomas 1. Perih. lect. 5. *In omni prædicatione oportet esse verbum, eo quod verbum importat compositionem , qua prædicatum componitur subjecto.*

(1) *Subjectum* plerumque primum occupat locum , *prædicatum* extremum , *copula* medium ; sed hæc loca interdum permutantur , ne oratio semper eodem modo procedere videatur.

(2) Julianus apud Sozomenum l. 5. Hist. c. 17. tres propositiones tribus verbis complexus fuit , cum accepto libro Apollinaris , ait : *legi, intellexi , improbavi.*

(3) Cassiodorus de Dialect. „ Subjectus , *inquit* , est terminus qui „ minor est ; prædicativus vero qui major : ut in ea propositione , qua „ dicitur *Homo justus* , *homo* quidem minus est , quam *justus.* Non „ enim in solo homine justitia esse potest , verum etiam in incorporeis, „ divinisque substantiis : atque ideo major est terminus *justus* : *homo* ve„ ro minor ; quo fit , ut *homo* quidem subjectus sit , *justus* vero præ„ dicativus. "

26. In propositione considerari possunt 1. materia, id est, termini; 2. forma, seu affirmatio, vel negatio; 3. quantitas, sive extensio ad plura, vel pauciora; 4. qualitas, nempe, veritas, vel falsitas (1).

CAPUT II.

De divisione propositionis ratione materiæ.

27. Termini qui sunt materia propositionis, diverse conjungi possunt: nam prædicatum aliquando necessario convenit subjecto, ita ut non possit non convenire, ut cum dico *Deus est.* Aliquando prædicatum convenit quidem subjecto, sed potest ei non convenire, ut cum dico, *Petrus ambulat.* Aliquando prædicatum non convenit quidem subjecto, sed potest ei convenire, ut cum de homine sedente dico, quod *potest ambulare.* Aliquando prædicatum non solum non convenit subjeto, sed nec potest ei convenire, ut si quis dicat, *Deus est corporeus.* Si prædicatum necessario conveniat subjecto, propositio dicitur *necessaria*; si contingenter, propositio dicitur *contingens*; si non convenit, sed possit convenire, propositio dicitur *possibilis*; si ne possit quidem convenire, propositio dicitur *impossibilis* (2).

28. In hisce propositionibus, si modi (3) exprimantur ut si dicam, *necesse est Deum esse*; *contingit Petrum ambulare*; *pos-*

(1) Vide S. Thom. 1. Perih. lect. 10.

(2) Adeatur S. Thom. 1. Perih. lect. 13. sic scribens: „Potest accipi divisio enunciationum secundum materiam; quæ quidem divisio attenditur secundum habitudinem prædicati ad subjectum: nam si prædicatum per se insit subjecto, dicitur esse enunciatio in materia *necessaria*, vel *naturali*, ut cum dicitur, homo est animal, vel homo est visibilis. Si vero prædicatum per se repugnet subjecto, quasi excludens rationem ipsius, dicetur enunciatio esse in materia *impossibili*, sive *remota*, ut cum dicitur: Homo est asinus. Si autem medio modo se habeat prædicatum ad subjectum, ut scilicet nec per se repugnet subjecto, nec per se insit, dicetur enunciatio esse in materia *possibili*, sive *contingenti.*"

(3) Loquimur de modis afficientibus totam propositionem, atque hi ad quatuor recensitos reducuntur. Alii vero modi, vel afficiunt subjectum, ut Prov. c. 19. v. 22. *Homo indigens misericors est*, vel afficiunt prædicatum, ut Isaiæ 32. v. 4. *lingua balborum velociter loquetur.* Hi autem modi cum totam propositionem non afficiant, non constituunt illam *modalem.*

sunt omnes homines vitam æternam consequi; *impossibile est Deum esse corporeum*, eæ appellantur *modales*; alioqui dicuntur *absolutæ*. In absolutis solum spectatur, num prædicatum conveniat subjecto, necne. In modalibus, num prædicatum subjecto tribuatur secundum adjunctum modum: ut in hac propositione, *impossibile est mentiri Deum*, solum inspicitur, fieri non posse, ut Deus mentiatur.

CAPUT III.

De divisione propositionis ratione formæ.

29. In qualibet propositione vel componimus, sive conjungimus extrema per verbum, vel extrema dividimus per particulam negantem. Si conjungimus, affirmamus; ut, *Deus est justus*; si dividimus, negamus; ut *Deus non mutatur*. Affirmatio, & negatio sunt forma propositionis, seu qualitas, & differentia essentialis (1). Proprium affirmationis est distribuere subjectum; non prædicatum; quare cum dico, *Homo est animal*, *Homo* accipitur quidem pro omnibus, & singulis hominibus, sed *animal* accipitur tantum pro aliqua specie. At vero negatio distribuit subjectum simul, & prædicatum; & idcirco cum dico *Homo non est lapis*, accipio *Hominem*, & *lapidem* tam pro omnibus, quam pro singulis.

30. Sunt quædam propositiones, quæ videntur negativæ, sunt tamen affirmativæ: idque evenit, cum particula negans afficit non quidem verbum, sed subjectum, vel prædicatum (2).

31. Contra sunt quædam propositiones, quæ videntur affir-

---

(1) S. Thomas 1. Perih. lec. 10. „Divisio, *inquit*, in affirmatio-„nem, & negationem est divisio generis in species, quia sumitur se-„cundum differentiam prædicati, ad quod fertur negatio: prædicatum „autem est pars formalis enuntiationis; & ideo hujusmodi divisio „dicitur pertinere ad qualitatem enuntiationis, qualitatem, inquam, „essentialem, secundum quod differentia significat quale quid."

(2) Affirmativa est hæc propositio, *Deus præcipit non furari*: nam in ipsa affirmatur Dei præceptum, ne quis furetur. Hæc etiam est affirmans: *Non civis Romanus poterat virgis cædi*. Itaque affirmatio, & negatio sunt solum penes copulam, quæ si componit subjectum cum prædicato, propositio est affirmativa; si dividit subjectum à prædicato, propositio est negativa; si vero negatio præponatur subjecto, vel prædicato, & non copulæ, propositio est affirmativa. Vide S. August. l. 6. de Civ. c. 4.

mativæ, reipsa tamen sunt negativæ; v. g. *pauci diligunt Deum*; hæc propositio facit hunc sensum *plurimi non diligunt Deum* (1). Hæc sunt diligenter animadvertenda, ne putemus, argumentationes peccare in leges communes, cum revera non peccent.

CAPUT IV.

De divisione propositionis ratione quantitatis.

32. Propositio ratione quantitatis dividitur in *universalem*, *particularem*, *indefinitam*, & *singularem* (2). Quæ quidem di-

(1) Propositiones *ironicæ* multoties videntur affirmativæ, sunt tamen negativæ; multoties videntur negativæ, & tamen sunt affirmativæ.

(2) S. Thomas 1. Perih. lec. 10. hujus divisionis rationem reddens. scribit: „Cum universale possit considerari in abstractione à singulari„bus, secundum hoc diversimode aliquid ei attribuitur. Ad designan„dum autem diversos modos attributionis, inventæ sunt quædam dic„tiones, quæ possunt dici determinationes, vel signa, quibus designa„tur, quod aliquid de universali hoc, aut illo modo prædicatur..... „Quandoque aliquid attribuitur universali ratione ipsius naturæ univer„salis; & ideo hoc dicitur prædicari de eo universaliter, quia scili„cet ei convenit secundum totam multitudinem, in qua invenitur; & „ad hoc designandum in affirmativis prædicationibus adinventa est hæc „dictio *Omnis*, quæ designat, quod prædicatum attribuitur subjecto uni„versali quantum ad totum id quod sub subjecto continetur. In præ„dicatis autem negativis adinventa est hæc dictio *Nullus*, per quam sig„nificatur, quod prædicatum removetur à subjecto universali secun„dum totum id quod continetur sub eo. Unde *Nullus* dicitur quasi non „ullus, & in Græco dicitur οὐδεὶς, quasi nec unus, quia nec unum „solum est accipere sub subjecto universali, à quo prædicatum non re„moveatur. Quandoque autem attribuitur universali aliquid, vel remo„vetur ab eo ratione particularis: & ad hoc designandum, in affirma„tivis quidem adinventa est hæc dictio *Aliquis*, vel *Quidam*, per quam „designatur, quod aliquid attribuitur subjecto universali ratione ipsius „particularis; unde dicitur individuum vagum. In negativis autem „non est aliqua dictio posita, sed possumus accipere *non omnis*, ut si„cut *nullus* universaliter removet, eo quod significat, quasi diceretur „*non ullus*, id est, *non aliquis*: ita etiam *non omnis* particulariter re„movet, in quantum excludit universalem affirmationem. Sic igitur „tria sunt genera affirmationum, in quibus aliquid de universali præ„dicatur. Una quidem, in qua de universali prædicatur aliquid uni„versaliter, ut cum dicitur: *Omnis homo est animal.* Alia, in qua „aliquid prædicatur de universali particulariter, ut cum dicitur, *qui-*

visio consequitur subjectum propositionis, ab eoque desumitur (1).

33. *Universalis* propositio est, in qua subjectum afficitur signo universali, scilicet *omnis*, *nullus* (2), ut illa Num. c. 14. v. 1. *Omnis turba flevit nocte illa* (3).

34. Propositio *particularis* est, in qua subjectum afficitur

---

„*dam homo est albus.* Tertia vero in qua aliquid de universali præ„dicatur absque determinatione universalitatis, vel particularitatis; un„de hujusmodi enunciatio solet vocari *indefinita.* Totidem autem sunt „negationes oppositæ..... Si igitur tribus prædictis enunciationibus adda„tur singularis, erunt quatuor modi enunciationum ad quantitatem ip„sius pertinentes, scilicet, *universalis*, *singularis*, *indefinitus*, *parti„cularis.*"

(1) S. Thomas loc. cit. Tertia, *inquit*, est divisio, quæ sumitur secundum differentiam subjecti, quod prædicatur de pluribus, vel „de uno solo; & ideo dicitur pertinere ad quantitatem enunciatio„nis: nam & quantitas consequitur materiam."

(2) Vide not. 2. pag. 17.

(3) De universali aliquid enunciatur quatuor modis, ut docet Angelicus loc. cit. „Nam universale potest uno modo considerari quasi „separatum à singularibus.... Et sic potest ei aliquid attribui tri„pliciter. Quandoque enim attribuitur ei aliquid sic considerato, quod „pertinet ad solam operationem intellectus, ut si dicatur, quod ho„mo est prædicabile de multis, sive universale, sive species. Hujus„modi enim intentiones format intellectus attribuens eas naturæ intel„lectæ, secundum quod comparat ipsas ad res quæ sunt extra ani„mam. Quandoque vero attribuitur universali sic considerato, quod „scilicet apprehenditur ab intellectu ut unum, tamen id quod attri„buitur ei, non pertinet ad actum intellectus, sed ad esse quod ha„bet natura apprehensa in rebus, quæ sunt extra animam, puta, si „dicatur, quod homo est dignissima creaturarum. Hoc enim conve„nit naturæ humanæ etiam secundum quod est in singularibus: nam „quilibet homo singularis dignior est omnibus creaturis irrationalibus; „sed tamen omnes homines singulares non sunt unus homo extra ani„mam, sed solum in acceptione intellectus; & per hunc modum attri„buitur ei prædicatum, scilicet, ut uni rei. Alio autem modo attri„buitur aliquid universali, prout est in singularibus, & hoc dupliciter. Quandoque quidem ratione ipsius naturæ universalis, puta, cum „attribuitur ei aliquid, quod ad essentiam ejus pertinet, vel quod con„sequitur principia essentialia, ut cum dicitur, homo est animal, ho„mo est risibilis. Quandoque autem attribuitur ei aliquid ratione sin„gularis, in quo invenitur, puta, cum attribuitur ei aliquid quod „pertinet ad actionem individui, ut cum dicitur, homo ambulat."

signo particulari, *aliquis*, *quidam*, ut, aliquis homo est justus (1).

35. *Indefinita* propositio est, cujus subjectum est terminus communis, sed nullo signo afficitur, ut, homo est ratione præditus (2). Hujusmodi autem propositiones vim habent universalium, si *necessariæ* sint (3), aut *impossibiles*: nam prædicatum essentiale non uni tantum, sed omnibus, & singulis attribui debet (4): & quod absolute esse nequit, omnibus & singulis attribui non potest. Si autem sint *contingentes*, *aut possibiles*, vim habent particularium (5): tunc enim necesse non est, ut prædicatum attribuatur omnibus, & singulis sub subjecto contentis (6).

36. Sunt quædam propositiones universales, quæ de generibus singulorum, non de singulis generum intelligi debent, ut hæc, *omne animal fuit in Arca Noetica*; non enim significat, omnia singularia animalia ibi fuisse, sed tantum aliqua ex omnibus speciebus (7).

---

(1) Vide not. 2. pag. 17.

(2) S. August. ser. 71. al. 11. de verb. Dom. c. 7. explicans illa verba Joann. 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, inquit: „Non ait, *si non venissem, & locutus fuissem, nullum peccatum haberent.* Nec rursus definite dixit, *si non venissem, & loquutus fuissem eis, quoddam peccatum non haberent*.... Qua ergo non est dictum, *peccatum nullum haberent*.... sed tamen quia dictum est, *si non venissem, peccatum non haberent*, inde necesse est, etiamsi non omne, aliquod tamen eos ex adventu Domini, quod non habebant, contraxisse peccatum."

(3) Quare propositiones indefinitæ in materia dogmatica, æquivalent universalibus, quia sunt necessariæ.

(4) Adeatur S. Thomas 1. Perih. lect. 10.

(5) Propositiones historicæ indefinite æquivalent particularibus, quia sunt contingentes.

(6) Vide S. August. ser. 71. al. 11. de verb. Dom. c. 6. ubi exponens illud Matt. 12. v. 31. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur.* „Quia ergo, *inquit*, nec universaliter, nec particulariter enuntiata sententia est (Non enim dictum est: *Omnis blasphemia spiritus, aut quædam blasphemia*, sed tantummodo indefinite dictum est, *spiritus blasphemia non remittetur*; nec dictum est: Qui dixerit quodcumque verbum, aut qui dixerit quoddam verbum, sed indefinite: *Qui dixerit verbum*) non est necesse, ut omnem blasphemiam, vel omne verbum intelligamus; sed necesse est plane, ut quamdam blasphemiam & quoddam verbum voluerit intelligi Dominus."

(7) Sic quod dicitur Psalm. 13. v. 3. *omnes inutiles facti sunt*, non

37. Rursus sunt quædam propositiones in Sacris Litteris, quæ videntur indefinitæ, revera tamen sunt universales; cujusmodi sunt propositiones aliquæ, in quibus terminus communis geminatur, ut Psal. 121. v. 4. *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini*, id est, *omnes tribus* (1).

38. Logici propositiones universales, & particulares cum affirmativas, tum negativas exprimunt quatuor litteris more Geometrarum, hisce versibus:

Asserit A, negat E, verum universaliter ambo.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

39. Singularis denique propositio est, in qua subjectum vel est terminus singularis, ut S. Petrus est Christi Vicarius; vel est terminus communis affectus signo singularitatis, ut hic homo est philosophus (2).

CAPUT V.

De divisione propositionis ratione qualitatis.

40. Veritas, & falsitas sunt qualitates propositionis; ideoque propositio ex hac parte dividitur in veram, & falsam. Vera est, quæ affirmat esse, quod revera est; aut negat esse, quod revera non est. Falsa autem est, quæ affirmat esse, quod revera non est; aut negat esse, quod revera est: indeque effa-

---

de singulis hominibus est intelligendum, sed de generibus singulorum. Eodem modo est intelligendum quod dicitur Exod. 32. v. 26. *Omnes filii Levi congregati sunt.* S. Augustinus in Enchir. c. 103. »Isto, »*inquit*, loquutionis modo & Dominus usus est in Evangelio, ubi ait »Pharisæis: *Decimatis mentam, & rutam, & omne olus.* Neque »enim Pharisæi & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alie»nigenarum omnia olera decimabant."

(1) S. Augustinus in Psal. 144. ad ea verba, *generatio, & generatio laudabit opera tua*, ait: »Forte omnis generatio dicta est generatio »generatio."

(2) S. Thomas 1. Perih. lect. 10. »Singulari, *ait*, attribuitur ali»quid tripliciter, uno modo secundum quod cadit in apprehensio»ne, ut cum dicitur: Sortes est singularis, vel prædicabilis de uno so»lo. Quandoque autem ratione naturæ communis, ut cum dicitur: Sor»tes est animal. Quandoque autem ratione sui ipsius, ut cum dicitur: »Sortes ambulat. Totidem autem modis negative variantur, quia omne »quod contingit affirmare, contingit negare."

tum illud : *Ex eo quod res est , vel non est , propositio dicitur vera , vel falsa* (1).

41. Aliquando propositio est vera in sensu composito (2), falsa in sensu diviso ut illa , 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo , peccatum non facit* ; significat hominem non peccare , quandiu perseverat in charitate. Aliquando propositio est vera in sensu diviso , falsa in sensu composito , ut si dicam, injustus potest esse justus , non est sensus , hominem posse simul conjungere in seipso justitiam & injustitiam , sed posse transire ab injustitia ad injustitiam.

42. Insuper aliqua propositio potest esse absolute falsa , & tamen comparative vera ; ut cum dico , papyrus est levis , id absolute est falsum , sed facta comparatione cum aliis corporibus gravioribus , verum est (3).

CAPUT VI.

De propositione simplici , & composita.

43. Simplex propositio est , quæ constat uno tantum subjecto , prædicato , & verbo (4) , ut anima est spiritualis. Com-

---

(1) Idem ib. lect. 9. » Cum enunciatur , aliquid esse , vel non esse » secundum congruentiam rei , est oratio vera , alioquin est oratio fal» sa. Sic igitur quatuor modis potest variari enunciatio. Uno modo, » quia id quod est in re , enunciatur ita esse , sicut in re est, quod per» tinet ad affirmationem veram , puta , cum Sortes currit , dicimus ; Sor» tem currere. Alio modo , cum enunciatur , aliquid non esse , cum » non est , quod pertinet ad negationem veram , ut cum dicitur, Æthiops » albus non est. Tertio modo , cum enunciatur aliquid esse , quod in re » non est , quod pertinet ad affirmationem falsam , ut cum dicitur , cor» vus est albus. Quarto modo , cum enunciatur aliquid non esse , quod » in re est , quod pertinet ad negationem falsam , ut cum dicitur , nix » non est alba."

(2) Quia nempe conjungitur subjectum , ut jacet , cum prædicato.

(3) Addi potest , aliquas propositiones esse veras *ironice* , quæ tamen absolute falsæ sunt ; ut illa Gen. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Aliquas præterea , quæ falsæ sunt , adsumi tamquam veras ex adversariorum mente ad ipsos revincendos.

(4) Perinde est , si sint plures termini , cum ex parte subjecti , tum ex parte prædicati ; dummodo ut unum subjectum , & ut unum prædicatum per copulam conjungantur , v. g. Pythagoras Samius Italicæ sectæ institutor , docuit transmigrationem animarum de corpore in corpus.

posita vero est, quæ pluribus simplicibus propositionibus constat, aliqua particula unitis (1); ut anima est spiritualis, & immortalis.

44. Hæ particulæ ad sex revocantur, ex quibus compositæ propositiones denominationem accipiunt, scilicet, *conditionalis*, *copulativa*, *causalis*, *disjunctiva*, *relativa*, & *discretiva*.

45. *Conditionalis* propositio est, in qua simplices propositiones conjunguntur particulis *si*, *sin*, *siquidem*, *modo*, *nisi*, & similibus conditionem exprimentibus; v. g. Si Sol stat, terra movetur. Vera est, si unum sequitur ex altero, quamvis utrumque sit falsum. Est autem falsa, si unum ex altero non sequitur, quamvis utrumque sit verum: nam in hujusmodi propositionibus conditionalibus solum affirmatur, aut negatur consequutio unius ex altero (2). Quare vera est hæc conditionalis, *si anima hominis est materialis*, *est mortalis*, quia revera esse mortale consequitur esse materiale, quamquam falsum sit, animam hominis esse materialem, & mortalem. Contra falsa est hæc alia, *si homo est animal*, *est ratione præditus*, quia licet verum sit, hominem esse animal ratione præditum, non sequitur, esse ratione præditum ex eo quod est animal (3).

46. *Causalis* propositio est, in qua duæ propositiones simplices conjunguntur particula causali, *quia*, *eo quod*, *quoniam*, *ideo*, *ut*, *etenim &c.* v. g. cum dicitur. Gen. 22. v. 16. *Quia fecisti hanc rem.... multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Et Matt. 5. v. 3. *Beati pauperes spiritu*, *quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Ut sit vera requiritur, ut antece-

(1) » Enunciatio (inquit S. Thomas 1. Perih. lect. 8.) quædam est » una simplex, quædam est conjunctione una. Sicut etiam in rebus quæ » sunt extra animam, aliquid est unum simplex, sicut indivisibile, vel » continuum; aliquid est unum colligatione, compositione, aut ordine. » Quia enim ens, & unum convertuntur, necesse est, sicut omnem rem, » ita & omnem enunciationem aliqualiter esse unam."

(2) » Hypothetica enunciatio non continet absolutam veritatem, sed » significat, aliquid verum esse ex suppositione." S. Thom. 1. Perih. lect. 1.

(3) Particula *si* in sacris Litteris aliquando est nota jurantis, & propositionem affirmantem vertit in negantem, ut Psalm. 94. v. 11. *Quibus juravi in ira mea*, *si introibunt in requiem meam*, id est *non introibunt.* Et Marc. 8. v. 12. *Amen dico vobis*, *si dabitur generationi isti signum*, id est, *non dabitur.* Aliquando propositionem negantem vertit in affirmantem, ut Isaiæ 14. v. 24. *Juravit Dominus*, *si non*, *ut putavit*, *ita erit*, hoc est, *erit ut ipse putavit.* Vide Euthymium in Psalm. 88.

dens sit causa consequentis ; id enim est quod affirmatur , aut negatur (1).

47. Propositio *copulativa* est , in qua simplices propositiones uniuntur particula copulativa *&* , *atque* , *cum* , *tum* , *nec*, *neque &c.* v. g. mens , ratio , & consilium in senibus est (2). Aliquando conjunctio est expressa , aliquando subintellecta (3). Ut sit vera , oportet , omnes propositiones simplices conjunctas, esse veras ; nam earum conjunctio affirmatur , vel negatur. Quare si earum aliqua sit falsa , tota propositio falsa est (4).

48. *Disjunctiva* propositio est , in qua simplices propositiones conjunguntur particulis *aut* , *vel* , *sive* &c. ut illud:

---

(1) Genuensis Log. Ital. l. 3. c. 7. §. 16. de causali propositione agens , versansque hæc eadem quæ tradidimus : *Gli Europei*, inquit, *hanno piantato in America delle Colonie per amor di fondarvi il Christianesimo , è falsa per le stesse ragioni , cioè perchè lo fecero prima per vivere , poi per ambizione d' arricchirsi , e di comandare.* Hoc est , *Europei constituerunt colonias in America , amore ducti fundandi ibi Christianam Religionem. Id falsum est ob easdem rationes ; quippe id effecerunt primum , ut necessitatibus vitæ providerent , deinde propter ambitionem divitiarum , & imperii.* En ambitionis damnat , non modo singulares homines Europeos , qui in Americam perrexerunt , sed Reges etiam piissimos , & Magistratus, qui illuc Colonias transmiserunt , præcipuamque adhibuerunt , atque adhibent curam , ut Christiana Religio in illis Regionibus dilatetur , nullis parcentes sumptibus.

(2) Particula *&* aliquando vim habet comparandi , v. g. cum dicitur Prov. 25. v. 23. *Ventus aquilo dissipat pluvias , & facies tristis linguam detrahentem* : nam sensus est , ita faciem tristem dissipare linguam detrahentem , ut ventus aquilo dissipat pluvias.

(3) S. Augustinus Ser. 14. in Psal. 118. n. 1. explicans verba illa : *Et custodiam legem tuam semper... Et ambulabam in latitu-* » *dine* : » Copulativa , *inquit* , conjunctio *&* veluti inconsequens posita est, » quia non ait , *&* *ambulabo* , quomodo dicebat , *&* *custodiam legem* » *tuam semper*.... Nimirum ergo quod non dixit intelligi voluit , id est, » exauditum fuisse ; ac deinde subjunxit , qualis factus fuerit". Vide S. Gregor. M. Hom. 2. in Ezech. ubi explicat , quare Ezechiel Prophetiam exorsus sit ab illis verbis , *Et factum est in trigesimo anno*, cum tamen particula *&* sit signum conjunctionis , nec possit sermo subsequens conjungi , nisi sermoni præcedenti. Ait autem : » Hoc ver- » bum quod foris protulit , illi verbo , quod intus audierat , conjunxit."

(4) Vide S. August. l. 2. con. litt. Petiliani c. 7. n. 16. ubi rejicit tamquam falsam hanc ejusdem Petiliani copulativam : *Ambo vitam Baptismi non habent , & qui numquam penitus habuit , & qui habuit, & amisit.*

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ.

Ad ejus veritatem sufficit, alterutram partem esse veram; nam ejus veritas posita est in separatione veritatis, & falsitatis. Quod si omnes partes possint esse falsæ, propositio est vitiosa (1): ut si dicam, Petrus aut ambulat, aut sedet; potest enim neque ambulare, neque sedere, sed stare.

49. *Relativa* propositio componitur ex simplicibus comparatis inter se; quæ quidem comparatio exprimitur particulis, *sic, sicut, ita, prius, post* &c. ut illud Psal. 126. v. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.* Ut sit vera, comparatio consistere debet.

50. *Discretiva* propositio dicitur illa, in qua propositiones simplices conjunguntur particulis *sed, verum, tamen, nihilominus* &c. ut illud:

Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

Ut sit vera, ejus partes debent esse veræ, & quamdam inter sese veluti oppositionem habere.

CAPUT VII.

De propositionibus incidentibus, & exponibilibus.

51. Propositiones complexæ interdum alias propositiones continent, quæ vocantur *incidentes* (2): ut *vir qui peccavit, ipse morietur*; verba *qui peccavit*, propositionem incidentem exprimunt (3). Quo plures fuerint propositiones incidentes, pro-

(1) Hujusmodi est propositio disjunctiva, quam Genuensis adfert in exemplum, Log. Ital. l. 3. c. 7. §. 14. *Qui detrectat portare eam publicorum onerum partem, quæ proportionalis est ejus potentiæ physicæ, debet aut non esse Civis, id est, ligatus corpori civili per aliquod sociale pactum, vel per aliquod beneficium; aut non esse homo, id est animal sensitivum hujus ligaminis; aut non agnoscere aliquam divinitatem.* Vitiosa est hæc disjunctiva: nam potest quis *ex privilegio* non esse subjectus oneribus publicis. Intelligi autem vix, aut ne vix quidem potest, quid sibi velit disjunctio illa, *aut non agnoscere aliquam divinitatem.* Quid enim hoc cum detrectatione subeundi publica onera? An qui hæc detrectat, continuo erit Atheus?

(2) *Incidentes* dicuntur, quia forte incidunt in aliam propositionem, quæ est præcipua. *Incidentes* loco subjecti habent pronomen *qui.*

(3) Propositio *incidens* quandoque afficit subjectum, ut, *Elias qui fuit Tesbites, discipulum habuit Eliseum.* Aliquando afficit prædicatum ut *Abrahamus fuit pater Isaaci, qui fuit pater Jacobi.* Aliquando afficit copulam, ut, *statutum est hominibus semel mori.*

positio eas continens, magis erit complexa. Ne decipiamur, incidentes separandæ sunt (1).

52. Extant quædam propositiones compositæ, quarum compositio non statim menti occurrit, sed postquam fuerint expositæ, ac declaratæ. Hæ vocantur *exponibiles*; & propositiones quibus illæ declarantur, dicuntur *exponentes*.

53. Exponibilium quatuor sunt species, *exclusiva*, *exceptiva*, *comparativa*, *reduplicativa*.

54. *Exclusiva* est quæ afficitur aliquo signo denotante exclusionem, *solum*, *tantum*, *duntaxat*. Hæ particulæ si afficiunt prædicatum, excludunt à subjecto omne aliud prædicatum, quod non est cum ipso connexum: ut si dicam, *linea est tantum longa*, significo, lineam nihil aliud habere, quam longitudinem (2). Si autem afficiunt subjectum, excludunt omne aliud subjectum à participatione prædicati: ut si dicam, *tantum linea est longa*, significo, nihil aliud à linea habere longitudinem (3). Exponitur propositio exclusiva per duas simplices, quarum una affirmat, altera negat, v. g. hæc propositio, *dumtaxat corpus est trine dimensum*, exponitur sic: *corpus est trine dimensum, & nihil aliud à corpore habet trinam dimensionem.*

---

(1) *Incidentes* aliquando explicant tantum subjectum, vel prædicatum, ut *Pythagoras qui fuit Samius, instituit sectam Italicam.* Quandoque determinant subjectum, vel prædicatum, ut, *Romani qui sub Cæsare pugnabant, vicerunt Gallos.*

(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 31. a. 3. sq. ubi etiam explicat, qua ratione dictio *exclusiva* possit in Divinis adjungi terminis cum essentialibus, tum personalibus. Vide etiam S. Augustinum l. 6. de Trin. cap. 7.

(3) Genuensis Log. Ital. l. 3. c. 7. §. 21. ut ostendat, raro posse hujusmodi propositiones exclusivas effici sine temeritate, inquit: *Io non direi, l' uomo solo è un essere razionale.* Hoc est: *Minime dicerem: homo solus est ens rationale.* Cur non diceret? An fortasse cum hæc scribebat in Lockii sententia erat, non esse hactenus demonstratum, materiam cogitationis, adeoque, ratiocinationis incapacem esse? Scimus, hunc Lockii errorem fuisse ab Genuensi impugnatum Metaph. p. 3. c. 1. prop. xi. Quare ergo in Logica Itala, quæ ut ex ejusdem Præfatione constat, postremum opus est, quod publici juris fecit, non ausus fuit adserere solum hominem esse ratione præditum? Sed quis reponet: animæ brutorum ex Genuensis sententia sunt spirituales. Quid hoc? Anne Genuensis ipse affirmat Metaph. loc. cit. prop. 15. §. 20. *in brutis nullum esse intellectum, nullam rationem*? Quod si nullus in brutis est intellectus, & nulla ratio, quid restat, nisi ut homo solus sit ratione præditus, adeoque rationalis?

55. Propositio *exceptiva* afficitur dictione *præter*, aut similibus, ut, *omne animal præter hominem est ratione destitutum.* Exponitur per propositionem incidentem : *omne animal quod non est homo, est ratione destitutum.*

56. Propositio *comparativa* exponibilis est, quæ afficitur comparativo, ut Luc. 16. v. 8. *Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* (1). Exponitur tribus propositionibus, quarum una affirmatur positivum de re excedente; altera affirmatur idem positivum de re excessa ; tertia affirmatur excessus (2).

57. *Reduplicativa* propositio est, quæ afficitur particulis reduplicantibus subjectum, vel prædicatum ; ut Christus passus est ut homo, vel secundum humanam naturam : homo qua homo, est rationalis (3). Exponitur per causalem, v. g. Christus, quia est homo, passus est.

---

(1) Aliquando comparativum ponitur loco positivi. S. Hieronymus in Apol. adv. Jovin. explicans verba Apostoli 1. Cor. 7. v. 9. *Melius est nubere, quam uri* : » Melius est, *inquit*, nubere, quia » pejus est uri, melius semper ad comparationem deterioris respicit, » non ad simplicitatem incomparabilis per se boni, velut si diceret: » melius est unum oculum habere, quam nullum .... Si dixero : me- » lius est Virginem esse, quam nuptam, bono melius prætuli ; si » autem alterum gradum fecero, melius est nubere quam fornicari, » ibi non bono melius, sed malo bonum prætuli." Aliquando etiam positivum pro comparativo ponitur, ut Psalm. 117. v. 8. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.* Bonum, id est, *melius.* Siquidem Hebræi comparativis carent.

(2) Genuensis loc. cit. §. 22. mendacium officiosum probat ex illis Tassi versibus.

Magnanima menzogna ; or quando è il vero
Si bello, che si possa à te preporre!

Id est, *Magnanimum mendacium : quod autem est tam pulchrum verum, quod anteferri tibi possit!* Quasi non Ecclesiæ decretis in re tam gravi, sed Poetæ dictis stare deberemus.

(3) Ejusmodi particulæ quandoque accipiuntur *reduplicative*, cum scilicet applicant rationem causæ, propter quam aliquid est tale, ut, *justus, qua justus, diligit Deum.* Quandoque accipiuntur *specificative*, cum scilicet applicant subjecto formalem, & specificum conceptum prædicati, ut, *homo, qua homo, sentit.* Hæc propositio *specificative* vera est, quia licet homo non sit propria ratio sentiendi, revera tamen sentit. At *reduplicative* falsa est, quia non ut homo, sed ut animal sentit. Sic *specificative* vera est hæc propositio, *homo, qua homo, videbit Deum*; falsa est *reduplicative.*

CAPUT VIII.

De quibusdam propositionibus usu receptis apud Philosophos, & Geometras.

58. Propositio quælibet vel est *theoretica*, vel *practica*. Theoretica est, quæ simpliciter aliquid enunciat, non relatum ad opus, v. g. *Deus est*. Practica enunciat aliquid relatum ad opus, ut, *Deus est diligendus*.

59. Si propositio theoretica cognoscitur esse vera sine ulla probatione ex sola perceptione terminorum, dicitur *Axioma*, sive *Dignitas* (1) ut, *omne totum est majus sua parte*. Propositio autem practica quæ plane constat ex terminis, in Geometricis dicitur *postulatum*, ut, *à puncto ad punctum rectam lineam ducere*; in reliquis scientiis practicis dicitur principium practicum, ut, *parentes sunt honorandi* (2).

60. Quod si propositio theoretica est illata per ratiocinationem, dicitur *Theorema*. Si autem propositio practica est similiter illata; in Geometricis dicitur *Problema* (3), in reliquis scientiis nomen retinet propositionis practicæ.

61. Propositiones minus principales ex principalibus illatæ, dicuntur *Corollaria*. Propositiones, quæ adduntur ad majorem explicationem dicuntur *Scholia*, sive *Adnotationes*. Denique propositiones, quæ statuuntur ad aliam propositionem probandam, dicuntur *Lemmata*, sive *sumptiones*.

CAPUT IX.

De Proprietatibus propositionum, & primum de suppositione.

62. Propositionum proprietates quædam sequuntur ejus partes, scilicet, terminos; quædam totam propositionem. Quæ sequuntur terminos, prout sunt in ipsa propositione, (4) quinque recensentur, *Suppositio*, *Appellatio*, *Ampliatio*, *Restrictio*,

---

(1) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 5. & lect. 19.
(2) Confer S. Thom. 1. 2. q. 94. a. 2.
(3) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 5.
(4) In propositione, *inquam*: nam extra propositionem nullo modo terminis attribui possunt. Quare potius propositionis, quam terminorum sunt proprietates.

& *Alienatio.* Quæ sequuntur totam propositionem, sunt tres *Oppositio*, *Æquipollentia*, *Conversio.*

63. Suppositio (1) definitur : *positio termini pro aliquo, de quo verificatur* (2). Dicitur *positio pro aliquo*, quia terminis utimur loco rerum quas non licet in medium afferre. Dicitur, *de quo verificatur*, ipsa, scilicet, aceptio termini : nam ut terminus vere supponat, non requiritur quidem, ut propositio sit vera ; sed tamen necesse est, ut id pro quo significando terminus ponitur in propositione, revera sit, prout copula exigit; v. g. si dico, *homo est lapis*, propositio falsa est, & nihilominus *homo* veré supponit, quia revera homo est. At si dico, *Antichristus fuit*, non modo propositio est falsa, sed dicitur *de subjecto non supponente*, & negatur *suppositum* ; quippe terminus *Antichristus* non respondet rei significatæ, prout copula exigit ; Antichristus enim non fuit, sed erit.

64. Dividitur *suppositio* in *materialem*, & *formalem. Materialis* est positio termini pro se ipso, seu pro ipsa voce, ut Luc. 1. v. 63. *Joannes est nomen ejus.* Suppositio *formalis* est positio termini pro eo quod significat, ut cum dicitur Act. 1. v. 5. *Joannes baptizavit aqua.*

65. Secundo dividitur *suppositio* in *propriam*, & *impropriam.* Illa est acceptio termini pro eo ad quod significandum talis terminus est institutus, ut cum dico *leo rugit*, accipio *leonem* pro animali quod proprie significat. *Impropria* est acceptio termini pro eo quod metaphorice significat, ut cum dico, *vicit Leo de Tribu Juda*, *Leo* accipitur pro Christo (3).

---

(1) *Suppositio* denominatur à *supposito* : nam nomina substantiva supponunt : *nomina autem substantiva ferunt suum suppositum, adjectiva vero non, sed rem significatam ponunt circa substantivum.* S. Thomas 1. p. q. 39. a. 5. ad 5. Quid autem ex ejusmodi doctrina inferat idem S. Thomas, vide in eodem art. ubi ostendit, in Divinis ea quæ sunt propria Personarum, quibus invicem distinguuntur, non posse essentiæ attribui.

(2) In terminis non est idem significare, ac supponere : quia terminus significat tam extra, quam intra propositionem, sed non supponit, nisi in ipsa propositione ; v. g. *homo* significat animal ratione præditum ; sed cum dico, *homo est justus*, *homo* accipitur insuper pro subjecto, cui applicatur *justitia* per verbum *est.* Vide S. Thom. q. 9. de pot. a. 4. & in 3. d. 6. q. 1. a. 3.

(3) S. Augustinus l. 2. de Doct. Christ. cap. 10. » Propria, *in-*» *quit*, dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas » sunt instituta, sicut dicimus Bovem, cum intelligimus pecus, quod » omnes nobiscum latinæ linguæ homines hoc nomine vocant. Trans-

66. Tertio dividitur suppositio in *simplicem*, & *realem*. *Simplex* est acceptio termini communis pro eo quod *immediate* significat (1). Realis est acceptio termini pro eo quod significat tam *immediate*, quam *mediate*. Utraque autem vel est *communis*, vel *singularis*.

67. Quarto dividitur *suppositio in collectivam*, *distributivam*, *disjunctivam*, & *confusam*. Et quidem si terminus communis accipiatur pro omnibus, quæ significat, simul sumptis, ut *Planetæ sunt septem*, dicitur supponere *collective*. Si accipiatur pro omnibus, & singulis quæ significat, ut *omne animal moritur*, dicitur supponere *distributive* (2). Si pro aliquo, vel aliquibus tantum determinatis, ut 1. Reg. 13. v. 14. *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum*, dicitur supponere *disjunctive determinate*. Si autem pro aliquo, vel aliquibus *indeterminate*, dicitur supponere *confuse*, ut *aliquis cibus est necessarius ad vitam*.

68. Hæc sunt accurate animadvertenda: nam si inter argumentandum varietur suppositio (3), argumentatio non valet; quippe termini non eodem modo accipiuntur; adeoque sunt plusquam tres contra legem argumentationis, ut infra dicemus.

» lata sunt, cum & ipsæ res, quas propriis verbis significamus, ad aliud » aliquid significandum usurpantur, sicut dicimus Bovem, & per has » duas syllabas intelligimus pecus, quod isto nomine appellari solet: » sed rursus per illud pecus intelligimus Evangelistam, quem significat » Scriptura, interpretante Apostolo, dicens: *Bovem triturantem non* » *infrenabis.*"

(1) Termini duas habent significationes, alteram immediatam, alteram mediatam. Sic *homo* immediate significat naturam, & speciem humanam; mediate singulos homines. Contra *Petrus* immediate significat hominem singularem, & mediate naturam humanam. Vide S. Thom. 1. p. q. 39. a. 4. Quare cum dico, *homo est species animalis*; *Petrus est individuum naturæ humanæ*; accipio immediatam significationem *hominis*, & *Petri*. Si autem dico, *homo est animal*; *Petrus est homo*; accipio *hominem*, & *Petrum* pro utraque significatione.

(2) Vide quæ diximus §. 33. sqq.

(3) A suppositione impropria ad propriam argumentabatur Adversarius legis, & Prophetarum, dum ex eo quod dicitur Lev. 17. v. 14. *Anima omnis carnis in sanguine est*, inferebat, ex veteri Testamento animam esse mortalem. Cui S. Augustinus l. 2. con. eumdem c. 6. respondet: » Sic dictum est, *Anima omnis carnis sanguis est*, quomodo » dictum est, *Petra erat Christus*, non quia hoc erat, sed quia hinc » significabatur." A supossitione materiali ad formalem procedit illud sophisma, de quo Clemens Alex. Strom. 8. ait: » Illud quoque sophis» ma sic solvitur: *Quod tu dicis, transit per os tuum*: quod quidem

CAPUT X.

De Appellatione.

69. Altera proprietas quæ terminos in propositione consequitur, est *Appellatio* (1), sive *applicatio, qua significatio unius termini speciali modo adjungitur significationi alterius* (2). Si applicatio fiat supra subjectum, non ratione formæ, appellatio vocatur *materialis*; ut si dicam, *Basilius Magnus fuit Theologus*, τὸ *Theologus* applicatur subjecto id est, *Basilio*, non ratione formæ, id est, non qua ratione fuit *magnus*. At vero si applicatio fiat supra subjectum ratione formæ, appellatio dicitur *formalis*; v. g. si dicam, *Basilius fuit magnus Theologus*, τὸ *Theologus* applicatur *Basilio* ea ratione, qua *magnus* fuit (3).

» est verum. *Domum autem dicis, Domus ergo transit per os tuum.* » Quod quidem est verum; neque enim domum dicimus, quæ est cor» pus, sed casum qui est incorporeus." Vide S. August. l. de Magistro c. 8. A suppositione confusa, & indeterminata ad distributivam arguunt Lutherani, dum ex eo quod dicitur Gen. 1. v. 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, inferunt, præceptum generandi filios, & uxorem ducendi, singulis hominibus esse impositum. A suppositione distributiva ad collectivam arguunt Athei, dum statuunt, ita in singulis entibus unum pendere ab alio, ut in tota entium collectione in infinitum, nullum sit invenire, quod ab alio non pendeat.

(1) Appellare apud Grammaticos idem est, ac *nominare*. Non ita apud Logicos.

(2) Non quælibet applicatio prædicati ad subjectum, dicitur *Appellatio*, sed solum illa, qua prædicatum sub speciali respectu, & modificatione subjecto applicatur, ut in exemplo allato; id enim pertinet ad significandum diverso modo veritatem: simplex autem applicatio prædicati ad subjectum, nihil differt ab enunciatione, quæ nulla esse potest, nisi prædicatum subjecto applicetur.

(3) Quare si subjectum propositionis sit terminus substantivus cum adjectivo, appellatio est *materialis*. Tunc enim adjectivum se tenet ex parte subjecti. Sic cum dicitur 1. Cor. 25. v. 53. *Oportet, corruptibile hoc* (scilicet corpus) *induere incorruptionem*, incorruptio appellat *corpus*, non autem *corruptibile*, ita ut sensus sit, corpus hoc quod alias corruptibile est, induet incorruptionem." » Non enim (inquit S. Au» gustinus in Psalm. 141.) corpus non erit, cum corpus resurgat, sed » quid ibi non erit? corruptio. *Corruptibile enim hoc induet incorruptio*» *nem.*" Si autem terminus adjectivus sequatur verbum, appellatio est formalis; quia tunc adjectivus se tenet ex parte prædicati. Hinc falsa est

70. Aliquando in propositione subjectum est terminus concretus : & quia terminus concretus duo significat , formam , & subjectum , ut supra diximus (1) ; tunc prædicatum appellat ipsum subjectum , non formam subjecti (2).

71. Termini numerales applicati nominibus subtantivis , appellant formam ; ideoque multiplicant formam. Si autem applicentur nominibus adjectivis , appellant subjectum (3). Hæc licet à plerisque junioribus Logicis nihili fiant ; nihilominus sunt apprime necessaria iis præsertim , qui ad Sacram Theologiam comparari debent.

---

hæc propositio , *Christus est homo æternus* ; nam *τὸ æternus* appellat non Christi Personam , quæ æterna est , sed humanam naturam , quæ cœpit in tempore. Vera est autem propositio , si dicam , *Christus æternus est homo* , quia *τὸ æternus* appellat suppositum divinum , quod est æternum.

(1) §. 7. (2) Hac doctrina nixus S. Thomas 3. p. q. 16. a. 7. ad 4. ostendit falsam esse hanc propositionem , *Homo factus est Deus* ; hanc aliam veram esse , *Deus factus est homo* : » Dicendum , *inquit* , quod » terminus in subjecto positus tenetur materialiter , id est pro supposito: » positus vero in prædicato , tenetur formaliter , id est , pro natura signi- » ficata. Et ideo cum dicitur , *Homo factus est Deus* , ipsum fieri non » attribuitur humanæ naturæ , sed supposito humanæ naturæ , quod est » ab æterno Deus ; & ideo non convenit ei fieri Deum. Cum autem di- » citur , *Deus factus est homo* , factio intelligitur terminari ad ipsam » humanam naturam. Et ideo proprie loquendo , hæc est vera , *Deus » factus est homo* : sed hæc est falsa , *Homo factus est Deus*..... Si ta- » men ex parte subjecti poneretur aliquod nomen significans naturam » humanam in abstracto , posset hoc modo significari ut subjectum fac- » tionis , puta si dicatur , quod *natura humana facta est Filii Dei.*" Vera igitur est propositio , *Deus factus est homo* , quia Verbi divini suppositum , quod Deus est , vere assumpsit humanam naturam. Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est.* At falsa est propositio , *Homo factus est Deus* , quia idem suppositum Verbi Deus est ab æterno , non factus, sed genitus. Vide Damasc. I. 3. de Fide c. 2.

(3) Ut enim advertit S. Thomas 1. p. q. 39. a. 3. » Nomina subs- » tantiva significant aliquid per modum substantiæ ; nomina vero ad- » jectiva significant aliquid per modum accidentis , quod inhæret sub- » jecto. Substantia autem sicut per se habet esse , ita per se habet uni- » tatem , vel multitudinem. Unde & singularitas , vel pluralitas nomi- » nis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen. » Accidentia autem sicut esse habent in subjecto , ita ex subjecto susci- » piunt unitatem , & multitudinem ; & ideo in adjectivis attenditur sin- » gularitas , & pluralitas secundum supposita." Quid autem inde Angelicus inferat , attende : nam subdit : » In Divinis autem essentia Divi-

CAPUT XI.

De Ampliatione, Restrictione, & Alienatione.

72. *Ampliatio* est extensio termini à minori ad majorem significationem ; ut cum ait Apostolus Rom. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit*, τὸ *vocavit* extendi etiam debet ad tempus præsens, & futurum (1).

73. *Restrictio* è contra est coarctatio termini à majori ad minorem significationem ; ut cum dicitur Eccli. 33. v. 3. *Homo sensatus credit legi Dei*, τὸ *sensatus* restringit significationem hominis, ne accipiatur pro omnibus hominibus (2).

74. *Alienatio* est remotio propriæ significationis ab aliquo termino translato ad impropriam significationem ob aliquem ter-

---

» na significatur per modum formæ, quæ quidem simplex est, & ma» xime una. Unde nomina significantia Divinam essentiam substantive, » singulariter, & non pluraliter de tribus Personis prædicantur. Hæc » igitur est ratio, quare Sortem, & Platonem, & Ciceronem dicimus » tres homines ; Patrem autem, & Filium, & Spiritum Sanctum non » dicimus tres Deos, sed unum Deum ; quia in tribus suppositis huma» næ naturæ sunt tres humanitates ; in tribus autem Personis est una Di» vina essentia. Ea vero quæ significant essentiam adjective, prædican» tur pluraliter de tribus, propter pluralitatem suppositorum. Dicimus » enim tres existentes, vel tres sapientes, aut tres æternos, & increa» tos, & immensos, si adjective sumantur. Si autem substantive suman» tur, dicimus unum increatum, immensum, & æternum, ut Atha» nasius dicit."

(1) In sacris Litteris propositiones præteriti temporis, sæpe ad futurum sunt extendendæ. Vide S. Augustinum I. de Cor. & grat. c. 9. n. 3.

(2) Idem Augustinus l. 1. con Jul. c. 6. n. 22. explicans verba Chrysostomi à Pelagianis objecta, ut ostenderent, infantes non contraxisse peccatum originale : » Peccata, *inquit*, dixit parvulos non habe» re, sed *propria*." Cur autem Chrysostomus non ita restrinxerit, ipse Augustinus exponit, subdens : » At, inquies, cur non ipse addidit *pro*» *pria* ? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia non se » aliter intelligi arbitrabatur?" Qua ex re consequitur primum, neque restrictione, neque ampliatione esse utendum pro libito, sed ad rationem, & pro veritate. Deinde, ampliationem, & restrictionem adhibendam esse in explicandis aliorum, præcipue Sanctorum Patrum sententiis, si quæ videantur à veritate alienæ, habita ratione temporis, in quo vixerunt, & aliarum circumstantiarum. Vide S. Thom. 1. p. q. 32. a. 4.

minum adjunctum ; ut cum Christus dicitur *sol justitiæ*, vox *justitiæ* transfert vocem *sol* ad significationem impropriam.

CAPUT XII.

De Propositionum oppositione.

75. Post explicatas proprietates propositionum spectantes ad partes, ex quibus propositiones componuntur, restat dicere de proprietatibus, quæ propositiones consequuntur, quatenus una comparatur cum alia, scilicet, de *Oppositione*, *Æquipollentia*, & *Conversione*.

76. *Oppositio* igitur est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem (1). Propositiones autem affirmantes, aut negantes, vel sunt ambæ universales, ut, *Omnis homo est animal* ; *Nullus homo est animal* : & tunc oppositio dicitur *contraria* (2). Vel una est universalis, altera particularis, ut, *Omnis homo est justus* ; *aliquis homo non est justus* : tunc vero oppositio dicitur *contradictoria* (3). Vel utraque propositio est particularis : & oppositio dicitur *subcontraria* (4), ut *aliquis homo disputat*, *ali-*

(1) Vide S. Thom. 1. Perih. lec. 9.

(2) » Hujus ratio est (inquit S. Thomas ib. lect. 10.) quia con-» traria dicuntur quæ maxime à se distant ; non enim dicitur aliquid » nigrum ex hoc solum, quod non est album ; sed super hoc quod est » non esse album, quod significat communiter remotionem albi, addit » nigrum extremam distantiam ab albo. Sic igitur id quod affirmatur » per hanc enunciationem ; Omnis homo est albus, removetur per hanc » negationem : Non omnis homo est albus..... Et ideo convenienter hanc » oppositionem (Aristoteles) dicit contrarietatem."

(3) Contradictoriæ quoque sunt propositiones singulares quarum una affirmat, altera negat : » In contradictoriis (ait S. Thomas ib lec. 11.) » negatio non plus facit, nisi quod removet affirmationem. Quod » contingit dupliciter. Uno modo, quando est altera earum universa-» lis, altera particularis. Alio modo quando utraque est singularis; » quia tunc negatio ex necessitate refertur ad idem.... Et ideo singularis » affirmativa semper contradicit singulari negativæ, supposita identita-» te prædicati, & subjecti."

(4) Subcontraria oppositio proprie non est oppositio : nam ut advertit S. Thomas. loc. cit. » particularis affirmativa, & particularis nega-» tiva non habent, proprie loquendo, oppositionem, quia oppositio at-» tenditur circa idem subjectum : subjectum autem particularis enun-» ciationis est universale particulariter sumptum, non pro aliquo deter-» minato singulari, sed indeterminato pro quocumque. Et ideo cum de

quis homo non disputat. Triplex est igitur propositionum oppositio (1), *contraria*, *contradictoria*, *subcontraria* (2).

77. Ut propositiones sint oppositæ, requiritur, ut affirmatio, & negatio sint ejusdem prædicati de eodem subjecto secundum idem (3). Quare si prædicatum, aut subjectum vel minimum varientur, nulla erit oppositio.

» universali particulariter sumpto aliquid affirmatur vel negatur, ipse » modus enunciandi non habet, quod affirmatio, & negatio sint de eo» dem : quod requiritur ad oppositionem affirmationis, & negationis."

(1) Quidam addunt oppositionem *subalternam*, quæ est inter duas propositiones affirmantes, aut negantes, quarum una est universalis, altera particularis, ut *omnis homo est justus*, *aliquis homo est justus*. Sed hæc vera oppositio non est: nam universale, & particulare inter se revera non opponuntur, sed, ut ait S. Thomas loc. cit. lect. 9. *affirmatio*, *& negatio oppositæ sunt secundum se.* Quare hujusmodi propositiones possunt esse simul veræ, vel simul falsæ, aut una vera, altera falsa.

(2) Quæri hic potest, an propositiones indefinitæ, affirmantes, & negantes idem de eodem, sint oppositæ. Dicendum est autem, ejusmodi propositiones, si necessariæ sint, esse revera oppositas, quia æquivalent universalibus, ut diximus §. 35. Si autem sint contingentes, proprie non opponi inter se, quia æquivalent particularibus, ut ib. diximus: particulares autem proprie non opponuntur, ut animadvertimus not. superiori. »In indefinitis enunciationibus (ait S. Tho» mas 1. Perih. lect. 10.) non determinatur, utrum prædicatum at» tribuatur subjecto universaliter, quod faceret contrarietatem enun» ciationum; aut particulariter, quod non faceret contrarietatem enun» ciationum .... Contingit tamen quandoque ratione significati eas ha» bere contrarietatem, puta, cum attribuitur ei aliquid universaliter » ratione universalis, quamvis non apponatur signum universale, ut » cum dicitur, Homo est animal, Homo non est animal, quia hæ » enunciationes eamdem habent vim ratione significati, ac si dicere» tur, Omnis homo est animal, Nullus homo est animal."

(3) S. Thomas ib. lect. 9. »Oportet, opposita esse circa idem; » & quia enunciatio constituitur ex subjecto, & prædicato, requiri» tur ad contradictionem (idem dic de contrarietate) primo quidem, » quod affirmatio, & negatio sint ejusdem prædicati; si enim dica» tur, *Plato currit*, *& non disputat*, non est contradictio. Secun» do requiritur, quod sint de eodem subjecto : si enim dicatur, » *Sortes currit*, *& Plato non currit*, *& non disputat*, non est con» tradictio. Tertio requiritur, quod identitas prædicati, & subjecti » non sit solum secundum nomen, sed sit simul secundum rem, & » nomen,... Sunt autem & quædam alia in contradictione observanda » ad hoc quod omnis diversitas, quæ est affirmationis, & negatio-

78. Propositiones *contradictoriæ* numquam possunt esse simul veræ, nec simul falsæ; alioqui idem simul esset, & non esset, quod plane repugnat.

79. *Contrariæ* non possunt esse simul veræ; quia contradictoriæ essent simul veræ: nam si essent veræ hæ duæ contrariæ, *Omnis homo est justus*, *Nullus homo est justus*, essent pariter veræ hæ duæ particulares, *Aliquis homo est justus*, *Aliquis homo non est justus*; fieri enim non potest, ut universalis sit vera, quin veritas habeatur omnium, & singulorum particularium (1). Possunt tamen propositiones *contrariæ* esse simul falsæ, si sint contingentes; tam enim falsa est hæc, *Omnis homo est justus*, quam ejus contraria, *Nullus homo est justus*. Nec sequitur duas contradictorias esse simul falsas; quippe ex falsitate universalis non recte infertur in materia contingenti falsitas particularis (2).

80. *Subcontrariæ* nunquam possunt esse simul falsæ, possunt tamen esse simul veræ in materia contingenti. Nam si si-

---

» nis habeatur; non enim esset contradictio, si non omnino idem » negaret negatio, quod affirmatio affirmaret. Hæc autem diversitas » potest secundum quatuor considerari. Uno quidem modo secundum » diversas partes subjecti; non enim est contradictio, si dicatur, » *Æthiops est albus dente, & non est albus pede.* Secundo, si sit » diversus modus ex parte prædicati; non enim est contradictio, si » dicatur, *Socrates currit tarde, & non movetur velociter* .... Tertio, » si sit diversitas ex parte mensuræ, puta loci, vel temporis; non » enim est contradictio, si dicatur, *pluit in Gallia, & non pluit* » *in Italia*; aut, *pluit heri, hodie non pluit.* Quarto, si sit diver- » sitas ex habitudine ad aliquod extrinsecum, puta, si dicatur, *de-* » *cem homines esse plures quoad domum, non autem quoad forum.*" Itaque oppositio propositionum esse non potest, nisi sit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundum idem. Quare hæ propositiones non sunt oppositæ, *Christus est minor Patre*, *Christus non est minor Patre*, sed, *æqualis Patri*; nam non est affirmatio, & negatio secundum idem; est enim Christus minor Patre, secundum humanam naturam, non est minor, sed æqualis Patri, secundum divinam naturam.

(1) Vide S. August. l. 6. con. Julian. c. 3. ubi hac doctrina Julianum refellit.

(2) Vide S. Thom. 1. Perih. lect. 13. Cur autem duæ *contradictoriæ* numquam possint esse simul falsæ, bene autem duæ *contrariæ*, ratio est, quia inter *contradictorias*, nihil est medium, quod inter esse, & non esse inveniri non potest. At vero inter *contrarias* mediæ sunt *subcontrariæ*, quæ aliquando sunt simul veræ; tunc autem *contrariæ* debent esse simul falsæ.

mul essent falsæ, earum contradictoriæ essent veræ; v. g. si hæ *subcontrariæ*, *Aliquis homo est justus*, *Aliquis homo non est justus*, essent simul falsæ, veræ forent hæ, *Omnis homo est justus*, *Nullus homo est justus*. Hæ autem sunt contrariæ; igitur duæ contrariæ essent simul veræ, quod esse non potest, ut diximus (1). Possunt autem esse simul veræ in materia contingenti, uti veræ sunt, *Aliquis homo est justus*, *Aliquis homo non est justus*. Nec tamen sequitur, earum contradictorias esse simul veras, quia veritas propositionis particularis veritatem universalis non infert.

CAPUT XIII.

De Propositionum æquipollentia, & conversione.

81. Æquipollentia est duarum propositionum oppositarum reductio ad eamdem significationem, & sensum. Quod fit ope particulæ *non*. Contradictoriæ fiunt æquipollentes, si particula negativa præponatur signo sive universali, sive particulari alterutrius. Sic, *non aliquis homo non est mortalis*, æquivelet huic, *Omnis homo est mortalis* (2). In contrariis si particula negativa postponatur alterutrius subjecto, erunt æquipollentes. Nam si dicam, *Nullus homo non est mundus à sorde*, idem erit, ac si dicerem, *Omnis homo est mundus à sorde*, duæ enim negativæ affirmant. Subcontrariæ non possunt fieri æquipollentes: nam si particula negativa postponatur, ut in contrariis, particularis affirmativa evadet omnino eadem ac particularis negativa; non erit igitur inter illas æquipollentia, quæ

---

(1) §. 79. (2) Confer S. August. l. 6. con. Jul. c. 19. n. 60. ubi Juliano objicienti, *non omnium contrariorum esse reciprocationem*, respondet: » Dialecticas tenebras imperitis conaris offundere, » dicens *te cogitare non posse, in qua Dialexi invenerim contrario-* » *rum omnium reciprocationem* . . . Satis est, quod ipse dixisti, *in* » *nulla Dialexi posse inveniri contrariorum omnium reciprocationem*; » hinc enim ostendisti, *aliquorum esse posse, non omnium* . . . Si » enim dixisses, *contrariorum reciprocationem esse nullorum*, & per » hoc ostenderes, ea quæ posui contraria reciproca esse non posse, » quia nulla esse possunt; ego aliqua esse posse ostendere debui, & » deinde in his esse, quod posui. Sed esse aliqua jam ipse concedis, qui non dicis, nullorum contrariorum esse reciprocationem, sed » *non omnium*. Est igitur aliquorum. " Ex quibus perspicis, inutilia non esse quæ hic de æquipollentia tradidimus.

in una eademque propositione esse non potest. Denique subalternæ fiunt æquipollentes, si duæ negationes addantur, una ante, altera post subjectum. Hæc omnia isto versiculo comprehenduntur.

Præ contradic : post contra : præ, postque subalter (1).

82. Conversio propositionum est permutatio terminorum, id est, subjecti in prædicatum, & prædicati in subjectum, retenta veritate utriusque propositionis. Ac triplex est, *simplex*, *per accidens*, & *per contrapositionem*. Si servetur eadem quantitas cum sola permutatione prædicati, & subjecti, conversio dicitur *simplex*, ut *omnis homo est rationalis, omne rationale est homo*. Si permutatio fiat, variata quantitate, hoc est, mutata propositione universali in particularem, ut *Omnis homo est animal, aliquod animal est homo*, conversio dicitur *per accidens*. Si denique permutatio fiat, mutatis terminis finitis in infinitos, ut, *aliquis homo non est justus, aliquid non justum non est non homo*, conversio dicitur *per contrapositionem* (2).

---

(1) Æquipollentia præcipue valet ad cognoscendas significationes propositionum, quæ obscuræ apparent: v. g. Pelagiani, aliique Heterodoxi ex eo quod ait Christus Matt. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, inferebant, jusjurandum Christianis esse illicitum. Verum hoc sophisma facile dissolvitur, adhibita æquipollentia; hæc enim propositio *non jurare omnino*, non æquivalet huic universali, *omnino non jurare*, sed huic, *non omnino jurare*, id est, *non semper*, neque ex qualibet occasione: nam particula negativa præposita signo universali affirmativo efficit, ut propositio universalis affirmativa æquipolleat *particulari* negativæ.

(2) Propositiones *negativæ* universales, & particulares affirmativæ, quæmadmodum & singulares sive affirmantes, sive negantes, converti possunt *simpliciter*, ut, *nulla virtus est vitium*; *nullum vitium est virtus. Quoddam vitium est superbia*; *superbia est quoddam vitium*. Propositiones affirmativæ converti non possunt simpliciter, sed *per accidens*: nam affirmatio distribuit tantum subjectum, non prædicatum. Valet enim, *omnis homo est animal*, non valet, *omne animal est homo*; quare si conversio fiat, dicendum est, *aliquod animal est homo*. Convertuntur etiam *per accidens* propositiones universales negativæ. Denique universales affirmativæ, & particulares negativæ convertuntur per contrapositionem. Quæ ut facilius memoria teneantur, Scholastici his versibus comprehenderunt:

Simpliciter FECI convertitur, EvA per accid,
AstO per contra : sic fit conversio tota.

PARS TERTIA.

DE ARGUMENTATIONE, ET RELIQUIS SCIENDI MODIS.

83. Modus sciendi definiri solet, *Oratio ignoti manifestativa.* Duo autem sunt, quæ oratione fieri possunt manifesta, scilicet, vel aliquid incomplexum, vel aliqua veritas complexa. De eo autem quod est imcomplexum, ut triangulus, circulus, quadratum &c. vel est ignotum quid sit: idque explicatur *definiendo*; vel sunt ignotæ ejus partes ob earum confusionem, aut multitudinem: idque explicatur *dividendo.* Veritas autem complexa, si obscura est, manifestatur probatione: idque fit *argumentando.* Triplex est igitur modus sciendi, *Definitio, Divisio,* & *Argumentatio.*

CAPUT PRIMUM.

De Definitione.

84. Definitio, inquit Tullius (1), est *oratio quæ id quod definitur, explicat quid sit.* Sic explico quid sit homo, cum ipsum definio *animal ratione præditum* (2).

85. Duplex est definitio, alia *nominis*, alia *rei.* Illa explicat significationem, seu *quid* nominis: hæc explicat rem significatam per nomen, sive *quid* rei (3).

---

(1) Topic. 26. (2) A definitione proficisci debet omnis quæ de aliqua re suscipitur tractatio: nam ut Cicero ait Orat. 116. *Nisi inter eos qui disceptent, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec umquam ad exitum perveniri potest.* Vide S. Thom. 1. Perih. lect. 1.

(3) Utraque definitio differt, quia definitiones nominum mutari possunt, quemadmodum ipsa nomina; at definitiones rerum sunt eædem apud omnes. Vide S. Thom. loc. cit. Etsi autem definitiones nominum mutari possint, nihilominus, ut ipse S. Thomas advertit 1. Poster. lect. 4. *Significatio nominis accipienda est ab eo, quod communiter intendunt homines.* Nam si cuique liceret mutare definitiones nominum, & quod vocamus v. g. triangulum, appellare quadratum, homines non possent communicare inter se conceptiones suas, & socialis communicatio tolleretur. Confer S. Thom. 1. Perih. lect. 2.

86. Nomen tripliciter definiri potest, 1. per etymologiam explicando nominis originem, ut Gen. 2. v. 23. Eva dicta fuit *Virago*, quia *de viro sumpta*, interpretando nominis significationem, ut Rom. 8. v. 15. *In quo clamamus*, *Abba* (*Pater*) id-est, quod interpretatur *Pater*. Sic dicitur Theologia esse *sermo de Deo*, Philosophia, *studium*, *seu amor sapientiæ*, adsignando significatum, quod nomen præsefert, ut si dicam, *nomine corporis intelligitur substantia trine dimensa* (1).

87. Definitio rei triplex est, 1. *essentialis*, 2. *discriptiva*, 3. *causalis*.

88. Essentialis est, quæ explicat essentiam (2) rei per principia ipsam constituentia. Quæ quidem principia, si re ipsa distincta sunt, ut in homine anima, & corpus, definitio dicitur *essentialis physica*; si autem distincta sunt per intellectum, ut in homine animal, & rationale, definitio dicitur *essentialis metaphysica*.

89. Descriptiva definitio est, quæ explicat quid sit res per ejus attributa (3). Sic Cicero (4) definit hominem *animal providum*, *sagax*, *multiplex*, *acutum*, *memor*, *plenum rationis*, *& consilii*.

---

(1) Hæc nominis definitio principio tradenda est, cum de quavis re agimus, nisi forte adeo esset comperta, ut de ipsa minime foret laborandum. Ut enim observat S. Thomas 1. Poster. lect. 2. *Antequam sciatur de aliquo*, *an sit*, *non potest sciri proprie de eo quid sit. Non entium enim non sunt definitiones. Sed non potest ostendi de aliquo an sit*, *nisi prius intelligatur quid significatur per nomen.* Id etiam commodi consequitur ex præmissa definitione nominis, quod vitantur inutiles quæstiones de nominibus ob ambiguam eorum significationem minus explicatam: nam ut ipse S. Thomas advertit in 2. d. 3. q. 1. a. 1. *Sapientis est non curare de nominibus.* Vide S. August. l. de orig. an. c. 21.

(2) *Essentia* significat id quod primum in unaquaque re concipitur, eamque constituit; & ab omni alia re distinguit. Vocatur essentia ab eo quod est esse, sicut ab eo quod est sapere, vocatur sapientia. S. Aug. l. 12. de Civ. c. 2. Vocatur etiam *natura*, prout est principium operandi; nemo enim operari potest, nisi sit. Vide S. Thom. de Ente, & essen. c. 1. Vocatur insuper *quidditas*: nam cum quæritur, quid sit res, respondemus per ejus essentiam.

(3) Hac definitione frequentius utimur, quippe differentiæ rerum essentiales innotescunt per differentias accidentales. Vide S. Thom. loc. cit. c. 6.

(4) 1. de leg.

90. Quæ rem explicat per causas extrinsecas (1), appellatur definitio causalis. Causarum sunt quatuor genera, 1. *materialis*, 2. *formalis*, 3. *efficiens*, 4. *finalis*. *Materialis* est illa, *ex qua*, *& in qua aliquid fit* (2). *Formalis* alia est *intrinseca*, alia *extrinseca*. *Intrinseca* materiam constituit in determinato esse, ut forma domus. *Extrinseca* est exemplar, quod sibi ad imitandum quis proponit, ut in mente Architectoris est forma domus construendæ. *Efficiens* est, quæ vim continet aliquid producendi. *Finalis* est illa, cujus gratia aliquid fit. Definitio per causas *materialem*, & *formalem intrinsecam*, vel est essentialis, si materia, & forma pertineant ad essentiam rei; vel est descriptiva, si forma pertineat ad accidentia rei. Itaque definitio *caussalis* est, quæ rem explicat per causas *exemplarem*, *efficientem*, & *finalem*, ut si dicam, *Homo est ad imaginem Dei, creatus à Deo, propter vitam æternam.*

91. Quælibet definitio debet constare duplici ratione, quarum una significet id, quod res definita commune habet cum aliis; & hæc ratio vocatur *genus*: altera significet id, in quo res illa differt ab aliis; & hæc dicitur *differentia*. Itaque prima lex, & conditio bonæ definitionis est, ut constet ex *genere*, & *differentia* (3): ita enim totam rei naturam complectitur.

92. Altera conditio est, ut definitio non sit neque redundans, neque diminuta; nam si quidpiam redundaret, non explicaretur, quid proprie res sit; si quidpiam deesset, res non integre explicaretur (4).

93. Tertia conditio est, ut definitio sit clarior re definita; si enim esset obscurior, vel æque obscura, illam non explicaret (5).

---

(1) Per causas inquam, extrinsecas: nam causæ intrinsecæ essentiales, sunt ipsa principia constituentia.

(2) Cic. 3. de nat. Deor. (3) Differentia debet esse maxime propria, & genus debet esse propinquum; alioqui non explicaretur propria ratio rei definitæ. Quare si hominem definirem *substantiam viventem*, non esset bona definitio.

(4) S. August. l. 2. de Doct. Christ. c. 35. ait »neque in definiendo, aliquid complectendum esse, quod ad rem ipsam non pertinet, aut aliquid quod, pertinet prætereundum.«

(5) Id autem est intelligendum non absolute, sed habito respectu ad intellectum cognoscentem terminos, ex quibus definitio constat. Si imperito Geometriæ proponatur definitio Euclidea circuli, *Circulus est figura plana unius lineæ circuitu comprehensa, ad quam omnes à centro ductæ rectæ lineæ sunt æquales*: fortasse minus cla-

94. Quarta conditio est, ut definitum non ingrediatur definitionem; alioqui idem explicaretur per se ipsum.

95. Quinta conditio est, ut definitio converti possit cum re definita; aliter contineret aliquid quod non competeret definito (1).

96. Sexta conditio est, ut definitio sit brevis quam maxime fieri potest, ut quam naturam res definita habeat, deprehendi facile queat (2).

---

re intelliget circulum, cujus ideam ex sensibus perspicuam hausit. Vide S. August. l. 11. Confes. c. 14. Hæc minime animadvertunt, qui motus definitionem ab Aristotele traditam veluti obscuram reprehendunt.

(1) S. Augustinus l. de quant. ani. c. 25. *Definitio* inquit, *nihil amplius continet, quam id quod susceptum est explicandum, aliter omnino vitiosa est. Utrum autem hujusmodi vitiis careat, conversione exploratur.*

(2) Si quæras, quomodo quis possit definitionem alicujus rei inquirere, hæc accipe ex S. Thoma 2. Poster. lect. 16. *Si aliquis inquirit definitionem alicujus rei, oportet quod attendat ad ea, quæ sunt similia illi, & etiam ad ea, quæ sunt differentia ab illa re... Si quæramus, quid est magnanimitas?* (magnanimitas, inquam, quatenus est animi magnitudo, non quatenus est virtus; nam de virtute magnanimitatis alibi Thomas agit) *debemus attendere ad quosdam magnanimos, ut sciamus quid unum habent in se ipsis, in quantum magnanimi sunt. Sicut Alcides, id est, Hercules dictus est magnanimus, quod etiam Achiles, & etiam Ajax, qui omnes habent unum quid commune, quod est non sustinere injurias, quia Alcides non sustinens injurias dimicavit, Achilles vero in insaniam versus est propter iram, Ajax autem interfecit seipsum. Iterum debemus considerare in aliis qui dicuntur magnanimi, sicut in Lysandro, aut Socrate. Habent enim hoc commune, quod non mutabantur propter prosperitatem fortunæ, vel per infortunium, sed indifferenter se habebant in utrisque. Accipiamus ergo hæc duo, scilicet, impassibilitatem à fortuitis casibus, & non tolerare injurias, & consideremus, si est aliquid commune eis. In hoc enim consistit ratio magnanimitatis. Sicut si dicamus, quod utrumque contingit propter hoc, quod aliquis existimat se dignum magnis. Ex hoc enim contingit, quod homo non patitur injurias, & ex hoc contingit, quod & contemnit mutationem exteriorum bonorum tamquam minimorum. Si autem nihil commune inveniretur, illis duobus acceptis, non esset una species magnanimitatis, sed duæ. Unde non posset dari una communis definitio.*

CAPUT II.

De Divisione.

97. Divisio definitur *oratio rem explicans per suas partes* (1). Alia est generis in species. Sic bonum dividitur in honestum, utile, & delectabile. Alia est divisio totius in partes integrales, ut divisio corporis humani in caput, pedes, manus &c. divisio telluris in Europam, Asiam, Africam, & Americam. Alia accidentis in subjecta, ut 1. Cor. 15. v. 41. *alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum.* Alia subjecti in accidentia, ut equi alii sunt nigri, alii albi, alii rufi &c. Alia demum accidentis in accidentia, ut motus alius est velox, alius tardus (2).

98. Ut divisio recte fiat, sequentes regulæ statuuntur. Prima. Divisum debet excedere singulas partes dividentes: nam omne totum est majus sua parte.

99. Altera regula. Divisio debet esse integra, ita ut membra dividentia exhauriant totum divisum (3). Sic integra est divisio numeri in parem, & imparem; integra non esset, si numerus divideretur in binarium, & ternarium.

100. Tertia regula. Membra dividentia debent esse aliquo modo opposita, ita ut numquam coincidant: nam si unum cum altero coincideret, jam non essent plura, sed unum membrum. Ita Manichæi inepte dividebant peccatum in *peccatum oris, manus, & sinus* (4).

101. Quarta regula. Membra dividentia debent se invicem excludere, alioqui non essent opposita. Quare tellus non recte divideretur in Europam, & Italiam, quia Italia includitur in Europa.

102. Quinta regula. Divisio debet esse brevis quantum fieri potest: nam multitudo membrorum parit confusionem, quam

---

(1) Ut veritas inquiratur, valde utilis est divisio; nam ut observat: Clemens Alex. Strom. 8. » A divisione recurrimus ad ea quæ » sunt simpliciora, & magis principalia ... & sic accedimus ad id » quod quæritur, & non amplius suscipit divisionem." Divisio etiam mentem, & memoriam adjuvat: nam res distributæ per partes, & facilius cognoscuntur, & promptius, ac firmius memoriæ adhærent.

(2) Vide Clem. Alex. loc. cit.

(3) Vide S. August. l. 2. de mor. Manich. c. 10.

(4) Vide S. August. loc. cit.

dividendo cavere nitimur. Optima est, si sit bimembris; sed si id fieri commode non potest, laborandum est, ut nulla membra prætermittantur.

103. Sexta regula. Divisio non debet esse neque nimia, neque nulla (1), sed moderata (2).

CAPUT III.

De Argumentatione.

104. Argumentatio est *oratio in qua unum ex alio infertur*: v. g. est sol, ergo dies est. Id ex quo aliud infertur, dicitur *antecedens*, sive una, sive pluribus propositionibus constet. Quod infertur, vocatur *conclusio*, *consequutio*, *consequens*. Illatio consequentis ex antecedente, dicitur *consequentia* (3). Particula illativa *ergo*, *igitur*, *itaque* &c. est illationis nota.

105. Sequitur inde, vim omnem argumentationis non consistere in veritate, aut falsitate propositionum, sed dumtaxat in illatione. Quare propositiones possunt esse veræ, & argumentatio non consistere; ut si dicam, *sol lucet*, *ergo pluit*. Contra, propositiones possunt esse falsæ, & illatio bona; ut si di-

---

(1) Seneca Epist. 89. »Comprehendere, *inquit*, quemadmodum »maxima, ita minima difficile est. Describitur in tribus populus, in »centurias exercitus. Quidquid in majus crevit, facilius agnoscitur »si discessit in partes, quas innumerabiles esse, & parvas non opor»tet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio."

(2) Ex dictis infertur, valere consequutionem ab omnibus membris dividentibus ad totum divisum, & econtra: sic infero, Evangelium prædicatum esse in universo mundo, quia prædicatum est in Europa, Asia, Africa, & America. Infertur etiam, valere consequutionem, si exclusis aliis partibus: inferam reliquam quæ superest; ut si dicam, Roma non est Urbs Asiæ, neque Africæ, neque Americæ; est igitur Urbs Europæ.

(3) Animadverte discrimen inter *consequens* & *consequentiam*. Nam *consequens* est illa propositio quæ infertur ex antecedente; *consequentia* vero est illa connexio, sive habitudo inter antecedens, & consequens. Quare negamus quidem: vel concedimus *consequentiam*; si bene, vel male illata est. Distinguimus autem *consequens*, si propositio æquivoca sit. *Consequens*, & *consequentia* distinguit Cicero: nam de *consequente* scribit 4. de finib. *Cum consequens aliquod falsum est, illud, cujus id consequens sit, non potest esse verum*: De consequentia vero ait: 4. ad Her. *Per consequentiam significatio fit cum res quæ sequuntur aliquam rem, dicuntur.*

cam, *terra movetur, ergo sol stat.* Propterea Logici docent, illationem neque veram, neque falsam esse, sed legitimam, vel illegitimam, sive bonam, vel malam.

106. Argumentatio potest esse *affirmativa*, & *negativa.* Affirmativa est, si conclusio est affirmativa; v. g. *Qui furatur peccat. Judas furatus fuit. Ergo Judas peccavit.* Si autem conclusio est negativa, argumentatio negativa est; ut si dicam. *Qui peccatum facit, non diligit Deum. Judas peccatum fecit. Ergo Deum non dilexit.* Logici pro utraque statuunt principia illa, *Dici de omni, dici de nullo,* Nam vis argumentationis affirmativæ in eo posita est, ut quidquid affirmatur de subjecto universaliter, dicatur de omni sub illo contento: quod significat *dici de omni*; v. g. quod dicitur de omnibus qui furantur, dici etiam debet de Juda qui furatus fuit. Vis autem argumentationis negativæ in eo posita est, ut quidquid universaliter negatur de aliquo subjecto, negetur de omni contento sub illo, quod significat *dici de nullo*; v. g. quod negatur universaliter de illo qui peccat, negatur etiam de Juda qui peccavit (1).

CAPUT IV.

De multiplici argumentationis specie.

107. Octo enumerantur species argumentationis *Syllogismus, Inductio, Exemplum, Dilemma, Sorites, Enthymema, Epicherema, & Prosyllogismus.* Omnes tamen ad syllogismum reducuntur, ut infra dicemus (2).

---

(1) Hæc principia nituntur alteri principio, quod vocatur contradictionis, *nequit idem simul esse, & non esse*: nam si quod affirmatur de subjecto universaliter, non affirmaretur de omni contento sub illo; & quod de illo negatur universaliter, non negaretur de omni sub ipso contento; jam duæ contradictoriæ essent simul veræ, adeoque idem esset simul, & non esset. V. g. si vera esset hæc propositio, *omnis qui furatur, peccat*; & vera insuper hæc alia, *Judas furatus fuit*; esset autem falsa quæ sequitur, *Judas peccavit*; esset simul verum, & falsum, *peccare omnes qui furantur*; esset quidem verum, quia vera esset propositio universalis, *omnis qui furatur, peccat*; esset autem falsum: quia excluderetur *Judas*; ideoque propositio illa universalis esset simul vera, & falsa.

(2) Quæ ratio est, cur συλλογισμος Græce, Latine reddatur *ratiocinatio* & *argumentatio*, eo quod omnis argumentatio ad syllogismum reducitur.

108. *Syllogismus* definitur ab Aristotele (1), *Oratio, in qua, quibusdam positis, necessarium est aliud evenire, eo quod hæc posita sunt*; id est, datis duabus propositionibus, quæ *præmissæ* vocari solent, necesse est sequi conclusionem (2).

109. Id ut planius fiat, operæ pretium est animadvertere ex supra dictis (3), propositionum quasdam esse, in quibus statim, perceptis terminis, apparet connexio inter prædicatum, & subjectum; atque in his non est opus argumentatione, qua propterea utimur, ut cognoscamus, an prædicatum conveniat, necne subjecto. Quædam vero propositiones sunt, in quibus talis connexio non statim apparet. Necesse igitur est, ut prædicatum, & subjectum propositionis, cujus veritatem, aut falsitatem inquirimus, comparentur cum aliquo tertio: & siquidem conveniant cum illo tertio, concludamus convenire inter se, ex eo axiomate, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Si autem unus quidem terminus illius propositionis conveniat cum eo tertio, alter non conveniat, concludamus, neutrum convenire inter se, ex illo alio axiomate, *Duorum quorum unum est idem cum tertio, alterum non est idem, ea non sunt idem inter se* (4). V. g. sit inquirendum, an *anima hominis sit immortalis*, seu, an prædicatum *immortalis* conveniat subjecto *anima hominis*: adsumo tertium terminum *incorruptibile*, cum quo comparo subjectum *anima hominis*, & prædicatum *immortalis*, tali modo: *Incorruptibile est immortale. Anima hominis est incorruptibilis. Ergo anima hominis est immortalis.* Sit inquirendum an *anima hominis sit materialis*, adsumo tertium terminum *incorruptibile*, & comparo eodem modo: & cum inveniam *incorruptibile* convenire *animæ hominis*, non convenire *materiali*, infero sic: *Incorruptibile non est materiale. Anima hominis est incorruptibilis. Ergo anima hominis non est materialis.*

110. Ex quibus sequitur 1. syllogismum constare tribus dumtaxat terminis. Tertius qui adsumitur dicitur *medius terminus.* Subjectum propositionis probandæ, dicitur *minor terminus* sive *minor extremitas*, quia subjectum minus patet, quam prædicatum, ut dictum est (5). Prædicatum propositionis probandæ, dicitur *major terminus*, seu *major extremitas*, quia, ut supra diximus (6), prædicatum latius patet, quam subjectum.

---

(1) 1. Prior. c. 1. (2) Vide S. August. l. 1. con. Crescon. Gram. c. 20.

(3) §. 59. sq. (4) In his principiis posita est universa cujuslibet ratiocinationis vis.

(5) §. 25. (6) Ibid.

111. Sequitur 2. in quolibet syllogismo, tres tantummodo propositiones inveniri: una, in qua majus extremum comparatur cum medio, & dicitur *major*: altera, in qua minus extremum comparatur cum eodem medio, & dicitur *minor* (1): tertia, in qua majus, & minus extremum comparantur inter se, & dicitur *conclusio.*

112. Sequitur 3. in quolibet syllogismo tria esse debere, 1. *principium*, idque est *major* propositio; 2. *applicatio* illius principii, estque *minor* propositio, sive *assumptio* (2). 3. *conclusio*, seu propositio quæ infertur ex principio, & applicatione principii (3).

113. Sequitur 4. conclusionem contineri in *præmissis*: nam minus extremum est subjectum, majus extremum est prædicatum conclusionis: ambo vero in *præmissis* comparantur cum medio; & idcirco si quis *præmissas* concedat, debet necessario concedere conclusionem (4).

114. Sequitur 5. *præmissas* debere esse notiores conclusione; hæc siquidem ex illis infertur.

115. Jam vero *Inductio* est argumentatio, in qua concluditur de tota specie quod affirmatur; vel negatur de singulis particularibus; ut, cum ex eo quod singuli particulares homines ratione utuntur, inferimus, omnes homines esse rationales (5). Particularia debent sufficienter enumerari, alioqui *inductio* non valet. Reducitur *inductio* ad syllogismum, si ma-

---

(1) Frequentius *major* ponitur primo loco & *minor* secundo. Si autem *minor* ponatur primo loco. & *major* secundo, perinde est.

(2) *Minorem* propositionem S. Augustinus l. 2. de Doctr. Christ. c. 33. adsumtionem appellat.

(3) Conclusio est ut *minor*, sive, ut *applicatio principii.* Quare si applicatio sit omnino certa, & principium omninò certum, conclusio erit omnino certa. Si autem principium sit certum, & applicatio incerta, conclusio erit incerta. Fieri autem non potest, ut principium sit incertum, & applicatio certa. Quare si principium sit incertum, & applicatio, & conclusio erunt incertæ.

(4) S. Augustinus l. 1. con. Cresc. Gram. c. 20. „Verum est „*inquit*, neminem disputando ad conclusionem falsam consequenter „impelli, nisi prius consenserit falsis, quibus eadem conclusio, ve„lit, nolit, efficitur. Ac per hoc qui cavet, ne se loquente, sequan„tur falsa, quæ non vult, volens falsa caveat quæ præcedunt.„

(5) Vide eumd. Aug. l. 1. de Adulter. Conjug. c. 14. sqq. ubi inductione ostendit, quomodo possimus cognoscere quid liceat, & non expediat; quid autem neque liceat, neque expediat.

jor propositio addatur; v. g. si singuli homines sunt rationales, etiam tota species, seu omnes homines. Atqui singuli homines rationales sunt. Ergo omnes homines sunt rationales (1).

116. *Exemplum* est argumentatio, in qua ex uno simili aliud simile infertur. (2) Sic Apostolus 1. Cor. 9. v. 7. sqq. ut probet, Ministris Ecclesiæ deberi stipendia: *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Hæc argumentatio dici solet *à pari*: & quidem vim habet, si perfecta sit paritas, & similitudo; sin vero, minimum probat. Reducitur ad syllogismum, si major propositio addatur, *De rebus similibus similia affirmari, aut negari possunt.*

117 .*Dilemma* (3) est argumentatio in duas partes distributa: quarum utravis concessa, possumus contra respondentem concludere. Dilemmate Christus usus fuit, cum Judæos interrogavit Matt. 21. v. 25. *Baptismus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus?* *Si* Dilemma in proponentem retorqueatur (4), dicitur ἀντιστρεφον, id est, *reciprocum*, & *conversum*, seu, *contraversum.* In Dilemmate apparet vis duplicis Syllogismi conditionalis.

---

(1) Si quæras, quænam sit inductionis vis, cum id quod inductione probatur, deficit in uno, aut altero casu; v. g. inductione probatur, omne generans generare sibi simile, licet quandoque generentur monstra. Respondet S. Thomas. 1. Poster. lect. 1. attendendum esse id quod in pluribus evenit; id enim sequitur naturam per se; quod autem in uno, aut alio casu evenit diverso modo, contingit *per accidens.*

(2) Similibus uti possumus, vel ad declarandum, uti Christus Dominus parabolis utebatur, ut *quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non poterat, per similitudinem exemplaque teneretur*, ut S. Hieronymus dicit in c. 18. Matth. vel ad delectandum, uti frequenter oratores; vel ad probandum, uti multoties Philosophi, ac Theologi faciunt. Si ad declarandum, vel ad delectandum exempla adferantur, non oportet esse vera. Si autem adsumantur ad probandum, vera debent esse, argumentum autem inde formatum, talem habet vim, qualis est ratio proportionis inter exemplum, & rem, pro qua probanda exemplum inducimus.

(3) S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum Dilemma appellat *cornutum syllogismum*, quia ex duabus partibus constat. Si autem constet ex tribus partibus, Trilemma erit. Cicero 1. de Invent. *complexionem* vocat.

(4) Vide Gellium l. 5. c. 10. sq. & Cicer. 1. de Invent.

118. *Sorites* sic dictus à σωρὸς *acervus*, est syllogismus coacervatus ex pluribus propositionibus ita dispositis, ut prædicatum prioris sit subjectum posterioris, donec in conclusione subjectum primæ conjungatur cum prædicato ultimæ. Hoc argumento utitur S. Augustinus (1) cum ait: » Maria unde? Ex » Adam. Adam unde? De terra. Si Maria de Adam, & Adam » de terra, ergo & Maria terra. Si autem Maria terra, ag- » noscamus quod cantatur, *Veritas de terra orta est.* »

119. *Enthymema* (2) est syllogismus detruncatus, in quo compendii causa reticetur major, aut minor propositio; v. g. *substantia immaterialis est immortalis, ergo anima hominis est immortalis.* Intelligitur minor, *anima hominis est immaterialis.* Vel, *anima hominis est immaterialis, igitur est immortalis.* Intelligitur major. Ex duabus propositionibus Enthymematis, quæ infert, dicitur *antecedens*, quæ infertur, *conclusio.*

120. *Epicherema* (3) est syllogismus, in quo uni, vel utrique præmissæ probatio adjungitur. Sic Cicero (4) probaturus, mundum consilio administrari, majorem propositionem ponit, *Melius curantur quæ consilio geruntur*; illamque probat desumpto exemplo ex domus regimine. Subdit minorem, *Atqui nihil omnium rerum melius, quam omnis mundus administratur.* Concludit, *Ergo consilio mundus administratur.*

121. Denique *Prosyllogismus* est, cum uni perfecto syllogismo alter ita subnectitur, ut prioris conclusio sit minor posterioris, & duo syllogismi ex quinque propositionibus componantur; v. g. *Spiritus caret materia: anima est spiritus: ergo anima caret materia: quod caret materia incorruptibile est: anima igitur est incorruptibilis.* Quarta propositio dicitur *subsumptum*, & vulgo *minor subsumpta.*

---

(1) Ser. 189. al 35. de div.

(2) Oritur à verbo ἐνθυμέομαι animadverto, cogito, in animo habeo; eo quod una præmissa in animo retinetur.

(3) Græce ἐπιχείρημα, à verbo ἐπιχειρέω: conor, aggredior, adversarium argumentis peto, sive ad manus venio, ab ἐπὶ *ad*, & χεὶρ *manus.* Propositiones probantes aliquando exprimuntur, ut in exemplo ex Cicerone allato; aliquando unica propositione continentur; ut cum Christus ait Discipulis Jo. 14. v. 9. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Quasi diceret: qui longo tempore versatur cum aliquo, ab ipso certe cognoscitur; cognitio enim personæ pendet à conversatione cum ipsa. Ego autem longo tempore vobiscum versor, ut plane nostis. Debeo igitur à vobis cognosci.

(4) 1. de Invent.

CAPUT V.

De Syllogismorum divisionibus.

122. Syllogismus dividitur 1. in *demonstrativum*, *probabilem*, & *sophisticum*. *Demonstrativus* est, qui constat ex præmissis necessariis, & generat scientiam. *Probabilis* est, qui constat ex præmissis contingentibus, quæ possunt esse veræ, vel falsæ, & generat opinionem. *Sophisticus* est, qui rectas argumentationis leges non servat, & generat deceptionem (1).

123. Dividitur 2. in *singularem* (2), *simplicem* & *compositum*. *Singularis* est, cujus medius terminus est vox singularis, ut si dicam, *David fuit Rex*, *David fuit Propheta*, *Aliquis igitur Propheta fuit Rex* (3). Est autem syllogismus *simplex*, qui constat propositionibus simplicibus. *Compositus* autem syllogismus dicitur, cujus vel omnes, vel aliqua propositio composita est (4).

124. Itaque syllogismus compositus, vel est conditionalis, vel causalis, vel copulativus, vel disjunctivus, vel relativus.

---

(1) Quod si præmissarum una sit necessaria, altera contingens, syllogismus erit probabilis, quia, ut diximus not. 3. pag. 46. conclusio est incerta, cum principium est certum, & applicatio incerta.

(2) Vocatur etiam *expositorius*, quia rem sensibus veluti exponit.

(3) Medius terminus debet esse ita singularis, ut non communicetur aliis; nam aliter syllogismus non concludit. Quare non valet, *Deus est Pater*, *Deus est Filius*, *Ergo Filius est Pater*. Nam, ut advertit S. Thomas, 1. p. q. 39. a. 4. ad 1. »Hoc nomen *Deus* »licet conveniat cum terminis singularibus in hoc, quod forma sig»nificata non multiplicatur; convenit tamen cum terminis commu»nibus in hoc, quod forma significata invenitur in pluribus sup»positis.«

(4) Si qui syllogismi contineant propositiones incidentes, ii dicuntur *complexi*, ut, *Deus præcipit honorari Reges*, *Carolus est Rex*, *Ergo Deus præcipit honorari Carolum*. In hisce syllogismis animadvertendum est, an conclusio contineatur in præmissis; si enim non continetur, illegitima est, ut si dicam, *Deus præcipit honorari Reges*, *Parentes non sunt Reges*, *ergo non sunt honorandi*. Conclusio est illegitima, quia lex honorandi Parentes non continetur in præcepto honorandi Reges.

125. Et conditionalis quidem dicitur ille, cujus major est propositio conditionalis; fitque 1. ab affirmatione antecedentis (1) in minori ad affirmationem consequentis in conclusione, ut, *si Ecclesiam Catholicam audit, Catholicus est, Sed audit Ecclesiam Catholicam, est igitur Catholicus.* Non valet tamen á negatione antecedentis in minori ad negationem consequentis in conclusione, nisi tantum in reciprocis (2). Sic non valet, *si est Philosophus, est homo, sed non est Philosophus, Ergo non est homo.* 2. Ab affirmatione consequentis in minori ad affirmationem antecedentis in conclusione, ut, *si Catholicus est, audit Ecclesiam, sed audit Ecclesiam, est igitur Catholicus.* Valet dumtaxat in reciprocis; & ideo non valet, *si est homo, est animal, sed est animal, ergo est homo.* Valet autem à negatione consequentis in minori ad negationem antecedentis in conclusione (3), *ut si Discipuli sunt Christi, se invicem diligunt, sed se invicem non diligunt, ergo Christi Discipuli non sunt.*

126 Copulativus syllogismus est, cujus aliqua præmissa est copulativa, v. g. *Charitas & peccatum non possunt esse simul,*

---

(1) In propositione conditionali id quod infert, dicitur *antecedens*; quod infertur, dicitur *consequens*, ut cum dico, *si homo est, animal est*, propositio, *si homo est*, dicitur *antecedens*, quia infert; *animal est*, dicitur *consequens*, quia infertur. S. Augustinus l. 2. de Doct. Christ. c. 34. » In regulis connexionum, *inquit*, dis» citur, quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans. » Consequens est, *si orator est, homo est*: Inconsequens, *si homo » est, orator est*: Repugnans, *si homo est, quadrupes est.*"

(2) Idem S. August. ib. c. 33. » Fac, *inquit*, aliquem propo» suisse, *si justus est ille, bonus est*, & esse concessum; deinde » assumpsisse, *Non est autem justus*: quo item concesso, intulisse » conclusionem, *Non est igitur bonus.* Quæ tamen etsi vera sint » omnia, non est tamen vera regula conclusionis. Non enim sicut » ablato consequenti, aufertur necessario quod præcedit; ita etiam » ablato præcedenti, aufertur necessario quod consequitur. Quia ve» rum est, cum dicimus, *si orator est, homo est*: ex qua propo» sitione si adsumamus, *Non est autem orator*; non erit consequens » cum intuleris, *Non est igitur homo.*"

(3) Idem S. August. ib. » Faciamus, aliquem concessisse, *si ani» mal est cochlea, vocem habet*; hoc concesso, cum probatum fue» rit, vocem cochleam non habere, quoniam consequenti ablato, illud » quod præcedit aufertur, concluditur, non esse animal cochleam. Quæ » sententia falsa est, sed ex concesso falso vera est conclusionis con» nexio."

sed manet in Charitate, ergo non manet in peccato. Concluditur à positione unius partis ad negationem alterius, sed non econtra, nisi in reciprocis.

127. Causalis est, qui constat propositionibus causalibus, v. g. *Quia Adamus peccavit, mortuus est: peccavit autem, quia comedit de fructu ligni vetiti: ergo quia de eo fructu comedit, mortuus est.* Concludit, si antecedens sit causa consequentis.

128 Disjunctivus syllogismus habet majorem disjunctivam. Si membra sint omnia enumerata, & non sunt plusquam duo, ex affirmatione, vel negatione unius infertur negatio, vel affirmatio alterius; ut illud Rom. 14. v. 4. *Domino suo stat, aut cadit, stabit autem*: ergo non cadet. Si autem membra sunt plusquam duo, tunc si unum affirmatur, reliqua debent removeri; ut *vel est ingenuus, vel libertus, vel servus: Sed est ingenuus, ergo neque libertus, neque servus.* Si autem reliqua removentur, illud unum debet affirmari, ut, *non est neque libertus, neque servus, ergo ingenuus.* Si vero unum removeatur, reliqua affirmantur disjunctive, ut, *non est ingenuus: ergo vel libertus, vel servus.*

129. Relativus syllogismus est, cujus major est relativa, ut 1. Cor. 15. v. 47. seqq. *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.*

130. Hactenus dicta pertinent ad divisionem syllogismi ex parte materiæ. Nunc syllogismus ex parte formæ dividitur in *informem*, & *formatum.* Atque *informis* est, cum retinemus quidem argumenti vim, sed minime sumus solliciti de dispositione terminorum, & propositionum, & dicimur argumentari, *extra formam*; quæ argumentandi ratio familiaris est Philosophis, & Patribus, atque Angelico Præceptori, qui formam accurate syllogisticam non semper adhibent. *Formatus* autem syllogismus dicitur, cum studiose servamus leges dialecticas figurarum, & modorum, de quibus infra; & dicimur argumentari *in forma.*

CAPUT VI.

De generalibus Legibus Argumentationis.

131. Cum argumentatio constet ex terminis, & propositionibus, quatuor sunt ejus leges pertinentes ad terminos, &

rursus quatuor ad propositiones. Quæ spectant ad terminos hisce versibus comprehenduntur:

Terminus esto triplex, major, mediusque, minorque.
Latius hunc, quam præmissæ, conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
Aut semel, aut iterum medium generaliter esto.

132 Ut igitur argumentatio sit concludens, requiritur 1. ut in ea sint tantum tres termini, ut supra dictum est (1), alioqui fieri non potest collatio duorum cum tertio, in qua collatione posita est omnis vis argumentationis (2).

133. Requiritur 2. ut termini in conclusione non accipiantur latius, quam in præmissis: sic enim essent plus quam tres contra 1. legem. (3).

134. Requiritur 3. ut medius terminus non ingrediatur conclusionem: nam vis argumentationis in eo consistit, ut inferatur in conclusione, extrema convenire, aut non convenire inter se, propterea quod conveniunt, vel non conveniunt cum tertio.

135 Requiritur 4. ut medius terminus non sumatur bis particulariter, sed saltem in una præmissarum accipiatur universaliter: nam si bis accipiatur particulariter, jam non pro eodem accipitur (4).

136. Leges autem pertinentes ad propositiones continentur versibus qui sequuntur.

Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.
Utraque si præmissa neget, nil inde sequetur.
Sit parti similis conclusio deteriori.
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.

137. Itaque ex duabus præmissis particularibus non recte

---

(1) §. 110. (2) Contra hanc legem peccant argumentationes illæ, in quibus medius terminus diverso modo supponit, vel æquivocatione laborat, vel non servat eamdem appellationem, ampliationem, restrictionem: ita enim videntur quidem esse tres termini, sed revera sunt plusquam tres.

(3) Hujusmodi erat sophisma relatum à Gellio l. 18. c. 2. *Quod ego sum, id tu non es: ego sum homo: homo igitur tu non es.* Nam τὸ *homo* in conclusione accipitur universaliter, cum tamen in minori accipiatur pro homine singulari.

(4) Vide not. 4. pag. 33. Potest tamen medius terminus bis sumi singulariter. Vide §. 123. Nam terminus singularis cum sit perfecte unus, æquivalet universali.

concluditur ; quippe medius terminus bis particulariter accipitur (1).

138. Nulla etiam sequitur conclusio ex duabus præmissis negativis (2) ; siquidem non conferuntur extrema cum medio; adeoque nequeunt conferri inter se.

139. Conclusio debet sequi deteriorem partem, id est, si una præmissarum sit particularis, conclusio debet esse particularis ; alioqui termini universalius acciperentur in conclusione, quam in præmissis. Si una præmissarum sit negativa, conclusio debet esse negativa : nam si extremorum unum convenit cum tertio, alterum non convenit, oportet ea non convenire inter se.

140. Postremo ex præmissis affirmativis non concluditur negative : nam extrema conjuncta cum medio, nequeunt non conjungi inter se.

CAPUT VII.

De Figuris syllogismorum.

141. Figura syllogistica est combinatio extremorum cum medio. Hæc combinatio quatuor modis fieri potest, 1. ita ut medius terminus sit subjectum in majori, & prædicatum in minori. 2. Ut sit prædicatum tam in majori, quam in minori. 3. Ut in majori, & in minori sit subjectum. 4. Ut sit prædicatum in majori, & subjectum in minori. Quatuor igitur sunt figuræ syllogismorum. Tres priores continentur hoc versiculo:

Sub præ prima : sed altera bis præ : tertia bis sub.

142. Hoc est, in prima figura medius terminus est subjectum in majori, & prædicatum in minori ; v. g. *omnis spiritus est substantia, Omnis Angelus est spiritus, ergo omnis Angelus est substantia. Spiritus* qui est medius terminus est subjectum in majori, & prædicatum in minori (3).

---

(1) Nonnunquam ex duabus particularibus conclusio sequitur ; ut si dicam, *Aliquis Rex est potens, Aliquis homo est Rex, Aliquis igitur homo est potens.* Id autem est, ut Logici loquuntur, non ratione formæ, sed ratione materiæ. Vide not. 2. pag. 50.

(2) Tale erat sophisma quod refert Gellius loc. cit. *Quod non perdidisti habes : cornua non perdidisti ; habes igitur cornua.*

(3) Nec alia in compositis syllogismis dispositio est, cujusmodi Cicero 2. de Offic. posuit in hunc ferme modum : *Quidquid justum est, id etiam utile esse censent. Quidquid honestum est, idem est justum. Quidquid igitur honestum est, idem est utile.*

143. In secunda figura medius terminus est bis prædicatum, ut *Nulla frugalitas est vitium, Omnis avaritia est vitium, Nulla igitur avaritia est frugalitas. Vitium* quod est medius terminus, est bis prædicatum.

144. In tertia figura medius terminus est bis subjectum, ut *Omnis eruditio paratur labore, Omnis eruditio utilis est, Quædam igitur utilia parantur labore. Eruditio*, quæ est medius terminus, bis subjicitur.

145. De quarta figura nihil tradidit Aristoteles, vel quia rarius occurrit, vel quia minus est expedita, vel quia reducitur ad primam.

146. Unaquæque figura suas leges peculiares habet, hisce versibus expressas:

I. *Sit minor affirmans, major vero generalis.*
II. *Una negans esto, nec major sit specialis.*
III. *Sit major affirmans, conclusio particularis.*

147. In prima igitur figura minor debet esse affirmativa (1): nam si esset negativa, conclusio deberet esse negativa ex dictis (2): major autem deberet esse affirmativa; si enim esset negativa, nihil sequeretur, ut dictum est (3). Itaque major extremitas, quæ esset prædicatum in majore, & in conclusione, latius acciperetur in conclusione, quam in majori; nam ut diximus (4), prædicatum propositionis negativæ latius patet, quam prædicatum propositionis affirmativæ: quod esse non potest, ut dictum est (5).

148. In eadem prima figura major debet esse universalis (6): nam si esset particularis, medius terminus qui est ejus subjectum, acciperetur particulariter: & quia etiam particulariter acciperetur in minori affirmativa, cujus esset prædicatum,

---

(1) Loquimur de modis primæ figuræ directe concludentibus, nam si indirecte concludant, ut infra dicemus, minor potest esse negativa; tunc enim prædicatum minoris est prædicatum conclusionis. v. g. non concludit hic syllogismus directus, *Omne quod loquitur vivit, Nullus equus loquitur, Ergo nullus equus vivit.* Concludit indirecte, si conclusio sit particularis negativa, ut. *Omne quod loquitur vivit, Nullus equus loquitur, Ergo aliquod vivens non est equus.*
(2) §. 139. (3) §. 138. (4) §. 29. (5) §. 133.
(6) Si conclusio sit indirecta, major potest esse particularis, sed minor erit negativa. Quare non valet directe, *Aliquod animal est substantia, Nullus lapis est animal, Ergo aliquis lapis non est substantia.* Valet tamen indirecte, *Ergo aliqua substantia non est lapis.*

quod particulariter accipitur in propositionibus affirmativis, ut dictum est (1); ambæ præmissæ essent particulares: ex solis autem particularibus non concluditur, ut est ostensum (2).

149. In secunda figura una præmissarum debet esse negativa: nam in utraque medius terminus est prædicatum: in propositionibus autem affirmativis prædicatum ex dictis (3) accipitur particulariter. Quare si utraque præmissa esset affirmativa, conclusio inferretur ex solis particularibus, contra id quod est demonstratum (4). Excipe: si extrema reciprocentur cum medio; nam tunc subjectum converti potest in prædicatum, & econtra; & sic æque late patent (5).

150. Major debet esse universalis, ut in prima figura: nam si esset particularis, majus extremum quod est ejus subjectum, acciperetur particulariter in majori: at in conclusione, quæ ex dictis (6) necessario debet esse negans, quia minor est negativa, acciperetur universaliter, quia negatio distribuit prædicatum, & subjectum, ut dictum est (7). Igitur termini latius acciperentur in conclusione, quam in præmissis: quod fieri non potest (8).

151. In tertia figura minor debet esse affirmativa ob eamdem rationem, ob quam diximus (9), minorem in prima figura debere esse affirmativam. Conclusio autem debet esse particularis: nam in tertia figura subjectum conclusionis est prædicatum minoris: & cum minor sit affirmans, prædicatum accipitur particulariter, ut ex dictis (10). Quare conclusio quæ sequitur deteriorem partem, debet esse particularis.

---

(1) §. 29. (2) §. 137. (3) §. 29.

(4) §. 137. Hinc non valet, *Omnis spiritus est substantia, Omnis equus est substantia, Omnis igitur equus est spiritus.*

(5) Sic valet, *Omne risibile est homo, Omne rationale est homo, Ergo omne rationale est risibile.*

(6) §. 139. (7) §. 29.

(8) §. 133. Neque proinde valet, *Aliqua substantia est spiritus; Nullum corpus est spiritus, Ergo aliquod corpus non est substantia.* (9) §. 147. (10) §. 29.

CAPUT VIII.

De modis syllogismorum.

152. Modus syllogisticus nihil est aliud, quam dispositio propositionum secundum earum universalitatem, vel particularitatem, affirmationem, vel negationem. Cum autem propositiones sint vel universales affirmativæ, vel universales negativæ, vel particulares affirmativæ, vel particulares negativæ, tot sunt modi syllogismorum, quot modis tres harum propositionum disponi possunt. Jam vero sexagintaquatuor modis hæ propositiones disponi possunt, uti consideranti perspicuum erit in schemate subjecto.

aaa =	aia +	eaa +	eia +	iaa +	iia +	oaa +	oia ×
aae —	aie —	eae =	eie +	iae —	iie ×	oae +	oie ×
aai =	aii =	eai +	eii +	iai =	iii ×	oai +	oii ×
aao —	aio —	eao =	eio =	iao —	iio ×	oao =	oio ×
aea +	aoa +	eea ×	eoa ×	iea +	ioa ×	oea ×	ooa ×
aee =	aoe +	eee ×	eoe ×	iee +	ioe ×	oee ×	ooe ×
aei +	aoi +	eei ×	eoi ×	iei +	ioi ×	oei ×	ooi ×
aeo ÷	aoo =	eeo ×	eoo ×	ieo :::	ioo ×	oeo ×	ooo ×

153. Igitur sexagintaquatuor sunt modi syllogismorum (1). Ex iis autem decem tantum sunt concludentes, quos notavimus signo =. Alii non concludunt ob non servatas leges syl-

(1) Leibnitius de Arte Combinatoria probl. 2. n. 15.

logisticas: nam vigintiseptem signati nota × constant ex præmissis particularibus, aut negativis. In novemdecim signatis nota + conclusio non sequitur deteriorem partem. Sex signati nota — inferunt conclusionem negativam ex duabus affirmativis. Modus signatus nota : : : non concludit, quia prædicatum conclusionis negativæ latius patet, quam prædicatum præmissæ affirmativæ. Denique modus *a e o* signatus nota ÷ expungi debet, quia utpote particularis continetur in universali.

154. Ad decem recensitos modos concludentes pertinent novemdecim modi, quos Logici comprehenderunt quibusdam vocibus, in quibus tres priores vocales denotant propositiones, *A* universales affirmativas, *E* universales negativas, *I* particulares affirmativas, *O* particulares negativas. Reliquæ additæ sunt metri causa.

I. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton.*
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
II. *Cesare, Camestres, Festino, Baroco,*
III. *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo,*
Ferison.

155. Quorum novem priores pertinent ad primam figuram ita tamen, ut primi quatuor concludant *directe*, quinque sequentes, *indirecte*, (1). Post novem illos, quatuor sequentes pertinent ad secundam figuram. Reliqui ad tertiam.

156. Restaret modo agere de probatione, & reductione syllogismorum. At quoniam hæc tanti non sunt, ut immorari in iis oporteat, breviter dicimus, syllogismum probari, cum negatur conclusio, post concessas præmissas: tunc vero bonitas syllogismi ostenditur ex iis principiis, quibus inniti diximus artem syllogisticam.

157. Reducuntur autem modi imperfecti syllogismorum ad quatuor priores modos perfectos primæ figuræ, si tres termini collocentur ita ut iidem perfecti modi requirunt; nam ipsi soli sufficiunt pro qualibet argumentatione; quælibet enim

(1) Syllogismi *directe* concludunt, cum majus extremum est prædicatum conclusionis, minus extremum est subjectum, ut, *Omnis spiritus est immortalis, Omnis Angelus est spiritus, Ergo omnis Angelus est immortalis.* Concludunt *indirecte*, cum majus extremum est subjectum conclusionis, minus extremum est prædicatum, ut si in eodem syllogismo inferam, *Ergo aliquod immortale est Angelus.*

conclusio probanda, vel est A, vel est E, vel est I, vel est O. Hæ autem conclusiones in quatuor prioribus modis primæ figuræ reperiuntur.

158. In his autem Logicæ præceptis quæ explicare conati sumus, frustra esset susceptus labor, nisi ad praxim illa deducerentur. Quapropter ad Philosophiæ quæstiones progredimur.

PRIMA PARS

SUMMÆ PHILOSOPHICÆ.

QUÆSTIO I.

De Philosophia generatim.

1. Quoniam rectus in disciplinis tradendis ordo postulat, ut ab universalioribus incipiatur (1), agendum initio est de Philosophia generatim. Quæremus autem 1. de existentia Philosophiæ, 2. de ejus divisione, 3. de origine, 4. de propagatione, 5. speciatim de origine Philosophiæ Græcorum, 6. de utilitate Philosophiæ, 7. de libertate philosophandi, 8. de doctrina S. Thomæ in re philosophica, 9. de ordine tenendo in tradendis philosophicis disciplinis, 10. de earum certitudine. His autem quæsitis absoluta videtur omnis de Philosophia in universum tractatio.

ARTICULUS I.

Utrum Philosophia sit.

2. Videtur negandum (2); nam Pythagoras hujus nominis auctor (3) interrogatus, qua maxime arte confideret, res-

(1) Vide S. Thomam 1. de anima lect. 1. & not. 1. pag. 2.

(2) Apollonium Rhodium irrisisse, & contempsisse Philosophiam, refert Cicero l. 1. de Orat. 75. & l. 2. 155. scribit, Zethum Pacuvianum Philosophiæ prope bellum indixisse.

(3) Vide S. Thom. 1. Metaph. lect. 3.

pondit, artem se scire nullam (1). Putavit ergo, nullam esse Philosophiam.

3. II. Aristoteles appellatione Philosophiæ intelligit (2) facultatem veritatis contemplatricem. Sed ut Cicero ait (3) „ Ve„ ritas adeo est obstructa difficultatibus, ut non sine cau„ sa doctissimi, & antiquissimi invenire se posse quod cupe„ rent, diffisi sint: “ Nulla est igitur Philosophia.

4 III. Si quæ Philosophia esset, cum omnes homines scire desiderent, omnes illam concupiscerent. Sed maxima hominum pars de Philosophia ne cogitat quidem. Philosophia igitur non extat.

Propositio. *I. Existit Philosophia. II. Est tamen in nobis valde imperfecta.*

5. Prob. 1. p. Philosophia, si nomen spectes, est amor, sive studium sapientiæ (4) ἀπὸ τοῦ φιλεῖν amare, & σοφία sapientia; si rem, est ipsa sapientia latissime accepta pro qualibet cognitione naturali certa, & evidenti per suam causam (5). Atqui existit in nobis amor sapientiæ; unusquisque enim naturæ impulsu scire desiderat (6). Quisque etiam deprehendit intimo sensu, plura à se cognosci certa, & evidentia per causas, ut se existere, quia cogitat, non enim cogitare posset, nisi esset. Existit ergo Philosophia.

6. Prob. 2. p. Ad Philosophiam omnibus numeris absolutam requiritur cognitio omnino certa, & perspicua naturæ universarum rerum naturali mentis vi per suas causas, hoc est

(1) Cicero 5. Tusculanar. de Pytagora scribit: „Philiuntem fe„runt venisse, eumque cum Leonte Principe Phliasiorum docte, & „copiose disseruisse quædam; cujus ingenium, & eloquentiam cum „admiratus esset Leon, quæsisse ex eo, qua maxime arte confideret: „at illum, artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum.“

(2) 2. Metaph. c. 1. (3) 4. Acad.

(4) Cic. 2. de fin. „Nec quidquam aliud est Philosophia, si in„terpretari velis, quam studium sapientiæ.“ Et 1. de leg. „Sapientia, „à cujus amore Græco verbo Philosophia nomen accepit.“

(5) Vide S. Thom. q. 1. de pot. a. 4.

(6) Nam ut advertit S. Thom. 1. Metaph. lec. 1. *Quælibet res naturalem inclinationem habet ad suam propriam operationem. Propria autem operatio hominis in quantum homo, est intelligere. Per hoc enim ab omnibus aliis differt. Unde naturaliter desiderium hominis inclinatur ad intelligendum, & per consequens ad sciendum.*

per demonstrationem cognoscibilium; quo sensu Cicero Philosophiam definit (1), *Rerum divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia* (2). Atqui innumeræ pene sunt istiusmodi res à nobis ignoratæ, tum propter ingentem, ac prope infinitum earum numerum; tum propter mentis nostræ imbecillitatem, cujus *lumen intellectuale est obumbratum per conjunctionem ad corpus, & ad vires corporeas* (3); tum propter peccatum primi parentis (4); tum propter maximam plurimarum rerum à nobis distantiam, in pri-

(1) 2. de offic.

(2) Quia, ut S. Augustinus animadvertit Epist. 11. al. 168. n. 1. *Illa quæ de hoc mundo quæruntur, nec satis ad beatam vitam obtinendam videntur pertinere; & si aliquid adferunt voluptatis, cum investigantur, metuendum est tamen, ne occupent tempus rebus impendendum melioribus*; factum proinde est, ut Patres sæpe veræ Philosophiæ nomine, Christianam sapientiam, & pietatem intelligant. Vide Clem. Alex. l. 1. Strom. pag. 185. & l. 2. pag. 380. Confer. etiam S. Aug. l. 8. de Civ. c. 1. ubi ait: *Si sapientia Deus est, per quem facta sunt omnia, sicut divina auctoritas, veritasque monstravit, verus philosophus est amator Dei.* Et Nazianzenum Orat. 3. n. 97. & Orat. 23. n. 13. ubi Heronem Philosophum Alexandrinum laudat, propterea quod *hujus philosophiæ fructus, non sermone fictæ civitates... nec categoriæ quædam, & analises, ac mixtiones... nec lineæ quædam nusquam existentes... Hæc enim ille secundo loco semper habuit, obiterque ac velut per ludum attigit, hactenusque dumtaxat, ne ab illis, qui se earum rerum scientiam tenere profitentur, illudi, atque exagitari posset.* (3) S. Thom. Opus. 70. q. 1. a. 1. ad 4.

(4) Vide S. August. l. 5. Oper. Imperf. con. Jul. n. 1. ita scribentem: » Cur non genus mortalium ad studium scientiæ, roburque » fortitudinis, naturali appetitu, vel universum, vel certe ex maxima » parte consurgit, ut rarissimos quosque potius miremur, ab eo quod » appetit naturæ instituto deviare, atque desciscere? Cur in profunda » imperitiæ, ac mollitudinem ignaviæ, quasi per proclivia, nescio quo » velut onere urgente delabitur? Fugam laboris certe dicis esse causam, qua » fit ut nesciant homines quæ scire debuerunt: sed vellem diceres, » quid causæ sit, ut homini tam bene naturaliter instituto utilia na» turæ, atque salubria sit laboriosissimum discere, atque ita laborem » fugiens, in tenebris ignorantiæ familiarius libentiusque requiescat? Nem» pe tanta raritas ingeniosorum, & studiosorum, per quæ duo ad hu» manarum, divinarumque rerum scientiam pervenitur, & tanta mul» titudo tardorum, & desidiosorum satis indicat, in quam partem suo » tanquam pondere feratur ipsa natura, quam negatis esse vitiatam.»

misque cœlestium (1); tum propter vitæ brevitatem; tum denique quia multa Deus voluit nos latere; quare Eccl. 3. v. 11. Dicitur: *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Philosophia igitur in nobis est valde imperfecta. Et idcirco Lactantius (2). „ Ubi ergo, *inquit*, sapientia est? Ut „ neque te omnia scire putes, quod Dei est: neque omnia „ nescire, quod pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit „ hominis, id est, scientia cum ignoratione conjuncta, & temperata. "

7. Ad primum dist. ant. & tamen Pythagoras ita respondit, quod putarit, nihil prorsus à se sciri, nego; ut ostenderet, multo plura à se nesciri, concedo. Pythagoræ siquidem visum fuit, nemini nisi arrogantius tribui posse nomen sapientis, quo ante ipsum inter Græcos docti homines gloriabantur (3); atque ideo habita ratione imperfectionis scientiæ, qua pollebat, ait, artem se scire nullam, perfecte scilicet, & numeris omnibus absolutam.

8. Ad secundum neg. min. Neque urget Ciceronis testimonium; ipse enim, cum Academicus esset (4), veritatem comprehendi posse diffitebatur.

9. Ad tertium dist. maj. omnes illam concupiscerent, si omnes ei studium impenderent, conc. si pauci, nego. „ Frequenter (inquit S. Thomas) (5) qui finem aliquem desiderant, à prosequutione finis ex aliqua causa retrahuntur, „ vel propter difficultatem perveniendi, vel propter alias occupationes. Sic etiam licet omnes scientiam desiderent, non „ tamen omnes scientiæ studium impendunt, quia ab aliis detinentur, vel à voluptatibus, vel à necessitatibus vitæ præ-

(1) Vide S. Thom. 2. de Cœl. lect. 4. (2) l. 3. Inst. c. 6.

(3) *Cum Antiqui studio sapientiæ insistentes, sophistæ, id est, sapientes vocarentur, Pythagoras interrogatus, quid de se profiteretur, noluit se sapientem nominare, sicut sui antecessores, quia hoc præsumptuosum videbatur esse, sed vocavit se philosophum, id est, amatorem sapientiæ.* S. Thomas 1. Metaph. lect. 3. Et S. Augustinus l. 8. de Civ. c. 2. *Cum antea Sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur; iste (Pythagoras) interrogatus, quid profiteretur, Philosophum se esse respondit, id est, studiosum, vel amatorem sapientiæ: quoniam sapientiam profiteri arrogantissimum videbatur.*

(4) Vide S. August. l. 6. de Civ. c. 2.

(5) 1. Metaph. lect. 1.

„ sentis, vel etiam propter pigritiam vitant laborem addis„ cendi. “

ARTICULUS II.

Utrum Philosophia recte dividatur in Logicam, Physicam, Ethicam, & Metaphysicam.

10. Videtur hæc divisio redundare. I. Nam Aristoteles (1) Philosophiam dividit in contemplativam, & activam. Non ergo recte dividitur in quatuor partes.

11. II. Plato Philosophiam dividit in tres partes, moralem, naturalem, rationalem (2). Methaphysica ergo superfluit.

12. III. Econtra divisio tradita videtur diminuta. Nam Philosophia, ut est dictum (3), complectiur cognitionem omnium rerum, quæ naturaliter sciri possunt. Hujusmodi autem sunt etiam res mathematicæ. Mathematica igitur addenda est.

Propositio. *Philosophia recte dividitur in quatuor partes enumeratas.*

13. Prob. Philosophia ex dictis (4) est ipsa sapientia. Atqui ad sapientiam pertinet ordinare; quandoquidem sapientia est potissima perfectio rationis, cujus proprium est cognoscere ordinem unius rei ad aliam (5). Divisio igitur Philosophiæ constitui debet ex diversitate ordinis in rebus cognitis. Is autem ordo quadruplex est: primus quidem, quem ratio facit, cum ordinat suos conceptus, & voces, quæ sunt conceptuum signa. Alter, quem ratio considerat in rebus naturalibus. Tertius, quem ratio facit in actibus voluntatis. Postremus quem ratio ponit in operibus artium. Ex hac igitur diversitate ordinis statuenda Philosophiæ divisio est. Atqui ordo, quem ratio facit in suis conceptibus, pertinet ad Logicam, quæ propterea dicitur scientia rationalis (6). Ordo, quem ratio considerat in rebus naturalibus, si quidem consideratur

(1) 2. Metaph. c. 1.
(2) Vide S. Aug. l. 8. de Civ. c. 4.
(3) §. 6. (4) §. 5. (5) Confer. S. Thom. 1. Ethic lect. 1. & Nazianzenum Orat. 26. n. 8. ubi inquit: *Ordo in iis, quæ ratione, & animo intelliguntur, locum habet.*
(6) Vide not. 1. pag. 3.

in rebus sensibilibus, pertinet ad Physicam (1); si vero in rebus mere intelligibilibus, ad Metaphysicam (2). Ordo actionum voluntatis ad finem, pertinet ad Ethicam, sive ad scientiam de moribus. (3). Ordo autem à ratione positus in operibus artium, non pertinet ad aliquam scientiam proprie dictam, quoniam scientiæ sunt de necessariis, artes vero regulas quasdam continent, quas homines invenerunt ad vitæ utilitatem, aut voluptatem. Philosophia igitur recte dividitur in quatuor partes enumeratas (4).

14. Ad primum neg. cons. Nam studium omne sapientiæ in contemplatione, & actione versatur, quia Logica, Physica, & Metaphysica, in contemplatione, Ethica vero maxime in actione consistunt. (5).

---

(1) Φυσις Græce, natura latine dicitur. Itaque Physica idem est, ac scientia naturæ. Cicero 1. de Nat. Deor. Physicum vocat speculatorem naturæ.

(2) Metaphisica dicitur μετὰ τὰ φυσικὰ, hoc est, post, sive trans naturalis, quod sit de rebus, quæ physicam considerationem transcendunt. (3) Cicero l. de fato: *Quia*, ait, *pertinet ad mores, quos* ἤθη *Græci vocant, nos eam partem Philosophiæ de moribus appellare solemus.*

(4) Vide Origenem Prologo in Cant. Cantic. ubi ait: *Generales disciplinæ, quibus ad rerum scientiam pervenitur, tres sunt, quas Græci Ethicam, Physicam, & Theoricam apellaverunt, nos has dicere possumus moralem, naturalem, & inspectivam. Nonnulli sane apud Græcos etiam Logicen, quam nos rationalem possumus dicere, quarto in numero posuere. Alii non extrinsecus eam, sed per has tres quas supra memoravimus, disciplinas, insertam consertamque per omne corpus esse dixerunt. Est enim Logice, & velut nos dicimus, rationalis, quæ verborum, dictorumque videtur continere rationes, proprietatesque, & improprietates, generaque, & species, & figuras singulorum quoque edocere dictorum, quam utique disciplinam non tam separari, quam inseri ceteris convenit, & intexi. Moralis autem dicitur, per quam mos vivendi honestus aptatur, & instituta ad virtutem tendentia præparantur. Naturalis dicitur ubi uniuscujusque rei natura discutitur... Inspectiva dicitur, qua supergressi visibilia, de divinis aliquid, & cœlestibus contemplamur, eaque sola mente intuemur, quoniam corporeum supergrediuntur adspectum.* Videri etiam potest S. Augustinus l. 3. cont. Acad. c. 17. n. 37. scribens: *Plato adjiciens lepori, subtilitatique Socraticæ, quam in moralibus habuit, naturalium, divinarumque peritiam.... subjungensque quasi formatricem illarum partium, judicemque Dialecticam.... perfectam dicitur composuisse Philosophiæ disciplinam.*

(5) Conf. S. Aug. l. 8. de Civ. c. 4.

15. Ad secundum neg. cons. Namque Metaphysica continetur ea parte, quæ naturalis dicitur; inspicit enim ordinem constitutum à natura in rebus intelligibilibus, ut dictum est (1).

16. Ad tertium dicimus, res mathematicas referri ad Physicam (2), cum versentur circa quantitatem, quæ est prima corporis physici adfectio.

ARTICULUS III.

Utrum Philosophia infusa fuerit Adamo.

17. Post explicatam Philosophiæ existentiam, naturam, atque divisionem operæ pretium est in ejus originem inquirere; nam ut Cicero ait (3); *Affert vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam.* Itaque initium Philosophiæ sumendum est ab ipsa primi hominis conditione, cui Deus illam infudit. Verum Jacobus Bruckerus (4) contra statuit, Adamo, videlicet, tribui tantummodo posse rudimenta quædam Philosophiæ, & imperfectam quamdam cognitionem, ex meditatione, & experientia profectam. Cui sententiæ Heinecius subscribit (5).

18 Videtur autem ita dicendum. I. quia Philosophiæ origo communiter ducitur ab admiratione (6). At si Philosophia Adamo fuisset infusa, nulla in ipso potuisset esse admiratio, quæ ex ignorantia procedit, cum visis effectis, eorum causas nescimus. Philosophia igitur Adamo non fuit infusa.

19. II. Adamus deceptus fuit per verba mulieris, quæ putavit fieri potuisse, ut serpens loqueretur. Uterque igitur perspectam non habuit naturam serpentis; adeoque expers fuit Philosophiæ.

20. III. Adamus profecit in cognitione rerum. Illas igitur non cognovit per scientiam infusam.

21. IV. Habitus infusi differunt essentialiter ab acquisitis. Si ergo Philosophia fuisset Adamo infusa, differret essentialiter à nostra: quod falsum est.

---

(1) §. 13. (2) Vide S. Thom. 1. de Cœl. lect. 3.

(3) lib. 1. de Divin. (4) Hist. Phil. l. 1. c. 2. de Philos. antediluviana. (5) p. 1. c. 2. de Philos. traditionaria.

(6) Vide S. Thom. 1. Metaph. lect. 3.

Propositio. *Adamo statim à creatione infusa fuit à Deo Philosophia plene cumulateque perfecta*

22. Prob. Adamus statim à creatione ita fuit constitutus à Deo, ut esset parens cunctorum hominum, præbendo ipsis non modo esse per generationem, sed etiam disciplinam per instructionem; utrumque enim accipere filii à patre debent. Ergo quemadmodum ita corpore fuit constitutus, ut statim à creatione posset generare; pari modo, multoque magis sic fuit constitutus animo, ut statim posset alios instruere; & quidem omnibus scientiis, quas naturali ingenio adsequi poterant. Jam vero nemo alios instruere in scientiis valet, nisi jam iisdem scientiis sit instructus. Adamus igitur statim à creatione instructus fuit omnium rerum scientiis, quibus homines naturali ingenio instrui possunt (1). Hæc autem est Philosophia omnibus numeris absoluta, ut dictum est (2). Adamus igitur instructus fuit Philosophia plene, cumulateque perfecta statim à creatione (3). Sic autem instructus esse non potuit per meditationem, & experientiam; utraque enim tem-

(1) Hujus eximiæ, excellentissimæque scientiæ indicium fuit, quod Adamus rebus nomina indidit. Cicero l. 1. Tuscul. » Summæ sapien-» tiæ, *inquit*, Pythagoræ visum est, quod aliquis omnium primus om-» nibus rebus nomina imposuit." Et Plato in Cratylo: » Non cujusque » viri est nomen imponere, verum cujusdam nominum auctoris: hic » autem est, ut videtur, legislator, qui rarior omni artifice inter ho-» mines reperitur." Ita Gentiles Philosophi, quamquam lumine fidei destituti. Chrisostomus autem hom. 14. in Gen. *Qui potest*, inquit, *congruis nominibus jumenta appellare, & volatilia cæli, & alias bestias, quomodo non omni sapientia, & industria pollet?* Et S. Augustinus l. 5. Oper. Imperf. con. Jul. n. 1. sic ipsum redarguit: » Neque se-» cundum Christianam cogitatis fidem, qualis sit factus Adam, qui » universis generibus animarum vivarum nomina imposuit: quod excel-» lentissimæ fuisse indicium sapientiæ, in sæcularibus etiam litteris le-» gimus. Nam ipse Pythagoras, à quo Philosophiæ nomen exortum est, » dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula pri-» mus indidit rebus. Verum etsi nihil tale de Adam didicissemus, nos-» trum erat utique vera ratione conjicere, qualis in illo homine natu-» ra sit condita, in quo vitium omnino nullum fuit. Quis autem us-» que adeo sit tardus ingenio, ut ad naturam neget obtusa, vel acu-» ta ingenia pertinere; aut existimet, non esse animi vitia vel memo-» riæ, vel intelligentiæ tarditatem?" (2) §. 6.

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 94. a. 3. & q. 18 de verit. a. 4.

pore comparatur. Ergo nonnisi per habitum à Deo infusum (1).

23. Ad primum dist. maj. ducitur ab admiratione in posteris Adæ longe post ipsum, conc. in ipso Adamo, nego. Sane cum homines progressu temporis multis curis distenti, & cupiditatibus dediti, remiserint sapientiæ studium, excitari ad illud ex admiratione debuerunt (2). In Adamo autem nulla fuit admiratio circa res naturales; non enim erat quod ille admiraretur, qui omnium causas norat. *Unde enim solet oboriri admiratio, aut quæ hujus vitii mater est, nisi res insolita præter manifestum causarum ordinem* (3)?

24. Ad secundum negamus, Adamum deceptum fuisse errore speculativo, quasi putarit, vera esse quæ mulier ex serpente proferebat; dicimus tamen, fuisse deceptum errore practico, quia superbia elatus, non attendit ad divina promissa. Neque putavit, fieri potuisse, ut serpens loqueretur conditione naturæ, sed ministerio creaturæ spiritualis (4).

25. Ad tertium dist. ant. profecit cognitione experimentali, conc. intellectiva, nego. Utique Adamus experiendo profecit, quia quod ante sciebat per scientiam mentis, postea cognovit per experientiam sensus (5).

26. Ad quartum dist. ant. habitus *per se* infusi differunt essentialiter ab acquisitis, concedo; infusi *per accidens*, nego. Hoc posteriori modo Philosophia infusa fuit Adamo; id enim requirebat non Philosophiæ natura, sed conditio primi hominis, qui alioqui conditus fuisset in omnium rerum ignoratione: quod ejus statui minime congruebat.

---

(1) Id videtur indigitatum Eccl. c. 17. v. 5. sq. ubi de primis parentibus dicitur: *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis.*

(2) Ita intelligendus est S. Thomas, cum ait 1. Metaph. lec. 3. » Qui primi philosophati sunt, incœperunt philosophari propter ad» mirationem alicujus causæ; & quidem à principio admirabantur du» bitabilia pauciora, quæ magis erant in promptu, ut eorum causæ cog» noscerentur; sed postea ex cognitione manifestorum ad inquisitionem » occultorum paulatim procedentes, incœperunt dubitare de majoribus, » & occultioribus, sicut de passionibus lunæ, & de eclipsi ejus, & » de mutatione figuræ ejus &c."

(3) S. Aug. l. 1. de Ord. c. 3. n. 8.

(4) S. Thom. in 2. d. 22. a. 3. ad 2.

(5) Idem q. 18. de verit. a. 4. ad 11.

ARTICULUS IV.

Utrum Philosophiæ propagatio tribuenda sit Philosophis Græcorum.

27. Arbitratus est Epicurus (1), solos Græcos posse philosophari, cæteros tamquam barbaros esse despiciendos (2). Videtur autem ita dicendum. I. quia veteres ante Thaletem ita erant imperiti Philosophiæ, ut ne eclypses quidem prædicere noverint; Thales enim primus omnium eclipses prædixit (3). Nemo igitur ante Græcos Philosophiam propagavit.

28. II. Aristoteles (4) scribit, Poetas omnium primos cœpisse de natura philosophari. Sed, ut Cicero ait (5), apud Græcos antiquissimum è doctis fuit genus Poetarum. Igitur apud Græcos fuere qui primi Philosophiam propagarunt.

29. III. Fabulosa videntur viris eruditis (6), quæ de priscis Philosophis ante Græcos, ut de Trismegisto, de Sanchoniathone, de Zoroastre &c. narrantur. Propagatio ergo Philosophiæ unice Græcis est adscribenda.

Propositio. *Philosophia à prima mundi ætate ad hæc nostra tempora constanter propagata fuit, magna tamen vicissitudine.*

30. Prob. Adamus, ut dictum est (7), Philosophiam accepit infusam ut illam transmitteret ad posteros suos. Atqui non est putandum, fuisse hoc parentis debitum ab illo neglectum, præsertim postquam ipsum pœnituit delicti sui: neque enim peccato philosophiam amiserat, quoniam scientiæ naturales per peccatum non amittuntur (8). Philosophia igitur ab

---

(1) Vide Clem. Alex. Strom. 1.

(2) Græcis barbari erant quicumque Græce nescirent. Theodoretus ser. 5. de curand. Græc. adfect Profecto sicuti Græcis hominibus Illyrici, Pœones, Taulantii, & Atintanes barbari esse censebantur; ita rursus & eisdem illis, aliisque ferme omnibus, qui audire Græcum idioma non possent Attica lingua, Dorica, Æolica, & Jonica, videntur barbariem quamdam sapere."

(3) Cicero l. 1. de Divin. (4) 1. Metaph. c. 33.

(5) l. 1. Tuscul.

(6) Vicus in Tab. Chron. *ad scientiam novam.* Deslandius *Histor. Critique de la Philosophie.*

(7) §. 22. (8) Vide S. Thom. 1. 2. q. 63. a. 2. ad 2.

Adamo transmissa fuit ad filios, & nepotes. Atqui Adam vixit annis noncentum triginta; Mathusalem vero, qui postremus fuit Patriarcharum defunctorum ante diluvium, natus fuit anno mundi sexcentesimo octuagesimo septimo, vixitque annis nongentis sexaginta novem; ideoque Adamum superstitem habuit annis biscentum quadraginta tribus; vixit vero Mathusalem cum Noemo annis sexcentum; quippe Noemus natus fuit anno mundi millesimo quinquagesimo sexto, Mathusalem obiit ipso anno diluvii, id est, anno mundi millesimo sexcente mo quinquagesimo sexto. Facile igitur propagari Philosophia potuit ab Adamo ad homines ante diluvium.

31. Post diluvium, ac præsertim post confusionem linguarum, homines in varias mundi plagas dispersi, nonnihil remiserunt studium sapientiæ, illud tamen non omnino restinxerunt: nam ut dictum est (1): desiderium sciendi est homini naturale: desiderium autem naturale non potest esse prorsus inane, cum sit inclinatio inhærens rebus ex ordinatione primi Moventis, quæ omnino frustrari nequit (2). Itaque unaquæque prope gens suos habuit sapientes longe ante tempora Græcorum.

32. Atque ad Hebræos quod pertinet, facile propagari apud ipsos Philosophia potuit ex Adamo. Ut enim dictum est (3), Mathusalem erudiri ab Adamo potuit; à Mathusalem vero Noemus, à quo Semus ejus filius excipere potuit documenta à majoribus tradita ante diluvium, eaque Abrahamo tradere: nam Abrahamus superstitem habuit Semum annis quinquaginta. Abrahamus autem filium Isaac erudivit, is vero filium Jacobum, à quo doctrinam acceperunt ejus filii, inter quos Levi, qui usque ad Moysen Hebræorum Legislatorem vixit. Sic ergo continuata successione ab Adamo ad Moysen, & à Moyse ad Judaicam gentem propagari Philosophia facile potuit (4). Inter Hebræos sapientissimus fuit Salomon (5), qui *disputavit super lignis à cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus* (6).

---

(1) §. 5. (2) S. Thom. 1. Ethic. lect. 2. (3) §. 30.

(4) Vide, si licet, Joan. Franc. Buddeum Hist. Phil. Hebr. c. 1. & Hornium Hist. Phil. l. 2.

(5) De Salomone S. Thom. q. 12. de ver. a. 12. *Salomon*, inquit, *de moribus hominum, & naturis rerum, quæ naturaliter accipimus, divino instinctu ceteris certius judicavit.*

(6) 3. Reg. c. 4. v. 33. Quo ex loco perspicue constat, quam

33. Hebræis adjungendi sunt Chaldæi, quos Cicero (1) antiquissimum appellat Doctorum genus. Constat sane, Abrahamum inter Chaldeos fuisse versatum (2). Itaque verisimile valde est, Chaldæos ab Abrahamo multa didicisse (3). Sapientes apud Chaldæos Magi vocabantur (4), eosque à Zoroastre institutos, auctor est Plutarchus (5). Suidas refert (6), Zoroastrem annis quingentis antiquiorem bello Trojano exstitisse, hoc est, longe ante Philosophos Græcos, quorum nemo (si paucos Poëtas excipias, qui vel paulo ante, vel post Trojam captam exstitisse (7) feruntur) alicujus nominis fuit ante Olympiades (8), ut infra dicemus. Chaldæos astrorum scientia excelluisse testatur Cicero (9), & colligitur etiam ex Porphirio,

---

false Heinecius Elem. Hist. Phil. §. 14. scribat de Salomone aliisque Hebreorum sapientibus: *Eorum sapientia magis in vera Dei notitia, & scientia morum, quam in speculationibus phisicis constitisse videtur.* Miranda vero est Heinecii eruditio, cum ibid. inter Hebreos numerat Adamum, & Noachum. *Sapientiæ*, inquit, *studiosissima fuit gens hebræa, inque ea Adamus, Noachus* &c quasi Adamus, & Noachus non fuerint universorum hominum parentes.

(1) l. 1. de Divin. (2) Gen. c. 11. v. 31.

(3) Josephus Antiq. Jud. l. 1. c. 15. de Abrahamo testimonium Berosi profert scribentis: *Post diluvium decima generatione apud Chaldæos fuit quidam vir justus, & magnus, in cælestibus rebus expertus.*

(4) Vide S. Thom. 3. p. q. 36. a. 3. ad 2. (5) de Iside, & Osiride.

(6) Non una est de Zoroastris ætate sententia. Vide Stanlejum de Chald. Philos. par. 13. sect. 1. c. 3. Sive autem cum Epiphanio dicatur vixisse Nembrodi tempore, sive cum Eusebio tempore Semiramidis uxoris Nini Regis Assiriorum; constat, longe ante Trojana tempora exstitisse: nam Nembrodus pater Nini fuit; Nini autem imperii anno 43. natus fuit Abrahamus, à quo ejus nativitatis anno usque ad Trojam captam numerat Eusebius in Chron. annos 824 sive 835.

(7) Vide Euseb. in Chron.

(8) Idem Euseb. ibid. *A captivitate Trojæ*, inquit, *usque ad Olympiadem primam anni 406. alias 405.* (sive ex Arundelliano marmore 434.) *Aschyli Atheniensium Judicis secundo anno prima Olympias acta, quæ erat Agon gymnicus, in quo Chorœbus Heliensis extitit victor... Ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur.*

(9) l. 1. de Divin. ubi scribit: » Assyrii propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum cælum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones, motusque stellarum observaverunt: quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderunt: qua in natione Chaldæi non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse."

quem citat Simplicius (1).

34. Phœnices quoque ab Abrahamo fuisse edoctos, testatur Eupolemus apud Eusebium (2). Idem Eusebius (3) ostendit, litteras ab Hebræis ad Phœnices pervenisse. De iisdem Phœnicibus scribit Herodotus (4): *Phœnices qui cum Cadmo* (5) *advenerunt, cum multas alias doctrinas, tum vero litteras, attulerunt, quæ apud Græcos ante non fuerant.* Unde constat, in Phœnicia litteras fuisse cultas ante tempora Græcorum. Inter Phœnices eminuisse dicitur Sanchoniathon, isque floruisse ante Trojana tempora (6).

35. Persis sui non defuere sapientes, inter quos recensetur alter Zoroaster (7) Magorum Persarum institutor (8), de

---

(1) In l. 2. de Cælo, ubi refert, Callisthenem rogatum ab Aristotele, ad ipsum misisse observationes siderum annorum 1903. à Chaldæis factas.

(2) L. 9. Præpar. c. 17. (3) l. 10. Præpar. c. 5.

(4) L. 5. c. 58.

(5) Cadmus regnasse dicitur Thebis post mortem Josue circa tempora Othonielis Judicis Hebræorum. Vide Euseb. in Chron. & Clem. Alex. Strom. 1.

(6) Sanchoniathonis libros Philo. Byblius in Græcam linguam vertit. Vide Theodoretum ser. 2. de curandis Græc. adfect. Fragmenta quædam servavit Eusebius, ac libris suis de Evangelica Præparatione intexuit. De Sanchoniathone videri potest Daniel Huetius Demonst. Evang. propos. 4. c. 2. De eodem scripsere Vandalius in Dissert. super Sanchoniathone, & Dodvvellus Dissert. edita de Sanchoniathone.

(7) Varios fuisse Zoroastres, ostendit Stanlejus *de Philos. Cald.* part. 13. sect. 1. c. 2. nimirum *Chaldæum*, de quo diximus §. 33. Item *Bactrianum*, de quo Justinus l. 1. Item *Persam*, sive *Medum*, ut ait Clemens Alex. Strom. 1. pag. 334. de quo hic loquimur. Item *Pamphylium*, de quo idem Clemens Strom. 5. pag. 598. Et *Proconnesium*, de quo Plinius l. 30. c. 1. Idem Stanlejus putat, à Zoroastre Caldæo qui Astronomicarum disciplinarum cultor fuit, attributum fuisse aliis Zoroastris nomen, propterea quod easdem disciplinas coluerint. Daniel Huetius Dem. Evang. prop. 4. c. 5. nititur ostendere, varios Zoroastres in una Moysis persona convenire; sed levissimis id efficit conjecturis.

(8) Thomas Hyde *de veterum Persarum Religione* in Præfat. putat, hunc Perso-medum Zoroastrem tempore captivitatis Judæorum vixisse. Cui consentit Stanlejus loc. cit. eo quod vox *Persa* usitata non fuerit ante tempora Ezechielis Prophetæ.

quibus S. Hieronymus (1): *Magi sunt, qui de singulis philosophantur . . . consuetudo autem communis magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud Gentem suam, eo quod sint philosophi.* Cui subscribens S. Thomas (2) cum de Magis disserit, qui Bethlehem adorare Dominum nostrum Jesum Christum venere, ait: *Quidam dicunt, quod isti Magi non fuerunt malefici, sed sapientes Astrologi, qui apud Persas, vel Chaldæos Magi vocantur.* Persas ab Ælamo Semi filio, deindeque ab Abrahamo institutos confirmat Thomas Hyde *de veteri Persarum Religione* (3).

36. In Arabia jam ante Græcos Philosophiam fuisse cultam, constat ex Porphirio (4), qui refert, Pythagoram inter alias regiones, quas discendi studio peragravit, Arabiam quoque petiisse. Sane Arabiæ petreæ contigua erat Idumæa (5). Inter Idumæos autem summa sapientiæ laude claruit Jobus.

37. Apud Indos celebrabantur Gymnosophistæ, qui, ut S. Augustinus ait (6), *nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiæ.* Hos autem ante tempora Alexandri Magni, sapientes fuisse habitos, ex eo patet, quod refert Clemens Alex. (7) „ Indorum philosophia fuit ipsa quoque valde celebrata. „Alexander quidem certe Macedo, cum Indorum decem cœ„pisset Gymnosophistas, qui videbantur esse optimi, & præs„tantissimi, sermonisque brevitate ceteris antecellere, quæs„tiones eis proposuit, eum qui non apte responderet, se esse „de medio sublaturum minatus. "

(1) In c. 2. Danielis. (2) 3. p. q. 36. a. 3. ad 2.

(3) Cap. 1. ubi scribit „ nullum esse dubium, quin Aborigines." (Aborigines gens erant Arcadibus prognata, de quibus videri potest Dionysius Halicarnasseus l. 1.) „ Gentis Medicæ, & Persicæ condi„tores, fuerint orthodoxi... Nam pie credendum est, quod Ælam Per„sarum pater, aut avus (Semi filius moriger) post tam stupendam „à diluvio liberationem, paternam Religionem retinuerit, & in eadem „firmiter perstiterit; & tantum erga se Divinæ Bonitatis Miraculum „recente memoria habens, à Patre Semo acceptam doctrinam salu„tarem suis filiis, & nepotibus instillaverit." Et cap. 2. „ Veterum Per„sarum Religio ab Arabice loquentibus nuncupata est *Millat Ibraim*, „& à Perso-medice loquentibus *Kish Abraham*, quæ utraque sonat „*Religio Abrahami*, gloriando, eam primo ab Abrahamo Patriarcha, „& Fidelium parente profectam."

(4) In vita Pythagoræ.

(5) Plinius l. 5. c. 13.

(6) L. 15. de Civ. c. 20.

(7) Strom. 6. p. 634.

38. Ad Ægyptios devenientes, invenimus ipsos ante Moysen sapientiæ laude commendatos. Moyses enim dicitur *eruditus omni sapientia Ægyptiorum* (1). Ab Ægyptiis artes mathematicas fuisse inventas post Platonem (2) & Laertium (3) scribit S. Thomas (4); nam ut Cicero (5) animadvertit: » » Ægyptii, & Babylonii, in camporum patentium æquoribus » habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contempla» tioni cæli officere posset, omnem curam in siderum cog» nitione posuerunt. « Celeberrimus inter Ægyptios fuit Hermes, sive Mercurius dictus *Trismegistus*, id est, ter magnus, quod habitus fuerit magnus Philosophus, Sacerdos, & Rex. Eumdem post Moysen vixisse, sed longe ante tempora Græcorum Philosophorum, tradit S. Augustinus (6), Ægyptios ab Abrahamo fuisse doctos, cum in Ægyptum perrexit, auctor est Josephus (7).

39. Quod ad Europam pertinet, sapientiæ laude claruere in Thracia Zamolsis, qui teste Clemente Alex. (8) *unus erat ex familiaribus Pythagoræ*; in Scythia Anacharsis, qui ut habet idem Clemens (9), *scribitur Græcorum multis ante celluisse Philosophis*; in Gallia Druidæ (10); in Hispania Tur-

(1) Act. 7. v. 22. (2) in Phedro. (3) in Prœmio.

(4) 1. Metaph. lect. 1. *Circa Ægyptum primo inventæ sunt artes mathematicæ, quæ sunt maxime speculativæ, à Sacerdotibus, qui sunt concessi studio vacare, & de publico expensas habebant, sicut etiam legitur in Genesi.*

(5) L. 2. de Divin.

(6) L. 18. de Civ. c. 39. *Quod attinet ad philosophiam, quæ se docere profitetur aliquid, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt: longe quidem ante sapientes, vel Philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, & Isaac, & Jacob, & Josephnimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore, quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus Astrologus, Promethei frater, matermus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trismegistus.*

(7) Antiq. Judaic. l. 1. c. 16. ubi de Abrahamo Ægyptum ingresso, scribit: » Erat in admiratione cunctorum, tamquam vir sa» piens, atque paratus non solum ad intelligendum, sed etiam ad » satisfaciendum, & ad loquendum quodcumque docere niteretur. Arith» meticam quoque eis contulit, & quæ de Astrologia sunt, ipse con» tradidit. «

(8) Strom. 4. pag. 497. (9) Strom. 1. pag. 305.

(10) S. Thom. Opusc. 20. l. 1. c. 14. » Quia futurum erat, ut

detani (1); in Italia Hetrusci, & Siculi (2).

40. Fatemur tamen cum Angelico Doctore (3), priorum illorum Sapientum Philosophiam (exceptis Hebræis in iis præsertim, quæ ad Religionem, & ad mores spectant) fuisse valde imperfectam, plurimisque implicatam erroribus. » Sicut enim » pueri de novo loqui incipientes, imperfecte, & balbutien» do loquuntur; ita philosophia priorum Philosophorum visa » est balbutiendo, & imperfecte de omnibus loqui. »

41. Ut primum inter Græcos coli Philosophia cœpit, fuere quidam Poetæ Theologi nuncupati, quod de Divinis carmina canerent; quorum præcipui Orpheus, & Musæus, & Linus vixerunt tempore, quo Judices erant in populo Judæorum (4), hoc est, circa annum mundi 3940. ex Eusebii supputatione in Chronico, cum tamen Troja capta ponatur ab eodem Eusebio anno mundi 4019. Homerus autem, & Hesiodus multo post Trojam captam fuisse inveniuntur (5); at-

---

» in Gallia Christiani Sacerdotii plurimum vigeret Religio, Divini» tus est permissum, ut etiam apud Gallos Gentiles, Sacerdotes, quos » Druidas nominabant, totius Galliæ jus definirent, ut refer, Julius » Cæsar in libro, quem de bello Gallico scripsit. "

(1) Vide S. August. l. 8. de Civ. c. 9. & ibi adnot. Ludovici Vives. (2) Confer. Clem. Alex. Strom. 1. pag. 307. » Tuscanos ajunt plas» ticem excogitasse, Itanonque (Samnites is fuit) primo clypeum » fecisse. . . Siculi quoque, qui sunt in Italia, primi invenere Phormin» gem, quæ non multum differt à cithara." (3) Methaph. lect. 17.

(4) S. Thomas 1. Methaph. lect. 4. » Apud Græcos primi fa» mosi in scientia fuerunt quidam Poetæ Theologi, sic dicti, quod » de Divinis carmina faciebant. Fuerunt autem tres, Orpheus, Mu» sæus, & Linus, quorum Orpheus famosior fuit. Fuerunt autem tem» pore, quo Judices erant in populo Judæorum. Unde patet, quod » diu fuerunt ante Thaletem, & multo magis ante Aristotelem, qui » fuit tempore Alexandri. " Vide Clem. Alex. Strom. 1. p. 323.

(5) Theodoretus Ser. 2. de curandis Græc. adfect. » Homerus cer» te, atque Hesiodus multo post Trojana tempora floruerunt. Ipse ve» ro Orpheus, Poetarum primus, generatione una præcessit Trojana » tempora..... Linus porro, & Musæus circa Trojana tempora vigue» runt..... Cum ergo, ut Porphyrius inquit, Moyses hisce Poetis sit mil» le annis antiquor; hi vero Poetarum sint antiquissimi (post eos enim » & Homerus, & Hesiodus nati sunt, qui & Thaletem, & alios Phi» losophos multis annorum spatiis præcesserunt) cumque sit Thales, au» ditoresque Thaletis, vetustior insequutis Philosophis; cur non, quæso, » his omnibus relictis, ad Moysem Oceanum Theologiæ transimus? " Vide Clem. Alex. pag. cit. & S. Thom. 3. Metaph. lect. 11.

que proinde Moyse, cæterisque Philosophis, quorum meminimus, posteriores. Sunt qui in dubium vertunt, extiteritne umquam Orpheus (1). Sunt præterea qui putant, Orphei carmina conficta esse, & à veteribus Christianis interpolata (2). Sed cum Orphei ejusque carminum Plato mentionem faciat in *Jo* (3), non videtur de eorum veritate dubitandum (4). Quia vero, uti Clemens Alex. (5) scribit: *velum apud vulgus est poetica delectatio*; hinc evenisse docet Angelicus (6), ut Poetæ Philosophiam obscurarint potius, quam illustrarint. *Si enim per fabulas veritas obumbretur, non potest sciri, quid verum sub fabula lateat, nisi ab eo qui fabulam confixerit.*

42. Post Poetas extitere septem Sapientes, quorum *primus Thales Milesius tempore Romuli, & apud Hebræos tempore Achaz Regis Israel* (7). *Secundus Pittacus Mitylenæus, apud Hebræos*

---

(1) Si Ciceronem audiamus l. 1. de Nat. Deor. *Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse.* Ubi vero sic docuerit Aristoteles, Cicero non dicit.

(2) Vossius de Arte Poet. c. 13.

(3) Ubi Socrates inducitur dicens: *Nec in tibiarum flatu, ut arbitror, nec in pulsu citharæ, nec in illo ad citharam cantu, neque in rhapsodia virum intuitus es, qui Olympi operæ, vel Thamiræ, vel Orphei, aut Ithacensis Phemii rhapsodi, exprimere possit.* Idem Plato in *Philebo* Orpheum citat: » In sexta vero progenie, inquit Orpheus, can» tilenæ ornatum finiri." Vide Plutarchum de Musica, ubi ait: *Orpheus neminem videtur imitatus.*

(4) Fatemur tamen cum Clemente Alex. Orphica carmina quæ circumferuntur, non esse Orpheo adscribenda. *Onomacritus*, inquit ille Strom. 1. p. 334. *Atheniensis, cujus dicuntur esse poemata, quæ Orpheo adscribuntur, tempore principatus Pisistratidarum, circa quinquagesimam Olympiadem invenitur.* Idipsum scribit Tatianus Orat. con. Græcos n. 41. (5) Strom. 5. (6) 3. Metaph. lect. 11.

(7) *Romulo regnante* (inquit S. Augustinus l. 18. de Civ. c. 24.) *Thales Milesius fuisse perhibetur, unus ex septem sapientibus.* Nam Thales Milesius ab Eusebio in *Chronico* ponitur Olympiade octava, quo tempore Romulus apud Romanos, & Achaz apud Hebræos regnabant. Cum autem idem Eusebius ad Olympiadem 35. referat alium Thaletem Examii filium; ideo potuit Clemens Alex. Strom. 1. pag. 302. scribere: » Thaletem Eudemus in historiis Astrologicis dicit prædixisse de» fectum solis, qui fuit eo tempore, quo inter se manus conseruere Me» di, & Lydi, regnante quidem Cyaxare patre Astyagis in Media, Alyat» te autem Crœsi in Lydia..... Sunt autem ea tempora circa quinquage» simam Olympiadem." Et cum circa eadem tempora clari habiti fuerint reliqui sex sapientes; potuit etiam idem Clemens ibid. pag. 332.

regnante Sedecia, & apud Romanos Tarquinio Prisco (1). *Alii quinque fuerunt Solon Atheniensis, Chilo Lacedæmonius, Periander Corinthius* (2), *Cleobolus Lidius, Bias Priæneus, qui fuerunt omnes tempore Babylonicæ captivitatis* (3). Cum autem ii sapientes, uno excepto Thalete, Moralia tantum persequuti fuerint, ut post S. Augustinum (4) Angelicus animadvertit (5), Philosophiam non admodum propagarunt.

43. Thales princeps fuit Sectæ Philosophorum, quæ ab Jonia Jonica dicta est. Italica vero Secta, cujus princeps fuit Pythagoras natione Samius, sic appellata est, quod Pythagoras Cotrone, & Metaponti doceret, vigeretque ejus Secta in ea Italiæ parte, quæ quondam Magna Græcia (6), nunc autem Apulia, & Calabria nuncupatur (7). Cum autem Thales ad Olim-

---

adfirmare: » Qui autem cum Thalete connumerati sunt Sapientes, fue-» runt eodem tempore."

(1) S. Aug. lib. 18. de Civ. c. 25. *Regnante apud Hebræos Sedecia, & apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Martio, ductus est captivus in Babyloniam populus Judæorum..... Eo tempore Pittacus Mitylenæus alius ex septem sapientibus, fuisse perhibetur. Et quinque cæteros, qui ut septem numerarentur, Thaleti, quem supra commemoravimus, & huic Pittaco adduntur, eo tempore fuisse scribit Eusebius, quo captivus Dei populus in Babylonia detinebatur.*

(2) Quidam apud Clem. Alex. Strom. 1. loco Periandri Corinthii ponunt Anacharsim Schytam, aut Epimenidem Cretensem. Verum S. Thomas communiorem amplexus est sententiam.

(3) S. Thom. 1. Metaph. lect. 4. (4) Loc. cit. (5) 1. de anima lect. 5. (6) De Magnæ Græciæ finibus vide Mazochium de Tabulis Heracleensibus Diatr. 1. cap. 2. sqq.

(7) » Sciendum est (inquit S. Thomas 1. Metaph. lect. 7.) duo fuis-» se Philosophorum genera. Nam quidam vocabantur Jonici, qui mora-» bantur in illa terra, quæ nunc Græcia dicitur. Et isti sumpserunt » principium à Thalete. Alii Philosophi fuerunt Italici, in illa parte » Italiæ, quæ quondam Magna Græcia dicebatur, quæ nunc Apulia & » Calabria dicitur; quorum Philosophorum princeps fuit Pythagoras » natione Samius." Nimirum communiorem de Pithagoræ patria opinionem S. Thomas est consectatus. Nam licet Clemens Alex. Strom. 1. pag. 300. & Theodoretus Ser. 1. de curandis Græc. adfect. ex Aristoxeni, Aristarchi, & Theopompi sententia Pythagoram Tuscum, sive Tyrrhenum faciant; quod & Suidas confirmat: alii vero apud Porphyrium in vita Pythagoræ, Phliasium fuisse affirment; alii Syrium, Tyro oppido ortum, ut Cleanthes apud eumdem Porphyrium; alii ut Jamblicus in vita Pythagoræ c. 1. sq. Sidone in Phœnicia ipsum natum dicant; alii demum cum Lyco apud Porphyrium nihil certi de Patria Pythago-

piadem octavam, vel 35. referatur, ut dictum est (1); Pythagoras vero natus fuerit tertio anno Olympiadis 53. (2), & in Italiam fuerit profectus Olympiade 62. (3) clarusque Philosophus habitus Olympiade 63. (4); constat, quam fuerint Græci Philosophi aliarum gentium Philosophis posteriores.

44. Ex Jonica, & Italica Sectis, quibus Clemens Alex. (5) Eleaticam addit (sic dictam à Parmenide Eleate, qui eam auxit, quamvis fuerit instituta à Xenophane (6) Colophonio), plures aliæ Sectæ prodierunt; Cyrenaica ab Aristippo Cyrenaico; Eliaca à Phœdo Eliensi; Megarica ab Euclide Magarensi; Academica (7) vetus à Platone; Academica media ab Arcesila; Academica nova à Carneade (8); Cynica (9) ab Antisthene; Stoica (10) à Zenone Cittiensi; Peripatetica (11) ab Aristotele; Pyrrhonica à Pyrrhone Eliensi (12); Epicurea ab Epicuro; Eclectica (13) à Potamone. Sub hisce Sectis, quamquam multis magnisque scaterent erroribus (14), aucta Philosophia est. Quia enim

---

ræ statui posse contendant; nihilominus Pithagoras communius nationе Samius habetur. Vide S. August. l. 8. de Civ. c. 2. & Stanlejum Hist. Phil. part. 8. c. 1.

(1) §. 42. & not. 7. pag. 74. (2) Vide Stanlej. Hist. Phil. part. 13. cap. 1. (3) Ib. cap. 10. (4) Vide Euseb. in Chron.

(5) Strom. 1. pag. 300. (6) Vide S. Thom. 1. Met. lect. 9.

(7) Academica dicta est ab horto quodam, quem Ecademus destinavit Athenis, in quo Socrates, & Plato docuerunt.

(8) Academici veteres sequuti Platonem, de incertis dubitabant, multa tamen certa profitebantur. Media Academia nihil certum esse putabat. Academia nova etsi verum aliquid esse profiteretur, negabat tamen inveniri à nobis posse. Vide Lactantium l. 3. Inst. c. 4. sqq. Hi postremi *Sceptici*, sive despicientes, & *Acataleptici*, id est, incomprehensibiles dicti sunt. *Dogmatici* vero dicebantur ii qui sua dogmata ut certa pertinaciter tuebantur. Vide Sext. Empir. Pyrrh. Hyppot. lib. 2. cap. 1.

(9) Sic dicta vel à canina mordendi licentia, vel à Cynosarge, seu Candidi canis templo, in quo Antisthenes docebat.

(10) A porticu, Græce στοὰ, ubi hujus Sectæ Philosophi convenire ad dissedendum consueverant.

(11) Peripatetica est appellata ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, quod est deambulare; quippe hi Philosophi consueverant inter deambulandum disputare. Vide Cic. l. 1. Acad.

(12) Pyrrhonici cum Scepticis conveniebant.

(13) Ecclectici dicti sunt, qui nulli se addicentes sectæ, ex omnibus seligebant quod magis placeret.

(14) Vide S. Just. M. *in Cohort. ad Græc. n.* 8. Athenagoram *Le-*

nullus homo ita est expers veritatis, quin aliquid de veritate cognoscat... licet id quod unus homo potest immittere, vel apponere ad cognitionem veritatis suo studio, & ingenio, sit aliquid parum, per comparationem ad totam considerationem veritatis; tamen illud quod agregatur ex omnibus exquisitis, & colectis, fit aliquid magnum, ut potest apparere in omnibus artibus, quæ per diversorum studia, & ingenia ad mirabile incrementum pervenerunt (1). Non assentimur tamen iis qui putant (2), *Græcanicas litteras ad summum ejus, quæ inter homines versatur, sapientiæ apicem pertigisse.* Nam ut recte Lactantius (3): „In »multas Sectas Philosophia (Græcanica) divisa est: & omnes »varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certe »non potest. Designemus quamlibet: nempe in ceteris omni»bus sapientia non erit. Transeamus ad singulas. Eodem modo, »quidquid uni dabimus, ceteris auferemus. Unaquæque enim »Secta omnes alias evertit, ut se, suaque confirmet... sed sicut »alias tollit, sic ipsa quoque ab aliis omnibus tollitur.«

45. Post Christum natum plerique Ecclesiæ Patres Platonem sequuti sunt (4) in iis, quæ cum Fide Catholica conjungi poterant (5). Plures tamen conquesti sunt, *Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum* (6). Plures etiam

---

gat. pro Christ. n. 7. de Præscr. c. 7. & l. de ani. c. 2. Lactantium *l. 1. Inst. c. 1.* Cyrillum Alex. *l. 1. con. Julian.* & S. Thomam. 1. p. q. 1. art. 1. (1) S. Thom. 2. Metaph. lect. 1.

(2) Ita Auctor Disput. Phys. Hist. præmissæ Phys. Muskembr. c. 3. §. 1. (3) L. 3. Inst. c. 4.

(4) Cujus rei S. August. l. 5. de Civ. c. 10. rationem reddit. Nam postquam dixit: *Sive isti Platonici, sive quicumque alii quarumlibet gentium Philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sentiunt*; subdit: »Sed ideo cum Platonicis magis placuit hanc causam agere, quia eo»rum sunt litteræ notiores. Nam & Græci, quorum lingua in genti»bus præeminet, eas magna prædicatione celebrarunt, & Latini per»moti earum vel excellentia, vel gloria, ipsas libentius didicent, »atque in nostrum eloquium transferendo nobiliores, clarioresque fe»cerunt." Hæc si legisset Ficinus, nequaquam scripssiset Prœmio in Platonem, Platonem à se latine factum, quod *ad hæc usque secula Sol Platonicus nondum palam Latinis gentibus oriretur*; neque Josephus Blanchinus in Prœm. Operis de Magnis Hetruriæ Ducibus, hanc gloriam Ficino tribuisset.

(5) Vide S. Aug. l. 3. con. Acad. c. 19. n. 43. de se ajentem: »Apud Platonem me interim quod sacris nostris non repugnet, reper»turum esse confido." Confer etiam S. Th. in 2. d. 14. q. 1. a. 2.

(6) Tertull. l. de ani. c. 2.

aliis Sectis, præsertim Sectæ Peripateticæ (1) adhæserunt.

46. Cum autem quinto Ecclesiæ seculo, & deinceps Wandali, Arabes, Gothi, Heruli, aliæque barbaræ gentes magnam Asiæ, Africæ, & Europæ partem occupassent, omniaque vastarent, ditissimasque Bibliothecas exurerent, liberales disciplinæ, artesque detrimentum haud leve passæ sunt (2); ipsaque Aristotelis Philosophia depravata fuit ineptis Arabum interpretationibus (3). Non adeo tamen in Occidente immanis erat barbaries, ut illam juniores quique Philosophi perdurasse comminiscuntur à septimo potissimum Ecclesiæ seculo, usque ad renatas, ut ipsi loquuntur, litteras, circa annum 1453. quo capta à Turcis Constantinopolis fuit (4).

---

(1) Vide Euseb. l. 7. Hist. c. 32. ubi refert, Philosophiam Aristotelis viguisse Alexandriæ, Diocletiani tempore. Et S. Augustinum l. 3. con. Acad. c. 19. ubi scribit: *Nunc Philosophos non fere videmus, nisi aut Cynicos, aut Peripateticos, aut Platonicos.* Ex quibus constat, quam falso scripserit Thomas Campanella *De Gentilis, non retinendo* q. 1. adserto 3. Aristotelem diro casu fuisse introductum in Scholas Christianorum, incurrentibus scilicet Wandalis, & Gothis, aliisque barbaris gentibus, cum non reperirentur aliorum Philosophorum Codices, excepto Aristotele ab Arabis advecto. Nam Augustinus contra Academicos scripsit, cum 33. ætatis suæ annum ageret, ut ipse dicit loc. cit. c. 20. videlicet anno 386. initio suæ conversionis: tunc autem Wandali nondum in Africam irruperant; hæc enim irruptio incidit in annum 428. Vide S. Aug. Vitam à PP. Maurinis editam l. 8. c. 8. n. 5.

(2) Id optime erat perspectum Angelico Doctori: nam 12. Metaph. lect. 10. scripserat: » Quælibet ars, & etiam Philosophia sæpe fuit in» vecta secundum possibilitatem humanam, & iterum fuit corrupta, » vel propter bella impedientia studium, vel propter inundationes, & » alia hujusmodi excidia." Et 1. Ethic. lect. 11. » Videmus, multas » scientias, quæ apud antiquos viguerunt, paulatim, cessantibus studiis, » in oblivionem abisse."

(3) Vide S. Thom. Opusc. 16.

(4) Testem appello Joannem Launojum in Tractatu, quem scripsit *De Scholis celebrioribus, seu à Carolo Magno, seu post eumdem Carolum per Occidentem instauratis*, in quo ex vetustioribus documentis probat, ubique fere post Carolum Magnum Scholas viguisse, Turonensem, Fontanellesem, Lugdunensem, Fuldensem, Osnaburgensem, Metensem, Romanam, Corbejensem, Hildesheimensem, Trajectensem, Parmensem, Coloniensem, Trevirensem, Bremensem, Tullensem, Senonensem, Beccensem, Cantabrigensem, Palentinam, Valentinam, Bracareasem, Parisiensem, &c. Conferri etiam potest Julius in Tract. *des Ecoles*, & Joannes Mabilonius cum in Præfat. ad Tom. 3. Annalium Be-

47. Seculo decimo tertio tres fuere Peripateticæ celebriores

nedictinorum, ubi ostendit, seculis etiam nono, & decimo, plures extitisse viros doctrina, & pietate claros; tum in Tract. de studiis Monasticis part. 1. c. 11. quo loco demonstrat, Academias, & Collegia singulis temporibus in Cœnobiis Benedictinis floruisse; & c. 16. ubi sapientes, eruditosque Viros enumerat, qui à VI. Ecclesiæ seculo usque ad XV. in eodem Benedictino Ordine claruere. Quibus constitutis, infert: » Ex hactenus dictis, & ex aliis multis argumentis, quæ facile possent » adferri, colligitur, Benedictinorum Ordinem fere se solo studia, scien» tiasque, plurium seculorum decursu, in tota Europa sustentasse." Et Præfat. ad seculum 1. Benedict. n. 114. » Quidquid, *inquit*, apud an» tiquos eruditum: quidquid apud Patres pium, & Sapientiæ plenum: » quidquid in Conciliis Sanctum: quidquid in Sacris Libris Divinum: » quidquid in historiis firmum, solidumque est; totum id per Mona» chorum nostrorum manus ad hæc usque tempora pervenit." Monachis scilicet ante typographicam artem inventam, Bibliothecas integras suis manibus, ac laboribus instruentibus.

Præterea hominibus illorum seculorum, quæ summa barbarie laborasse dicuntur, debemus inventa plurima, cum maxima hominum, Reique publicæ utilitate. In Annalibus Francorum ad an. 826. habemus inventum Organum hydraulicum: *Georgius quidam Presbyter de Venetia, cum Baldrico Comite Forojuliense veniens, organum hydraulicum Aquisgrani fecit.* In vita Caroli Magni inter alia munera, quæ ipse à Rege Persarum acceperat, describitur *Horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo* XII. *horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem æneis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant.* Chartæ lineæ usus circa annum 1300. incœpisse, ostendunt Mabillonius de Re Diplomat. l. 1. c. 8. & Philos. Transact. n. 288. Usus conspicillorum debetur Fr. Alexandro Spina Ord. Præd. circa annum 1280. ut ostendit Rhedius Epist. ad Falconerium. Inventio pulveris pyrii debetur Bertholdo Schwarths Monacho, illiusque usum in Gallia fuisse jam ab anno 1338. demonstrat Cangius in Glossario Mediæ, & infimæ Latinitatis ad verbum *Bombarda*, ubi etiam ad ea tempora refert Bombardarum majorum, & minorum inventionem. Pixis nauticæ inventio tribuitur Flavio de Gioja Amalphitano, qui vixit seculo XIII. Serici conficiendi artem faciliorem, frequentioremque reddidit anno 1130. Rogerius Siciliæ Rex, cum antea sericum tanti valeret, ut referente Vopisco, Aurelianus Imperator Conjugi vestem sericam denegarit. Ars typographica, ex quo tot commoda rei litterariæ publicæ provenerunt, circa annum 1442, vel ut aliis placet, 1430. originem habuit. Utque alia omittamus, Novi Orbis detectio contigit anno 1492. industria Christophari Columbi Genuensis, re cum doctis viris ante communicata, in primisque cum Joanne Perezio Monaco Rabidense: quo quidem tempo-

Scholæ (1), Thomistarum à S. Thoma Aquinate Ord. Præd.

re vix renasci litteræ cœperant. Videant Juniores Philosophi, utrum deinceps utiliora Rei Christianæ, Politicæque publicæ detecta fuerint: nam quod priora illa inventa posterioribus curis expolita, & perfecta sint, mirum videri non debet; facile est enim inventis addere.

(1) Heinecius in Elem. Hist. Phil. agens de Philosophis medii ævi, & §. 100. inter ipsos recensens SS. Thomam Aquinatem, & Bonaventuram, quos *fastu scholastico* appellatos dicit, hunc *Seraphicum*, illum *Cherubicum*; statim §. 101. » Et tamen, *inquit*, hi Doctores *angelici* » *cherubici*, *seraphici* in Philosophiam moralem invexerunt sacerrima » ista principia *probabilismi methodi dirigendi intentionem*, *reserva-* » *tionis mentalis*, *peccati philosophici*." Monet autem conferri oportere Lud. Montaltii *Epist. ad quemdam ex Provincia*, cum iis, quæ inter se disputarunt Wendrokius, & Stubrockius, Ant. Arnaldi *Denunciationes hæreseos de peccato philosofico*, Thyrsi Gonzales *Tract. Theol. de rectu usu opinionem probabilium*, & Jo. Franciscum Buddeum Hist. Jur. Nat. §. 13. sqq. Nempe calumniatorum more, qui integros Tractatus, & Volumina citant, nullo indicato capite, aut loco, ne detegi calumnia facile possit. Heinecio morem gessimus; & quamquam non ex aliorum testimoniis, sed ex sententiis illorum Sanctorum Doctorum agenda res fuisset; licet insuper certi essemus, nihil omnino eorum quæ scribit Heinecius, reperturos adversus Thomam, & Bonaventuram sive in Epist. Montaltii, nempe Blasii Paschalii; sive in Notis Wendrockii, hoc est, Nicolii; sive ie citatis Denunciationibus Arnaldi; sive in Opere Gonzalesii; laborem nihilominus suscepimus illa percurrendi. Tantum autem abest, ut in iis quidpiam deprehenderimus eorum quæ Heinecius scribit, quin contra ex doctrinis SS. Thomæ, & Bonaventuræ profligatum probabilismum, reservationem mentalem, peccatum philosophicum compererimus. Montaltius enim in citatis Epistolis ad quemdam ex Provincia perpetuo Thomam laudat, & vindicandum suscipit à corruptelis Casuistarum. Idem præstat Wendrockius, & conferri præsertim potest in Notis ad Epist. 15. §. 2. Gonzalesius autem totam Disser. 9. impendit ad probandum, *modum dirigendi conscientias*, *& resolvendi casus per probabilitatem opinationum esse contra doctrinam*, *quam constanter tradidit S. Thomas*. Et Dissr. 13. §. 4. ostendit eamdem fuisse S. Bonaventuræ sententiam. Arnaldus vero *Denunc.* 2. *De la Nouvelle Heresie de Péché philosophique* pag. 11. expendens illam propositionem: *Peccatum philosophicum*, *ut Schola appellat*, *cum non sit formalis offensa Dei*, *pœnis sempiternis multi eximunt. Nec merito*, *si speculari liceat Theologis Scholasticis*; sic habet: » Cette fin est bien remar- » quable. Car c' est faire entendre assez clairement, qu' on ne trouve » rien, ni dans l' Ecriture, ni dans les Peres, ni dans St. Thomas, ni » dans d' autres anciens Docteurs de l' Ecole, de quoit donnet quelque » couseur à cet horrible paradoxe." Id est: *Hæc postrema verba consi-*

Scotistarum à Joanne Duns Scoto Ord. Minorum, & Nominalium à Gullielmo Okamo ejusdem Ord. Minorum, & Nominales dicti sunt, quod de solis nominibus scientias esse docerent.

48. A seculo decimo sexto ad hæc nostra tempora, plurimi, indicto Peripateticæ Philosophiæ bello, vel nova systemata (si tamen nova dicenda sunt) cudere, vel antiqua renovare sunt aggressi. Ex Italis Bernardinus Telesius, Thomas Campanella, Hieronymus Cardanus, Galilæus Galilæi, &c. Ex Gallis Petrus Ramus, Petrus Gassendus, Renatus Descartes, Nicolaus Malebrancius, &c. Ex Anglis Franciscus Baco de Verulamio, Joannes Lockius, Isaacus Nevvtonus &c. Ex Germanis Guillelmus Gottefridus Leibnitius, Christianus VVolfius &c.

49. Etsi vero à junioribus Philosophis pleraque sint observata, pleraque illustrata, pleraque etiam inventa (1), mul-

---

deranda apprime sunt. Nam clare admodum ostendunt, nihil reperiri neque in Scriptura, neque in Patribus, neque in S. Thoma, neque in aliis antiquis Doctoribus scholæ, unde huic horribili paradoxo fucus aliqua ratione fieri possit. Quæ cum sint, quis non Heinecii atrocissimam calumniam detestetur, non modo in Sanctissimos illos Doctores, sed etiam in Auctores quos citat tamquam illorum accusatores? Nec juvabit reponere, se Buddeum descripsisse: nam licet Buddeus similia scribat; dicere tamen minime audet, quod Heinecius habet; sed ait tantum, figmentorum Casuistarum *vestigia quædam deprehendi in* Thoma, & Bonaventura. Quod licet calumniose dicatur, mitius tamen est Heinecii calumnia.

(1) » Per hunc modum (inquit S. Thomas 1. Ethic. lect. 11.) facta » sunt additamenta in artibus, quarum à principio aliquid modicum » fuit adinventum, & postmodum per diversos paulatim profecit in » magna quantitate, quia ad quemlibet pertinet superaddere id quod deficit in consideratione prædecessorum." Itaque non modo non aspernamur additamenta juniorum Philosophorum, sed eorum industria, ac labore utimur, si cum veritate non pugnent. Qua in re subscribimus Verulamio *Novi Organi* l. 1. part. 1. Aphor. 56. scribenti. » Repe» riuntur ingenia, alia in admirationem Antiquitatis, alia in amorem, » & amplexum Novitatis effusa..... Hoc vero magno scientiarum, & Phi» losophiæ detrimento fit, cum studia potius sint Antiquitatis, & No» vitatis, quam judicia: Veritas autem non à felicitate temporis alicu» jus, quæ res varia est; sed à lumine naturæ, & experientiæ petenda » est." Quod S. Thomas multo jam ante docuerat scribens 1. de Cœlo lect. 22. *Studium Philosophiæ non est ad hoc quod sciatur quid homines senserint, sed qualiter se habeat veritas rerum.* Et S. Augustinus Epist. 118. al. 56. n. 23. studium sciendi, quid homines philosophi senserint, vocat imperitissimam scientiam humilitati Christianæ adversam: » Huic humilitati saluberrimæ, quam Dominus noster Jesus Chris-

to tamen plura sunt, quæ à prioribus acceperunt (1). Plures item errores vel renovarunt, vel induxerunt, præsertim ii qui de heterodoxorum, aut impiorum hominum sunt grege, ut contra Fidem Catholicam, Religionemque agerent, magno ejusdem Fidei, ac Religionis detrimento: nam ut Cicero ait (2): *Iis, qui concedentibus Philosophis antiquis, adolescentulis delectantur, etiam vitia sæpe jucunda sunt.* Nos autem cum Angelico Doctore (3) & ipsis adolescentulis Philosophis in iis etiam, in quibus veritatem non sunt adsequuti, dummodo adversus veritatem non dimicent, gratias habendas existimamus. Nam »justum est gratiam referre non solum his, quos aliquis exis»timat veritatem invenisse, quorum opinionibus quis commu»nicat sequendo eas; sed etiam illis qui superficialiter loquuti »sunt ad veritatem investigandam, licet eorum opiniones non »sequamur; præstiterunt enim nobis quoddam exercitium circa »inquisitionem veritatis».

50. Ad primum neg. ant. Nam licet primus inter Græcos Thales eclipses prædixerit, non tamen sequitur, neminem ante ipsum eclipsium prædicendarum scientia calluisse. Plinius (4) refert: *Rationem defectus utriusque* (Solis & Lunæ) *primus Romani Generis in vulgus extulit Sulpitius Gallus... Apud Græcos autem investigavit primus omnium Thales Milesius.* Ut igitur inepte diceretur, neminem ante Sulpitium eclipses prædixisse, quia primus inter Romanos Sulpitius eclipses prædixit; ita inepte dicitur, neminem ante Thaletem eclipses prædixisse, quia primus inter Græcos Thales eclipses prædixit.

51. Ad secundum dicimus, Atistotelem fuisse loquutum de Poetis, qui *apud Græcos primi famosi in scientia fuerunt* (5).

---

tus, ut doceret, humilitatus est: huic, inquam, maxime adversatur quædam, ut dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, & cetera hujusmodi, ut docti eruditique videamur, cum hoc à vera doctrina, & eruditione longe absit." Videant recentiores nonnulli qui eruditi vidéri volunt, an attribui hæc ipsis possint.

(1) Seneca l. 6. Nat. Quæst. c. 5. » Nova, *inquit*, omnia erant pri» mo tentantibus, post, eadem illa limata sunt: & si quid inventum est, » illis nihilominus referri debet acceptum. Magni animi res fuit, rerum » naturæ latebras dimovere... Plurimum ad inveniendum contulit, qui » speravit posse reperiri. Cum excusatione igitur veteres audiendi sunt. » Nulla res consummata est, dum incipit."

(2) 1. de nat. Deor. (3) 2. Metaph. lect. 1. (4) L. 2. c. 12.
(5) S. Thom. 1. Metaph. lect. 4.

52. Ad tertium, omisso ant. neg. cons. Nam licet concederemus, numquam extitisse Zoroastrem, Sanchoniathonem, Trismegistum, &c. non inde consequens foret, nullum ante tempora Græcorum extitisse Philosophum. Sed quod illi extiterint, jam est demonstratum (1)

ARTICULUS V.

Utrum veteres Philosophi, præsertim Græci, aliquid acceperint è sacro Revelationis fonte.

53. Quia, ut ostendit Eusebius (2), multa veterum Philosophorum dogmata, in primisque Platonis, ita cum Doctrina revelata conveniunt, ut Augustino teste (3), quidam Platonici calumniari ausi fuerint, Christum Dominum ex Platone didicisse; quam blasfemiam adversus Celsum Origines egregie confutavit (4); de hujus consensionis causa est inquirendum. Arbitratus est Marshamus (5), Philosophiam Ethnicorum nullatenus derivatam esse è sacro fonte.

54. I. Quia Respublica Judæorum obscura fuit sub Assyriorum, Medorum, & Persarum imperio. Non est igitur verisimile, Ethnicos à Judæis quidquam didicisse.

55. II. Judæis nulla cum exteris nationibus consuetudo erat, teste Josepho. (6). Fieri ergo non potuit, ut Ethnici ex consuetudine cum Judeis discerent sacra dogmata.

56. III. Nec ea discere potuerunt ex Sacris Codicibus: nam Sacri Codices Veteris Testamenti fuerunt græce redditi sub Ptolomæo Philadelpho Olympiade 124. hoc est multo post tempora nedum septem Sapientum, sed etiam Pythagoræ, & Platonis: nam Pythagoras obiit anno 4. Olimpiadis 70. Plato obiit anno 1. Olimpiadis 109. (7). Accedit, quod Judæi Sacros Codices diligentissime custodiebant, ne ad manus Ethnicorum pervenirent.

57. IV. Quæ Gentiles Philosophi docuerunt de Dei unitate, & attributis, de animi immortalitate, deque aliis rebus, quæ cum dogmatibus revelatis conveniunt, scire potuerunt lumine rationis.

---

(1) §. 33. seq. (2) L. 11. Præp. (3) L. 2. de Doct. Christ. c. 28. (4) L. 6. con. Celsum.
(5) in Can. Chron. (6) l. 1. con. Appion.
(7) Vide Euseb. in Chron.

Prop. *Veteres Philosophi, præsertim Plato, magnam doctrinæ suæ partem, in iis præsertim quæ ad Religionem naturalem, & ad mores pertinent, è sacro Revelationis fonte acceperunt.*

58. Constans hæc est multorum Patrum (1) adsertio, quibus more suo S. Thomas adhæret, cum scribit (2): *Plato Scripturam Genesis videns, sic intellexisse dicitur numerum elementorum.* Et rursus (3): *Plato dicitur multa cognovisse de Divinis, legens libros Veteris Testamenti, quos invenit in Ægypto.* Nam Platonem studio veritatis inquirendæ, Philosophos varios, longe lateque peregrinatum, adiisse, idem Angelicus refert (4) sequutus Clementem Alex. (5), & S. Augustinum (6).

59. Probatur. Et quidem de Philosophis in prima mundi ætate, constat ex dictis (7), illos fuisse institutos ex doctrina Adami, cui non solum scientiæ naturales fuerunt infusæ, sed etiam Fidei dogmata revelata (8).

60. De Chaldæis, & Phœnicibus, & Persis, & Arabibus. & Indis nulla quoque est dubitandi ratio. Scimus enim Noe-

(1) Confer S. Justinum M. in Paræsesi. Tatianum con. Græcos. Tertullian. Apolog. c. 47. Origenem l. 6. con. Celsum. Clementem Alex. Strom. l. 5. & 6. Euseb. l. 11. & 12. Præp. S. Cyrillum Alex. l. 1. con. Julian.

(2) Q. 4. de pot. a. 1. ad 2.

(3) In 1. d. 3. q. 1. a. 4. ad 1.

(4) 1. Metaph. lect. 10. (5) Strom. 1.

(6) L. 8. de Civ. cap. 11. (7) §. 30.

(8) Quapropter S. Thomas docet 2. 2. q. 94. a. 4. ad 2. *quod in prima ætate non fuit idololatria propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio unius Dei in mente hominum.* Quæ est S. Cyrilli Alex. sententia l. 1. con. Julian. scribentis: » Homines qui ab Adam usque ad Sem fuerunt, Deum omnium » naturam, & vere universorum conditorem, & Dominum coluerunt: » nullus enim eorum taxatur, quod Diis alienis fuerit deditus, vel » immundis dæmonibus obtulerit. « Idipsum tenent S. Epiphanius initio Panarii, & Damascenus l. de hæresibus n. 3. Idem S. Thomas 3. p. q. 70. a. 2. ad 1. docet, *immediate post peccatum primi Parentis, propter doctrinam ipsius Adæ, qui plene instructus fuerat de Divinis, adhuc fidem, & rationem naturalem in tantum viguisse in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei, & salutis* &c.

mi Arcam in Armeniæ montibus quievisse (1). Itaque Regiones illæ, quæ ab Armenia Orientem spectant, primum omnium cultæ credendæ sunt. Cum autem Noe filii doctrina revelata essent instructi, non est ambigendum, quin eam posteris suis, illarum Regionum incolis, tradiderint.

61. Accedit, quod supra dictum est (2), Caldæos nempe, Phœnices, & Persas multa ab Abrahamo fuisse doctos, inter quæ præcipua certe quidem fuerunt dogmata fidei, qua Abrahamus eximius erat.

62. Ab eodem Abrahamo Ægyptios fuisse institutos, dictum quoque est (3); illisque quod multa tradiderint Jacobus, ejusque filii, donec Judæi per Moysen educti sunt de Ægypto, plane colligitur cùm ex Psalm. 104. v. 21. sq. ubi de Josepho Jacobi filio dicitur: *Constituit* (*Pharao*) *Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret*: Tùm ex Psalm. 105. v. 35. ubi de Judæis dicitur: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Porro si Judæi cum gentibus commixti, eorum opera didicerunt; fieri non potuit, quin spatio biscentum quindecim annorum, quibus Judæi in Ægypto permanserunt ab ingressu Jacobi usque ad eorum exitum sub Moyse, Ægyptii nihil ab ipsis didicerint. Habemus igitur, qua ratione multa doctrinæ revelatæ capita ad gentes pervenire potuerunt, antequam Moyses divinum Pentateuchi Opus conscriberet, traditione (4) scilicet á Judæis accepta (5).

---

(1) Gen. 8. v. 4. (2) §. 33. sqq.

(3) §. 38. (4) Cum autem *traditione* dicimus, haud assentimur Heinecio Elem. Hist. Phil. §. 12. sq. autumanti, barbaricam Philosophiam dici posse *traditionariam*, eo quod barbari omnes reliquias sapientiæ à majoribus acceptas sancte custodierint, & posteris commendarint sine ullo judicio. Quis enim credet, tam hebetes, tardos, ac pene stupidos fuisse universos veteres sapientes, ut numquam suo fuerint usi judicio?

(5) Vide Theodoretum Ser. 1. de curandis Græc. adfect. „Scire „vos velim, *inquit*, Phœnices proximos Hebræis, atque contermi„nos, si quid veritatis didicerunt, ab Hebræis præceptoribus didi„cisse. Ipsi quoque Ægyptii uberrimos fructus ex Hebræorum con„suetudine perceperunt; diutissime enim Hebræi homines in Ægyp„to versati sunt. Quin & ipsi Chaldæi magnum sibi commodum ab „eisdem sumpserunt. Hebræos enim Chaldæi Reges in Babyloniam cap„tivos duxerunt" Hæc autem non ita intelligenda sunt, quod Eth-

63. Ex hoc etiam fonte bibere potuerunt posteriores Philosophi, præsertim Græci (1). Nam Thales, teste Plutarcho (2), in Ægyptum profectus fuit (3). Pythagoram quoque Ægyptum, & Phœniciam addiise, refert Jamblicus (4); additque Porphyrius (5) ex Diogene, Pythagoram ad Hebræos abiisse. Itaque Thales, & Pythagoras multa ab Ægyptiis, & Hebræis didicisse credendi sunt (6). Porro Thales, & Pythagoras Sectarum Jonicæ, & Italicæ, ex quibus aliæ profluxerunt, fuere principes, ut dictum est (7). Inde igitur & ceteri posteriores Philosophi profecerunt (8). Constat proinde, magnam partem doctrinæ gentilium Philosophorum, etsi multis deturpatam erroribus, fuisse ex furtive cognita Revelatione translatam (9).

---

nici harum nationum Philosophi veritatem, quam ex sacro Revelationis fonte potarunt, absque ulla erroris admixtione puram servaverint; constat enim, quam turpiter errarint, Ægyptii præsertim, circa Divinitatem, quorum nomina *verius portenta*, *quam numina* recte dixit S. Cyprianus l. de vanit. idol. n. 35. Nam *Ægyptii*, ut Athenagoras habet Orat. pro Christ. *feles etiam*, *& cocodrillos*, *& serpentes*, *& aspides*, *& canes*, *pro diis habebant*. Sed ita sunt intelligenda, ut omnis propemodum fabularis Theologia earum nationum, ipsarumque leges, ac ritus magnam partem ex eo fonte, infinitis tamen admixtis erroribus, manarint. Quod ingenti eruditione ostendit Huetius Demonst. Evang. prop. 4. licet minus solide, cum contendit, omnes fabulares Deos unum eumdemque fuisse Moysen. Vide Theoderet. loc. cit. ubi ait, *circumcisionem Ægyptios ab Hebræis patribus accepisse*.

(1) Nam Cadmus, qui primus litteras in Græciam adduxit, Ægyptius Thebæus erat. Vide not. 5. pag. 70. Confer etiam Theodoret. ser. 1. de curan. Græc. adfect. ubi scribit: » Orpheus homo Thra» cius ab Odrysia, Græcis tradidit Ægyptiorum mysteria: Cadmus » autem Phœnicum. "

(2) L. 1. de plac. c. 3.

(3) Theodoretus ser. 1. cit. » Phereciden, *inquit*, Syrum, Sa» miumque Pythagoram, Thaletem Milesium, ac Solonem Athenien» sem, Platonem denique ipsum ... nequaquam piguit inveniendæ ve» ritatis causa Ægyptum, Thebasque Ægyptias perlustrare. "

(4) C. 1. (5) In vita Pythagoræ.

(6) Vide S. Justinum Martyrem Cohort. ad Græc. n. 14. sqq.

(7) §. 43. (8) Confer. Clem. Alex. Strom. 1. pag. 300. sq.

(9) Vide Tertullianum Apolog. c. 47. » Quis *inquit*, poëtarum, » quis sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potave» rit? Nec mirum si vetus Instrumentum ingenia Philosophorum » interverterunt. Ex nostro semine & nostram hanc novitiolam para-

64. Idipsum de Platone est affirmandum, cum & ipse in Ægyptum perrexerit (1). Quod ejus libri manifestius ostendunt. Nam in illis fatetur, Deum supremum rerum artificem, omnia creasse, ad instar illius exemplaris, quod mente gerebat; finem sibi optimum propossuisse cum mundum condidit; de eo condito fuisse mirifice delectatum. Fatetur insuper, hominem esse Dei simulacrum; mulierem ex viro sumptam; ipsam cum serpente colloquutam; hominem de terra formatum, & in primo statu fuisse nudum sine ulla molestia; diluvio genus humanum periisse; mundum fore consummandum, & innovandum; judicium esse futurum; cælestem extare patriam lapidibus pretiosis ornatam. Hæc & alia Platonis dogmata ab Eusebio enumerata (2), evidentissime probant, quod Numenius Pythagoræus apud Clementem Alex. (3) ajebat, *nihil aliud esse Platonem, quam Moysem Atticum* (4).

65. Ad primum neg. ant. Nam Respublica Judæorum sub Davide, & Salomone celebratissima fuit apud exteras nationes: tunc autem aduc florebat Assyriorum imperium, quod perduravit usque ad Amasiam Regem Judæ (5).

66 Ad secundum dist. ant. nulla fuit consuetudo in superstitionibus Ethnicorum, transeat: nam sæpe Hebræi *sculptilibus eorum servierunt* (6); nulla in aliis rebus consuetudo fuit, nego. De priori autem consuetudine intelligendum esse Josephum, cons-

---

» turam viri quidam suis opinionibus adulteraverunt. " Relatisque poëtarum & philosophorum sententiis de tribunali apud inferos, de Pyriphlegethonte amne apud mortuos, de campis elysiis: » Unde hæc, » *ait* (oro vos) philosophis, aut poëtis tam consimilia? nonnisi de » nostris Sacramentis. " Vide insuper Aristotelem l. 12. Metaph. cap. 8. ubi fabulosæ Theologiæ optima fuisse initia scribit: tradita sunt » *inquit*, » quædam à majoribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ fi» gura posterioribus relicta, quod hi dii sint, universamque naturam » divinum contineat. Cetera vero fabulose ad multitudinis persuasio» nem. " Additque: » Has Illorum (nempe majorum) opiniones qua» si quasdam reliquias nunc usque salvatas esse. " Ex quibus constat, basim totius Ethnicæ Theologiæ fuisse veritates de Deo, de supernis mentibus, de universo Divinitus administrato, à majoribus traditas.

(1) Vide Stanlej. Hist. Phil. part. 4. c. 3.

(2) L. 11. & 12. Præp. (3) Strom. 1.

(4) Id Plato ipse non obscure videtur significare apud Euseb. l. 10. Præp. cum ait, *omnia quæ sunt optima, à Barbaris se consequutum, & causam fuisse Barbarum illum, qui primus hæc invenit.*

(5) Vide Euseb. in Chron.

(6) Psalm. 105. v. 35.

tat ; nam Hebræi, cum Palæstinam occupaverunt, incolumes servarunt Gabaonitas (1). Item non semel fuerunt in captivitatem abducti (2). Cum Phœnicibus, quibus finitimi erant, comercium habuerunt (3). David amicitiam iniit cum Hiramo Rege Tyri (4). Salomon consuetudinem habuit cum Rege Ægipti, cujus filiam duxit in uxorem (5) : & cum Sydoniis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis, & Hethæis, ex quorum fœminis accepit uxores (6). Ejusdem Salomonis tempore ingens erat Proselytorum numerus, qui ad Judæorum sacra transibant (7). Denique Aristobolus aperte ait (8) : *Plato nostras leges in haud paucis sequutus est, à quo curiose eas excussas fuisse, allegationes ejus sunt argumento.* Et Josephus : *Plato*, inquit (9), *nostrum maxime Legislatorem est sequutus.*

67. Ad tertium ommittitur prior pars ant. Nam licet concederemus, Scripturam Veteris Testamenti non fuisse Græce versam ante Ptolomeum Philadelphum ; quod tamen negant Clemens Alex. (10), & Eusebius (11) ; nihil inde conficeretur. Sicut enim Pythagoras, eodem Clemente teste (12), ut misteria disceret Ægyptiorum, non solum eorum didicit linguam ; sed etiam se circumcidi passus est : ita probabile valde est, Thaletem, Pythagoram, Platonem, aliosque vel Hebraicas litteras didicisse, vel interprete fuisse usos, ut Hebæorum historiam nossent. Clearchus certe apud Clementem Alex. (13) ait, se novisse quemdam Judeum, cum quo versatus erat Aristoteles. Et Hermippus apud Josephum (14) de Pythagora testatur : *Ille vir multas Judeorum leges in suam transtulit Philosophiam.*

68. Quamquam vero Sacri Codices summa religione à Judæis custodirentur ; fieri nihilominus non potuit, quin aliqua illorum exempla in potestatem gentilium venirent, maxime cum Judæi in captivitate degebant. Proselytorum sane numerus ostendit, ea quæ Sacris Codicibus continebantur, Ethnicis non fuisse ignota.

69. Ad quartum, etsi non negemus, quasdam veritates de Deo, de anima, de jure naturali, &c. posse humana ratione investigari : ideoque, ut Tertulianus ait (15), *aliquando Philosophos juxta nostra sensisse, quia natura pleraque suggeruntur ;*

(1) Josue c. 9. (2) 4. Reg. c. 15. & 25. (3) Vide Euseb. l. 10. Præp. (4) 3. Reg. c. 5. (5) Ib. c. 11.
(6) Ib. (7) 2. Paral. c. 2. (8) Apud Euseb. l. 9. Præp.
(9) L. 2. con. Apion. (10) Strom. 1.
(11) L. 9. Præp. c. 3. (12) Strom. 1.
(13) Strom. 1. (14) L. 1. con. Apion. (15) L. de an. c. 2.

quia tamen humana ratio ad earum veritatum cognitionem pervenire non potest, nisi magno studio, & post diuturnum tempus (1); notiones, quas ethnici Philosophi de illis rebus acceperunt, sive ex costanti traditione licet multis erroribus deformata, sive ex colloquiis cum Hebræis, sive ex lectione Sacrorum Codicum, magno ipsis fuere subsidio, ut lumine rationis demonstrare illas possent: quod forte numquam fecissent, tali præsidio destituti. Addimus, in Philosophia Gentilium pleraque attingi dogmata, quæ ratione naturali sciri nequeunt, ut sunt Angelorum existentia (2), hyerarchiæ (3), discrimen in bonitate, & malitia (4); status futurus bonorum, & impiorum (5); corporum resurrectio (6), &c. Quæ licet sint interpolata, furtum aperte demonstrant. Quo in genere peccavisse Græcos Philosophos, ipsumque Platonem, multis probat Eusebius (7), ostendens, illos non solum artes à Barbaris, sed alterum alterius inventa suffurantes, suo nomini attribuisse. Atque hæc potuit esse causa (8), cur de Judæis nulla apud illos mentio fiat, ne scilicet furtum deprehenderetur, eorumque discipuli viderentur.

ARTICULUS VI.

Utrum utile sit Philosophiam addiscere.

70. Quibusdam apud Clementem Alex. (9) adeo inutilis Philosophia visa est, ut dixerint, ipsam *ad hominum perniciem venisse in vitam.* Videtur autem ita dicendum. I. Quia Scriptura (10) Philosophiam vocat *occupationem pessimam, & afflictionem Spiritus.* Ergo illam damnat ut noxiam.

71. II. Scriptura item (11), & Patres (12) Philosophiam

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1. & l. con Gen. c. 4.
(2) Vide Euseb. l. 3. Demonst. (3) Confer. Eugub. l. 8. peren. Phil. (4) Vide Stanlej. de Orac. Chald.
(5) Adeatur Theoph. Antioch. l. 2. ad Authol.
(6) Vide S. Justin. in Paræn. (7) l. 10. Præp. c. 1.
(8) Aliam causam adfert S. Justinus in Paræn. n. 25. scribens: » Plato clare, & aperte sermonem antiquum Moysis appellat legem; » Moysis quidem nomen, metu cicutæ commemorare veritus; sciebat » enim ejus doctrinam Græcis inimicam esse.«
(9) Strom. 1. (10) Eccl. 1. v. 13. sq.
(11) Colos. 2. v. 8.
(12) Videri potest Petavius Theol. Dog. Proleg. c. 3.

proscribunt uti deceptricem, & hostem Christianæ Religionis. Igitur exitiosa est.

72. III. Philosophi expulsi Roma fuerunt decreto Senatus (1). Itaque habiti fuere tanquam Reipublicæ noxii.

Prop. *Philosophia utilis est homini, I. qua homo, II. qua civis, III. qua Christianus Catholicus est.*

73. Prob. 1. p. Ignorantia dedecet hominem, qua homo est; *propria enim operatio hominis, in quantum homo, est intelligere* (2). Quod ergo depellit ignorantiam, utile est homini, qua homo est. Sed Philosophia ignorantiam depellit; facit enim scire, cum ipsa sit scientia, ut dictum est (3). Est igitur utilis homini, qua homo est.

74. Prob. 2. p. Homo qua civis, vel præest aliis in Republica, vel subest. Si præest, ad ipsum pertinet Rempublicam gubernare, sive recte ordinare subditos in finem; qui est commune bonum Reipublicæ, & in media conducentia ad hunc finem (4). Atqui Sapientis est ordinare, quod pertinet ad Philosophiam, ut supra diximus (5). Hæc igitur utilis est homini, qui in Republica aliis præest (6). Sicut autem Reipublicæ Rectores debent ordinare subditos in finem, & media; ita subditi juvare se invicem debent ad consequendum finem per media apta, quæ quidem media unus, & idem homo non potest omnia præstare (7). Atqui Philosophia ad ea præstanda plurimum confert. Quocirca Tullius (8) Philosophiam alloquens: » Tu, *inquit*, urbes peperisti: tu dissipatos homines in Socie» tatem vitæ convocasti: tu eos inter se primo domiciliis, dein» de conjugiis, tum litterarum, & vocum communione sociasti.« Et alibi (9) Philosophiam vocat *laudandarum artium omnium procreatricem, & quasi parentem.* Philosophia ergo confert homini, qua civis est.

---

(1) Suetonius de clar. Orat.
(2) S. Thom. 1. Metaph. lec. 1. (3) §. 5.
(4) Vide Comment. S. Thom. tributa, 7. Polit lect. 11. (5) §. 13.
(6) Quare Cicero Epist. ad Qu. Fratrem: » Plato, *inquit*, tum » denique fore beatas Respublicas putavit, si aut docti, & sapientes » homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum stu» dium in doctrina, & sapientia collocassent.« Vide Plutarchum lib. inscripto: *Maxime cum Principibus viris philosopho esse disputandum.*
(7) Vide S. Thom. Opus. 20. l. 1. c. 1.
(8) l. 5. Tuscul. (9) l. 1. de Orat.

75. Prob. 3. p. Quod Fidei orthodoxæ inservit, est homini Christiano Catholico maximæ utilitatis. Philosophia autem est hujusmodi (1): nam ipsa utimur cum ad demonstrandum ea quæ sunt præambula fidei, ut Deum esse, unum esse, immutabilem, æternum &c. (2). Tum ad declarandum aliquibus similitudinibus ea quæ sunt fidei (3) Tum denique ad resistendum iis quæ contra fidem dicuntur (4). Philosophia igitur utilis est homini, qua Christianus Catholicus est.

76. Ad primum dicimus, Philosophiam appellari occupationem pessimam, quia veritas in multis latet, ut dictum est (5): dici vero afflictionem spiritus, quia homo per scientiam plura cognoscit, quæ suæ voluntati adversantur. (6).

77. Ad secundum respondemus, Scripturam, & Patres damnare Philosophiæ abusum, non ipsam Philosophiam. Incommoda autem per Philosophos illata, qui vel errores contra Fidem induxerunt, vel Philosophia usi sunt ad Fidem impugnandam, vel rationibus humanis metiri voluerunt ea quæ sunt Fidei, non Philosophiæ, sed hominum vitio tribui debent (7).

78 Ad tertium dicimus cum Tullio (8), Philosophos Roma fuisse pulsos, ne adolescentum corroboraretur impudentia. Utinam hujusmodi Philosophi, quos idem Cicero (9) *minutos Philosophos* vocat, patrocinium voluptatis, & impietatis, irreligionisque suscipientes (10), arcerentur ab unaquaque Civitate! Id si fieret, non adeo propagaretur scelus, & incredulitas.

(1) Vide S. Thom. Opus. 70. q. 2. a. 3.

(2) S. Basilius Epist. 235. al. 401. n. 1. quærens, *prior ne sit cognitio, an fides*? inquit: *In fide quæ circa Deum versatur, præit illa cognitio, Deum esse: hanc autem ex creaturis colligimus. Sapientiam namque, & potentiam, & bonitatem, & omnia ejus invisibilia ex mundi creatione intelligentes, sic cognocimus... Cognitionem istam fides sequitur.*

(3) Idem Basilius ser. de legendis lib. Gent. scribit: » Animæ » primarius fructus est veritas, sed tamen haud ingratus est externæ » sapientiæ amictus, tamquam si folia quædam fructui, & umbracu» lum, & adspectum non inamænum præbeant.“

(4) Clemens Alex. Strom. 1. ait: » Est quidem perfecta, & nul» lius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus, & sapientia. Ac» cedens autem Græca Philosophia non veritatem facit potentiorem, » sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem.“

(5) §. 8. (6) Vide S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 4. ad 1.

(7) Conf. S. Thom. Opusc. 70. q. 2. a. 3.

(8) l. 3. de Orat. (9) l. 1. de Divin.

(10) Hujusmodi Philosophos Tertulianus describens Apolog. c. 46. » Plerique, *ait*, etiam in Principes latrant.“ Et l. 2. ad Nationes: » Phi-

ARTICULUS VII.

Utrum viro philosopho expediat vagare per omnes Sectas.

79. Sæpe audivimus recentiores Philosophos dicere, nihil magis obstare, quominus Philosophia magnas adferat utilitates, quam uni se addicere sectæ. Videtur autem ita dicendum I. quia uni se addicere sectæ, est servitutis jugum sibi imponere, atque ut Cicero ait (1), veluti necessitate cogi, ut omnia quæ præscripta, & quasi imperata sint, defendantur. Atqui Philosophus debet veritatem libere inquirere. Ergo.

80. II. Illud philosophandi genus magis convenit Philosopho, per quod receditur, & à Scepticorum acatalepsia, & à jactata à Dogmaticis certitudine. Sed ad hæc conducit libertas vagandi per omnes sectas; ita enim opiniones quæque accurate discutiuntur, & quid certum, quidve incertum in illis sit, invenitur. Ergo.

81. III. Hac libertate usi sunt Christiani Doctores ad Gentiles reducendos ad Christi fidem. *Philosophiam dico*, ait Clemens Alex. (2) *non Stoicam, non Platonicam, & Aristotelicam, sed quæcunque ab istis sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam.* Igitur Philosophia eclectica expedit etiam Chistianæ Religioni.

Propositio. *I. Philosophiæ auditoribus maxime expedit uni adhærere sectæ. II. Neque id obest libertati philosophandi.*

82. Prob. 1. p. Philosophia est cognitio veritatis, ut dictum est (3). Ergo auditoribus Philosophiæ illud philosophandi genus magis expedit, quod magis conducit ad inquisitionem veritatis. Atqui veritas inquiritur ratiocinando; in iis enim rebus,

---

» losophis patet libertas transgrediendi à vobis in sectam, & auctorem, & suum nomen, nec quisquam illis odium movet, cum in » mores, ritus, cultus, victusque vestros palam, ac publice omnem » eloquii amaritudinem elatrent, cum legum contemptu, sine respectu personarum, ut quidam etiam in Principes ipsos libertatem suam » impune jaculentur." Quanta similium philosophorum hac nostra ætate multitudo est; qui eo liberiores sunt in scribendo adversus legitimas Potestates, quo omnem Dei, & Religionis metum abjecerunt.

(1) l. 4. Acad. (2) Strom. 1. (3) §. 5.

in quibus veritas nondum patet, inveniri aliter non potest, quam reducendo illas ad principia, quod fit ratiocinando (1). Id ergo magis conducit ad inquisitionem veritatis, quod magis conducit ad recte rationandum. Jam vero ut ratiocinatio recte fiat, necesse est, ut propositiones quæ inferuntur, sint connexæ cum principiis, ex quibus inferuntur: nam si connexæ non sint, non deducuntur ex principiis, adeoque recta non erit ratiocinatio (2). Sit ergo series propositionum probandarum, quarum una sit A, altera B, tertia C, & ita porro, donec perveniatur ad principium per se notum; manifestum est, non posse A probari per B, nec B. per C, nisi C. sit principium intermedium ad B, & B sit principium intermedium ad A; proindeque nisi propositiones A, B, C sint connexæ. Recta igitur ratiocinatio pendet ex connexione principiorum, sive propositionum, quibus tamquam mediis utimur ad probandum. Ubi ergo principia hujusmodi connexa non sunt; ibi nec recta ratiocinatio esse, nec veritas inquiri ratiocinando potest. Atqui principia in una, eademque secta connexa esse posunt, in diversis sectis non possunt: nam principia diversarum sectarum diversa sunt, & opposita; si enim non essent diversa, jam neque sectæ diversæ forent; hæc enim diversitas non oritur, nisi ex diversitate principiorum. Veritas igitur in una, eademque secta inquiri recte ratiocinando potest, in pluribus sectis non potest (3). Expedit ergo Philosophiæ auditoribus uni sectæ adhærere.

---

(1) Vide S. Thomam 2. Poster. lect. 36. » Manifestum est, » *inquit*, quod cum A prædicatur de B, si horum sit aliquod me» dium, quod illo medio uti possumus ad demonstrandum, quod A sit » in B, & hæc sunt principia hujusmodi conclusionis. Et quæcumque » accipiuntur ut media, sunt principia conclusionum mediatarum, quæ » per ea concluduntur. Nihil enim aliud sunt elementa, sive principia » demonstrationum, quam propositiones immediatæ..... Sic igitur si sit » aliquod medium propositionis datæ, erit demonstrare per aliquod me» dium, quousque deveniatur ad aliquod immediatum. Si vero non sit » aliquod medium propositionis datæ non poterit demonstrari." Quod idem docuerat Clemens Alex. Strom. 8. pag. 772. his verbis: » Demonstratio est quando à primis venit id quod quæritur per omnia quæ » sunt intermedia."

(2) Clemens Alex. loc. cit. » Unumquodque, *inquit*, ex iis quæ de» monstrantur, demonstratur per quædam quæ demonstrantur, illis quoque prius demonstratis ab aliis donec recurrimus ad ea quæ sunt » evidentia sensu, & intelligentia: quod quidem nominatur resolutio." Videri potest Wolfius Discursu Prælimin. ad Philosoph. in genere §. 120

(3) Id Stanlejus *de Philos. Eclect. c.* 5. negare non est ausus. Etsi

83. Antequam vero alteram propositionis partem probemus, operæ prætium est animadvertere, dupliciter contingere posse, ut quis uni se adjungat sectæ: uno modo sicut Pythagoræi, apud quos ita sine ulla ratione valebat Pythagoræ auctoritas: ut interrogati respondere consueverint: αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit* (1), atque hoc servitutis genus, quo quis propter sectæ amorem obstringitur ad defendendas pertinaciter sectæ sententias, sive veræ sint, sive falsæ, est viro philosopho prorsus indignum, qui veritatem persequi debet (2). Alio modo potest quis uni sectæ adhærere in iis, in quibus veritas nondum est explorata (nam si de veritate constet, hæc præferri debet) permotus rationibus, quibus eæ sententiæ nituntur; vel si nulla suppetat ratio, permotus saltem auctoritate Doctoris, non quem ipse judicet esse sapientem (ut enim recte Cicero (3), *idipsum rudes, & indocti judicare non possunt; statuere enim quid sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis*) sed quem communiter docti homines judicent esse sapientem; quique proinde nonnisi ratione sententiam tenuisse censendus est (4). Id autem dicimus, nullo modo officere libertati philosophandi.

84. Itaque probatur altera prop. pars. Libertas philosophandi, ut illam definit Wolfius (5), est potestas standi suo, non aliorum judicio; sive, ut Cicero ait (6), *integra judicandi potestas*. Sed qui posteriori, quem diximus, modo uni sectæ adhæret, suo stat, non aliorum judicio, integramque retinet judicandi potestatem; ducitur enim ratione, non sola auctoritate (7). Non ergo amittit libertatem philosophandi. Porro

---

enim probet rationem eclectice philosophandi; nihilominus fatetur, *passim sibi ipsis Eclecticos homines contradicere*: quæ sane contradictio oritur ex repugnantia principiorum.

(1) Vide Clem. Alex. Strom. 2.

(2) S. Thomas 1. Ethic. lect. 6. » Quamvis, *inquit*, universaliter » ratione pertinente ad omnes homines, veritas sit præferenda amicis; » specialiter tamen hoc oportet facere Philosophos, qui sunt professores » sapientiæ, quæ est cognitio veritatis..... Juxta hoc etiam est sententia » Platonis, qui reprobans opinionem Socratis magistri sui dicit..... *Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas.*" (3) L. 4. Acad.

(4) Quo sensu Cicero l. 1. Tuscul. ajebat *Errare malo cum Platone, quam cum istis vera sentire.*

(5) Loc. cit. §. 156. (6) L. 4. Acad.

(7) Confer S. Thomam q. 11. de ver. a. 1. ubi ostendit, ratione, & non tantum auctoritate Magistri duci discipulum, qui Magistrum docentem audit; idque explicat exemplo Medici curantis infirmum. » Sicut

mirum valde est, maximam Philosophorum juniorum partem qui libertatem philosophandi jactant, non arbitrari illam amisisse, dum pro exploratis habent experimenta, quæ ipsi nunquam instituerunt, sed ab aliis tradita acceperunt; & nihilominus exprobrare iis qui ratione ducuntur, quod philosophandi libertatem sibi ademerint (1). Et per hæc patet responsio ad primum.

85. Ad secundum negatur minor. Tantum enim abest, ut per ecleticam libertatem recedatur à dubitatione Scepticorum, quin potius ea inducatur (2). Stanlejum appello, qui licet libertatem illam immensum extollat, fatetur tamen

---

» Medicus, *inquit*, dicitur causare sanitatem in infirmo, natura ope» rante; ita etiam homo dicitur causare scientiam in alio, operatio» ne rationis naturalis illius, & hoc est docere." Et paulo post ostendens, id non solum veritatem habere in demonstrationibus causantibus scientiam, sed etiam in opinabilibus, subdit: » Si aliquis alicui propo» nat ea, quæ in principiis per se notis non includuntur, vel includi » non manifestantur, non faciet in eo scientiam, sed forte opinionem, » vel fidem; quamvis hoc etiam ex principiis innatis causetur. Ex » ipsis enim principiis per se notis considerat, quod ea quæ ex eis ne» cessario consequuntur, sunt certitudinaliter tenenda; quæ vero eis con» traria, totaliter respuenda; aliis vero assensum præbere potest, vel » non." Quod si in iis quæ non sunt omnino certa, ita discipulus Magistro docenti assentitur, ut possit non assentiri, utique retinet libertatem.

(1) Qui omnem humanæ auctoritati vim in Philosophia adimunt, videntur omnes scientias naturales è medio tollere. Hæ siquidem experimentis nituntur. Experimenta autem singula, quotquot necessaria sunt, ut scientiæ naturales consistant, atque augeantur, unus, & idem homo instituere nec valet, nec potest. Itaque *plura sæcula* (ut ad rem Joannes à Turre Phys. Gen. part. 1. sect. 1. c. 2.), *innumeri homines requiruntur, qui vacent observationibus, ut ex his principia scientiæ naturalis deducantur. Aliorum itaque fide indigemus in scientia naturali.* Quod S. Thom. de Caus. lect. 1. paucis comprehensus est, docens, *naturalem Philosophiam propter experientiam tempore indigere.* Si igitur in Philosophia nullus detur humanæ auctoritati locus, principia pene omnia scientiæ naturalis corruent.

(2) Thomasii viri heterodoxi testimonium proferam, in Præfat. Phys. *Solemus*, inquit, *in hac Academia* (*Lipsiensi*) *sequi Aristotelem libenter. Quod etsi servitutem ingenuo homine indignam vocare solent hodierni libertini: tamen commoditas hujus instituti, modo absit aperte falsorum, aut male cum cœlesti doctrina cohærentium pervicax propugnatio, æquis judicibus facile se, spero, approbabit.*

(1), scholæ eclecticæ systema cohærens confici facile non posse; nec facile inveniri Eclecticum cum Eclectico consentientem; imo passim Eclecticos homines sibi ipsis contradicere. Hæc autem acatalepsiam non excludunt, sed confirmant. Maxima enim est multitudo hominum, qui ut S. Augustinus animadvertit (2) *si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillime decipiuntur, & in varias, noxiasque opiniones* (uti profecto hac nostra potissimum ætate dolemus) *ita labuntur, ut emergere inde, ac liberari, aut numquam, aut ægerrime queant.* Præterea mens nostra valde imbecilla est, ut supra diximus (3): & quotusquisque est, qui omnium Philosophorum, aut certe plurimorum opiniones, earumque rationes (4) diligenter expendere valeat (5), ut ex iis selectis unum ve-

---

(1) De Phil. Eclect. c. 6. ubi scribit, *systema doctrinarum Eclecticæ scholæ omni ex parte cohærens confici facile haud esse; cum enim cuivis liberum in hac schola fuerit, ad quoscumque liberet fontes expatiari, atque inde derivare, quæ maxime ad palatum essent, non facile eclecticum cum eclectico ita consentientem invenies, ut doctrinæ eorum systema inde confici queat..... Huic veterum, & ex parte Christianorum, opinionum farragini luxuriantia ingenii commenta admiscuerunt, unde passim sibi ipsis eclecticos homines hosce contradicere videas.*

(2) L. de quant. an. c. 7. n. 12. (3) §. 6.

(4) S. Augustinus loc. cit. *Si cupiditatem istam*; inquit, *refrenare non potest, qua tibi persuasisti ratione pervenire ad veritatem, multi, & longi circuitus tibi tolerandi sunt, ut non te ratio adducat, nisi ea quæ sola ratio dicenda est, id est, vera ratio: & non solum vera, sed ita certa, & ab omni similitudine falsitatis aliena, si tamen ullo modo hæc ab homine inveniri potest, ut nullæ disputationes falsæ, aut verisimiles ab ea te possint traducere.*

(5) Difficultatem agnovit Vossius de Sectis c. 21. §. 11. quare statuit, hebetes, & inertes ab Eclectica Philosophia esse arcendos. Idemque de tyronibus statuit Sturmius de Phil. sect. & eclect. c. 5. n. 2. Verum si ita se res habet, jam sequitur, adolescentibus (quod nostra propositio adserit) qui si non hebetes, inertes certe sunt, interdicendam esse eclecticam Philosophiam: hac autem interdicta, quæri potest, utrum adolescentibus adimatur philosophandi libertas; nam si tyronibus præcipiatur, ut à magistrorum dictis pendeant, donec suo possint judicio uti, ut Verulamius tradit l. 1. de aug. scient. jam illud erit malum, quod Verulamius ipse, Novi Org. Aphor. 46. subtilius serpere dicit in Philosophis, ac scientiis, *in quibus quod semel placuit, reliqua (licet multo firmiora, & potiora) inficit, & in ordinem redigit.* Nam dicta Magistrorum, quæ semel tyronibus placuerunt, reliqua inficient,

luti doctrinæ corpus componatur : ex illis autem male intellectis, non ad veritatem, sed ad sophismata aperitur via. Qui ad veritatem tutissime pervenire cupit, regulam tenere debet, quam præscribit S. Augustinus (1) his verbis : *Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas : nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum, vitiorumque velantur, perspicuitati, sinceritatique rationis adspectum idoneum intendere nequeunt ; saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem opacata inducat auctoritas.* Hæc est plana, simplex, & recta ad veritatem via, quam qui terit, & à Scepticorum acatalepsia, & ab affectata Dogmaticorum certitu-

---

utut potiora firmioraque : sic vero tyrones edocti, suo vix, aut ne vix quidem umquam libero utentur judicio. Ita libertatis philosophicæ adsertores, suo, quemadmodum dicitur, gladio conficiuntur. De ceteris qui ingenio, & judicio plurimum valent, sic habeto : tantum abesse, ut ipsorum plerique omnes seipsis possint universarum sectarum non dicam principia, rationes, & momenta accurate perpendere, sed ne placita quidem numerando percensere ; quin potius, si bona fide agere Philosophi recentiores velint, fateri, uno aut altero excepto, cogentur, se aliorum Philosophorum sententias vix attigisse ; illorum autem libros vel numquam legisse, vel attente diligenterque non expendisse ; Gisbertum Voëtium imitati, qui Mersennum provocavit ad impugnandum Cartesii Philosophiam, antequam eam vidisset, cui proinde merito respondit Mersennus Epist. quæ extat in principio 2. p. Epist. Cartesii : *Non possum intelligere, qua ratione illius Philosophiam impugnes, si nondum eam videris.* Sane si recentiores Philosophi vel unum Aristotelem legendo percurrere instituissent, immenso opus fuisset labore, ut Philosophum sive natura, sive arte obscurum intelligere, verborum ejus sensum adsequi, & consequentium, antecedentiumque cohæsionem animadvertere potuissent. Quid si ejus interpretes Simplicium, Eustratium, Rodium, Themistium, Theophrastum, Ammonium, Psellum, Olympiodorum, aliosque vellent adire ? Quæ est autem hæc non philosophandi libertas, sed male dicendi libido, de Philosophorum sententiis, ac scriptis neque lectis, neque intellectis libere pronunciare ? Verum recentes Philosophi cum nihil minus curent, quam de veterum sententiis discutiendis, toti sunt in transcribendis aliorum juniorum Philosophorum placitis ; imitanturque Senecam, qui cum Stoicus esset, ajebat nihilominus Epist. 45. *Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero.*

(1) L. 1. de morib. Eccl. c. 2. n. 3.

dine cavet : qui autem transgrediuntur , facillime in Scepticismum (1) ruunt.

86. Ad tertium neg. ant. nam Ecclesiæ Patres laborarunt , non ut stabilirent Eclecticam Philosophiam , sed ut saniora conquirerent principia ex libris gentilium Philosophorum , ut ex illis tamquam concesis , contra ipsos arguerent. Ut enim S. Irenæus ait (2): *Illa est vera , & sine contradictione probatio , quæ etiam ab adversariis ipsis signa testificationis profert* (3). Ita exponenda sunt verba Clementis. Hoc autem conquirendi studium vehementer commendamus cum S. Thoma, (4) , cum quo probamus insuper studium inquirendi in aliorum opiniones , illasque amplectendi , quas veras ; rejiciendi, quas falsas esse certo constat. Ut enim fatemur , *nihil tam absurde dici posse , quod non dicatur ab aliquo Philosophorum* (5); ita supra diximus (6) , neminem adeo esse veritatis expertem, quin aliquid verum cognoverit. Hæc autem inquisitio tute fieri sine duce vix , aut ne vix quidem potest.

---

(1) S. Augustini ætate tan exiguus erat Atheorum numerus, ut ipse Tract. 106. in Joan. scripserit : *Exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata est , universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.* Illi autem pauci in corde suo desipiebant, nec palam loqui audebant : *Hoc nemo audet dicere* (ajebat idem Augustinus in Psalm. 13.) *etiamsi ausus fuerit cogitare.* Undenam modo tantus est Atheorum , & incredulorum hominum numerus , qui & palam loquuntur , & pestiferis editis libris , perniciem ubique gentium important, nisi ex æffrenata quodlibet opinandi licentia? Mens siquidem assueta suo semper judicio fidere , & aliorum etiam doctissimorum spernere sententias, ita sensim disponitur , ut , vitiis ingruentibus , veritatibus manifestis oculos claudat. *Auctoritate decipi* (inquiebat S. Augustinus l. de utilit. credendi c. 16.) *miserum est : sed certe miserius non moveri.*

(2) L. 4. adv. hær. c. 14.

(3) Similia scribit Novatianus l. de Trinit. & S. August. l. 18. de Civ. c. 47.

(4) 1. de an. lect. 2. his verbis : *Necesse est accipere opiniones antiquorum quicumque sint..... Et hoc quidem ad duo erit utile. Primo quia illud quod bene dictum est ab eis , accipiemus in adjutorium nostrum. Secundo quia illud quod male enunciatum est , cavebimus.*

(5) Cic. l. 2. de Divin. (6) §. 44.

ARTICULUS VIII.

Utrum expediat, in rebus philosophicis uti S. Thoma Aquinate Magistro.

87. Videtur non expedire. I. Quia Thomas totus Peripateticus est, imo philosophiam Arabico-peripateticam promovit. Sed Aristoteles in multis erravit, Arabes philosophiam ejus deturparunt, ut dictum est (1). Ergo.

88. II. Thomas nec ipsum Aristotelem adsequi potuit, tum quod imperitus Græcæ linguæ, tum quod ignarus historiæ Philosophiæ, in qua plane versatus esse debet, qui Aristotelis opera cupit intelligere.

89. III. Thomæ ætate præsto non erant instrumenta, & machinæ quæ postremis hisce temporibus inventa sunt ad observationes instituendas, præsertim circa sidera; neque tot facta experimenta, quibus Philosophia, præsertim Physica, mirifice est illustrata.

90. IV. Thomas ubique abundat subtilissimis, & inutilibus quæstionibus, rationibusque utitur nimium abstractis, & sæpe nonnihil est prolixior.

91. V. Insuper Thomæ stylus barbarus est, nihilque habet ornate. Sed Cicero (2) eam judicat perfectam Philosophiam, quæ de maximis quæstionibus copiose potest, ornateque dicere. Ergo.

92. VI. Præterea Thomas vix quidquam delibavit de scientiis mathematicis, sine quibus nullus in Philosophia, præsertim Physica, progressus fieri potest.

93. VII. Denique Thomas etiam in philosophicis multos habuit contradictores; ejusque doctrina multorum fuit accusata errorum.

Propositio. *Maxime expedit, in rebus Philosophicis uti S. Thoma Magistro.*

94. Prob. In rebus Philosophicis eo maxime expedit uti Magistro, qui optimi Philosophi partes explevit. Talis fuit S. Thomas; tria enim sunt optimi Philosophi munera: (3) 1. ut non utatur terminis, nisi accurate definitis. 2. ut non ad-

(1) §. 46. (2) L. 1. Tuscul.
(3) Confer Wolfium Discursu Prælim. de Philos. in gen. c. 4.

mittat tamquam verum, quod non sufficienter probaverit: 3. ut omnia sic disponat, ut præmitantur ea per quæ sequentia intelligantur, & adstruantur. Atqui S. Thomas ubique utitur terminis accurate definitis; imo statuit hunc Canonem (1): In unaquaque re discutienda, *præmittendas esse definitiones eorum, de quibus agendum est: quia ex definitionibus alia capimus consequenter.* Insuper Thomas nihil pro certo habet, nisi sufficienter probaverit; nec putat satis probasse, nisi etiam respondeat ad rationes adversariorum; & idcirco hunc alium statuit Canonem (2): *Necesse est, eum qui debet audire Philosophiam, melius se habere in judicando, si audierit omnes rationes, quasi adversariorum dubitantium.* Et alibi (3): *Expedit ei qui vult cognoscere aliquam veritatem, solvere dubitationes, quia solutio dubitatorum est inventio veritatis; & ita ad sciendam veritatem multum valent rationes contrariarum opinionum* (4). Denique S. Thomas tam miro ordine singula disponit, ut priora posterioribus lumen, ac robur addant (5). Qua-

(1) 1. Perih. lect. 1. (2) 3. Metaph. lect. 1. (3) 1. de Cœlo lect. 22.

(4) Quæ causa est, quare Angelicus ubique sibi prius objiciat argumenta adversariorum. Cujus rei hanc etiam rationem adfert 3. Metaph. lect. 1. *Posterior investigatio veritatis nihil est aliud, quam solutio prius dubitatorum. Manifestum est autem in solutione corporalium ligaminum, quod ille qui ignorat vinculum, non potest solvere ipsum. Dubitatio autem de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eumdem effectum demonstrat. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid simile iis, qui sunt stricte ligati. Sicut enim ille qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem; ita ille qui dubitat quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundum viam speculationis. Et ideo sicut ille qui vult solvere vinculum corporale, oportet, quod prius inspiciat vinculum, & modum ligationis; ita ille qui vult solvere dubitationem, oportet, quod prius speculetur omnes difficultates, & earum causas.* Hæc minime animadvertentes Philosophi recentiores, cum pene omnia se animo comprehendisse videri velint, tum ne ignorantiæ argui possint in respondendo, statuunt, non teneri illum qui negat, solvere objectiones adversariorum, postquam demonstravit, partem adversam esse impossibilem, Ita Gravesandus Introduct. ad Phil. part. 2. c. 19. §. 668. & Antonius Genuensis Art. Log. Crit. l. 5. c. 11. §. 2. Quasi vero postquam demonstraverimus Dei existentiam, aut animæ nostræ immortalitatem, non debeamus Atheistarum, & Materialistarum sophismata solvere.

(5) Vide Opus Gallice inscriptum, *Examen des defauts Theologiques* T. 2. sect. 11. c. 3. a. 2. n. 5. ubi de S. Thoma tale fertur judicium:

re hunc alium ponit Canonem (1) : *Necesse est, in quolibet genere rerum prius considerare communia, & seorsum, & postea propria unicuique illius generis.* Expedit ergo uti S. Thoma Magistro in rebus philosophicis.

95. Præterea. Philosophia, ut dictum est (2), Fidei Catholicæ, ideoque sacræ Theologiæ famulari debet. Illam ergo Philosophiam amplecti magis expedit, quæ Fidei, ac Theologiæ magis inservit. Hujusmodi est autem Philosophia scholastica, in qua vel ipso fatente Brukero (3), Thomas principem locum tenet (4). Quocirca Auctor lib. de Arte cogitandi

---

» Il reduit les questions à un certain nombre, laissant, à part celles, » qui ne sont pas necessaires : il fait ensorte, qu' elles ajent de la liai- » son entre elles : enfin il ne passe point à l' explication d' une nou- » velle difficultè, sans être assurè, que la precedente & son explicacion » ont èté bien conprises. " *Ipse quæstiones ad certum redigit numerum, prætermissis illis, quæ necessariæ non sunt : ipse ita illas pertractat, ut connexæ, & conjunctæ sint inter se : denique ad explicandam novam aliquam difficultatem non progreditur, quin certus sit, illam quæ præcedit, ejusque explicationem bene fuisse comprehensas.* Et Duguetius à Racino relatus T. 6. Comp. Hist. Eccl. p. 74. de Thoma loquens ait : » Toute sa doctrine est liée ; ses principes sont suivis ; & » toutes ses conclusions se tiennent par un enchainement merveilleux. " *Universa ejus doctrina colligata est ; ejus principia consequentia sunt; omnesque ejus conclusiones habentur veluti admirabilis quædam catena.*

(1) 1. de anim. lect. 1. (2) §. 75.

(3) Hist. Phil. T. 3. periodo 2. p. 2. l. 2. c. 3. sect. 2. §. 19.

(4) Idem Bruckerus loc. cit. in S. Thomæ Theologiam acerbius invehitur : *immodicus*, inquit, *Peripateticæ Philosophiæ amor virum hunc superstitioso obsequio Philosopho addictum, seduxit, ut Theologiæ vulneribus, quæ præpostera Philosophiæ commixtio inflixerat, nova adderet vulnera : sicque sacram Doctrinam vere faceret philosophicam, imo gentilem.* Et paullo post : *Cum ea, in Philosophia ad Theologiam applicanda, methodo uteretur, ut consensu Patrum, & Scripturæ quidem quæsito, eo vero ex rationibus metaphysicis, & testimoniis Philosophorum gentilium confirmato, magnum Doctrinæ Sacræ præsidium in Philosophia Aristotelica poneret..... perspicuum inde est, Scholasticæ Theologiæ vitia non sustulisse, sed auxisse.* Ita Bruckerus, qui ex Historico Philosophiæ Scriptore, in Theologum, Theologorumque judicem repente evasit. Sed reponam verbis S. Gregorii Nysseni l. 1. con. Eunomium edit. Gretseri pag. 36. sq. pro S. Basilio scribentis : *Putat iste, invictum illum sola conviciandi libidine, & impudentia lædi posse? Non adeo humilis, & demissus Sol est, ut usque ad ipsum pertingant*

Diss. 2. prœm. etsi scholasticam Philosophiam insectetur, ni-

lapides, vel aliquid aliud in ipsum emissum. Nam jacula recidunt in caput mittentis, & Sol omni jactu manet altior. Et licet quis criminetur Solem ut obscurum, haut tamen conviciis splendor radiorum imminuitur, sed Sol etiam conviciis impetitus, nihil aliud est, quam Sol; interim qui Solis radios tenebricosos esse nugatur, nihil aliud reportat, quam quod oculorum suorum cæcitatem insigniter prodit: & quamvis maxime iis qui audiunt, & cum quibus agit, persuadere velit, ne assentiantur communi hominum de Sole existimationi..... delirare censebitur talis ab iis, quibus videndi sensus non est ademptus. Itaque Bruckerus nugatur, cum Solem Aquinatem conviciis impetit. Nam primum quidem sibimet contradicit; si enim Thomas *in Philosophia ad Thologiam aplicanda quæsivit Scripturæ, ac Patrum consensum*; non ergo fecit Sacram Doctrinam philosophicam, & gentilem; nisi forte Brukerus velit, gentilem esse Doctrinam illam, quæ Scripturæ, ac Patrum consensu nititur. Quod si Thomas hunc consensum quæsivit; in eo igitur præsidium posuit, non in Philosophia Aristotelis: nam quid opus habet ethnici Philosophi præsidio doctrina illa, quæ in Scriptura, & traditione firmissimum præsidium habet? Deinde Brukerus vel dissimulat, vel ignorat, quantopere à Patribus sit commendatus usus Philosophiæ Gentilium in Sacra doctrina. Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 40. „ Nonne, *inquit*, adspicimus quanto auro, & argento, & veste suf- „ farcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor suavissimus, & Mar- „ tyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, „ Hilarius; ut de vivis taceam, quanto innumerables Græci? Quod „ prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum „ est, quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum." Hos omnes Bruckerus damnet, necesse est, cum indignanter fert, Thomam usum in Theologia fuisse *testimoniis Philosophorum Gentilium.* Vide eumdem S. Thomam Opusc. 19 con. impugnantes Religionem. c. 11. ubi scribit: „ Quod (Religiosi) non solum studio litterarum secularium „ laudabiliter vacare possint, expresse habetur per Hieronymum in Epis- „ tola ad Pamachium monach. *Sin adamaveris captivam mulierem,* „ *id est, scientiam secularem, & ejus pulchritudine captus fueris; de-* „ *calva eam, & illecebras crinium, atque ornamenta verborum cum* „ *emortuis unguibus seca: lava eam prophetali nitro; & tunc requies-* „ *cens cum illa, dicito: sinistra ejus sub capite meo, & dextera illius* „ *amplexabitur me: & multos tibi fœtus captiva dabit, ac de Moabi-* „ *tide efficietur Israelitis.*" Et c. 12. inducit auctoritatem ipsius Hieronymi ita scribentis ad Magnum urbis Romæ Oratorem: *Quod quæris, cur in nostris opusculis secularium litterarum interdum ponamus exemplum, & candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus, responsum breviter habeto: Nunquam hoc quæreres nisi te totum Tullius*

hilominus ait : *Ad Theologiam accurata scholasticæ Philosophiæ notitia prærequiritur, cum hæc illius linguam vernaculam loquatur.* Itaque expediens valde est, Thomæ Philosophiam consectari iis præsertim, qui ad Sacram Theologiam comparari debent.

96. Idipsum ostenditur ex commendatione doctrinæ S. Thomæ. Neque hic describam laudes, quibus eam prosequuti sunt Pontifices Maximi (1), & Catholicæ Academiæ ; confitetur enim & ipse Bruckerus (2) *Pontifices, Academias, Gymnasia, & quidquid de doctrina, & eruditione judicare solet, in pro-*

---

possideret, si Scripturas Sanctas legeres, si interpretes earum, omisso Volcatio, evolveres. Quis enim nesciat in Moyse, & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris, & Salomonem philosophicis uti, & proposuisse multa, & aliqua respondisse?

Ad hæc : Bruckerus vel numquam Thomæ opera legit, vel non animadvertit, propositum Thomæ fuisse, in Theologia nedum agere de Doctrina revelata, sed etiam de Theologia naturali ; hæc enim, ut scribit Clemens Alex. Strom. 1. pag. 309. *regali quidem maxime Doctrinæ* (id est Doctrinæ revelatæ) *viam præparat.* In iis autem, quæ ad Theologiam naturalem pertinent, agendum est rationibus, quarum multæ reperiuntur in libris Gentilium Philosophorum. Quod si horum doctrinis Thomas quandoque utitur, cum agit de mysteriis revelatis, utitur, ut ipse ait 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. *non ad probandum fidem, sed quasi extraneis, argumentis, & probabilibus.* Quare aperte calumniatur Brukerus scribens, Sacram Doctrinam fuisse à Thoma confirmatam testimoniis gentilium Philosophorum, magnumque ejusdem Doctrinæ præsidium ab eo fuisse positum in Philosiphia Aristotelis. Quod vero Aristotelem præ ceteris Thomas sit sequutus, id effecit non immodicus Philosophiæ Peripateticæ amor, multoque minus superstitiosum erga Aristotelem obsequium, sed studium Christianæ Religionis. Cum enim Thomæ etate (atque id quidem nosse debuerat Bruckerus, qui de Historia Philosophiæ scribebat) plurimi adversus Religionem, & fidem abuterentur auctoritate Aristotelis, libellique vulgarentur de unitate intellectus, de mortalitate animorum, de mundi æternitate ; nec facile esse zizania evellere agris Evangelii superseminata absque tritici damno, nisi Aristotelis mens exponeretur ; necesse fuit, ut Thomas monitis parens S. Hieronmi Epist. 84. & David imitando, *extorqueret de manibus Hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncaret.* Quæ cum ita sint, caveat Brukerus, ne forte in ipsum recidant verba ejusdem Hieronymi ibid. scribentis : *Ne quæso vescentium dentibus edentulus invideat, & oculos caprarum talpa contemnat.* Nam Thomas ut Sol, licet conviciis impetitus, Sol permanet.

(1) Vide Bull. Ord. Præd. T. 8. p. 279. seq.

(2) Loc. cit.

fundendis Thomæ laudibus decertasse. Quod sane eximium est laudationis genus. Illos proferam, qui scholasticæ Philosophiæ prope bellum indixerunt. Ac Bruckerus idem quamquam invitus (1): *Fatemur*, ait, *omnino fuisse in Thoma judicandi aciem haud mediocrem, ingenium excellens, lectionis copiam, & inexhaustam prorsus industriam.* Laudat porro Erasmum, & Ludovicum Vives, quorum prior Thomam vocat (2) virum *non suo tantum seculo magnum, cui nullus recentiorum Theologorum par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio.* Posterior Thomam appellat (3) *Scriptorem de schola omnium sanissimum.* Joannes autem Launojus (4) ajebat: *Religiose juro in B. Thomæ doctrinam omnem..... & propter honorem S. Thomæ non juro in aliam, quæ ab illa dissentiret.* Quibus adjungi potest Joannes Casius Oxoniensis in speculo Quæst. Moral. *Multi*, inquit, *hodie cum audiunt nomen Thomæ, supercilia statim contrahunt, & distorquent labia; sed si isti serio unam, vel alteram quæstionem in illo sine præjudicata sententia legerint, detracta palea purissimum granum, sublata scoria aurum splendidissimum forsan se invenisse dixerint.* Leibnitius item Theodiceæ §. 330. *Thomas*, inquit, *Aquinas ad solidum tendere solet.* Præterea Christianus Wolfius (5) sæpe Thomæ ingenium, ejusque acumen singulare commendat. Hugo Grotius (6) studium doctrinæ S. Thomæ consuluit Benjamino Maurerio. Ejusdem Thomæ acumen judicii, & eruditionis soliditatem suspexere Renatus Rapinus (7), & Julius Schurlius (8). Ludovicus autem Crocius (9) *Thomæ Aquinatis insignem, & admirandam Sapientiam* prædicat. Vossius (10) Thomam appellat *magnum Doctorem.* Georgius Paschius (11) de Thoma scribit: *Viri ingenium, & judicium mirari satis non possumus.* Joannes Franciscus Buddeus (12) ipsum vocat *Virum magnum & excellenti ingenio præditum.* Cartesius p. 2. Epist. 48. Mersenno gratias agit, quod ipsi quædam D. Thomæ loca transmiserit. Georgius Hornius in Hist Phil. l. 6. c. 4. de S. Thoma: *Hoc*, in-

(1) Ib. (2) In c. 5. Epist. ad Rom.
(3) De caus. corrupt. art. l. 5. (4) Epist. 6. n. 561.
(5) Theol. nat. p. 1. c. 3. §. 546. & c. 4. §. 683. & c. 5. §. 799. & p. 2. sect. 2. c. 1. §. 497. &c.
(6) Epist. 54.
(7) Reflex. sur la Moral. §. 9. (8) In Biblioth. Mor.
(9) De rat. Stud. Theol. c. 3. (10) Inst. Orat. l. 4. c. 8. n. 3.
(11) Introd. in rem liter. Mor. Veterum Sapientiæ Antist. c. 2. §. 12.
(12) Inst. Theol. Dog. l. 3. c. 2.

quit, *neque in studendo diligentior quisquam, neque parcior in loquendo.* Antonius Genuensis (1) adversus Spinozam agens *Bina*, inquit, *proferam loca* (S. Thomæ) *ut quantus hic homo fuerit Philosophus, intelligatur.... Paucis complexus est quæcumque ceteri longo sermone edisserere solent: quam nervose!* Mitto reliquos, ne nimius videar (2). Expedit ergo sequi in Philosophicis Doctrinam S. Thomæ, quæ tantopere commendata est ab ipsis recentioribus Philosophis, qui Scholasticos spernere, & irridere consueverunt. Ut enim supra dictum est (3), nulla major, securiorque haberi probatio potest illa, quæ ab ipsis adversariis testificationem accipit.

97. Jure igitur, ac merito cautum severe est nostri Ordinis legibus, ut ne quis à S. Thomæ doctrina etiam in re philosophica vel minimum recedat; constitutumque, ne docendi munus quis adsumat, qui non ante jurans promiserit, illam sese omnino fore, ac fideliter sectaturum (4). Nam si integrum Ciceroni fuit dicere (5) de Socrate, & Platone, cum illos anteponeret Epicuri, & Carneadis sectatoribus: *Plato, & Socrates, ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos Philosophos vincerent*: cur non idem multo magis dicendum nobis erit de Angelico Doctore? Neque propterea verendum erit, ne ulla necessitate cogamur. Nam si hæc *necessitas dicenda est, dicatur omnino*; *dum tamen constet, nihil esse ista necessitate felicius* (6); nam Thomam sequentes, certi sumus, numquam nos à veritate aberraturos. Verum nulla nos cogit necessitas, quippe ratione ducimur (7). Nam si aliquando certo constaret, vel Ecclesiæ, aut Pontificum Maximorum

(1) Elem. Metaph. edit. an. 1751. p. 1. c. 4. §. 44. Et edit. an. 1774 in Schol. prop. 67.

(2) Hinc merito vapulat Heinecius cum Elem. Hist. Phil. §. 100. ipsum non pudet Thomam Aquinatem inter Scolasticos recensere, qui *absona dicendi, docendique ratione cordatioribus hodie risum excitant.* Anne ille minus cordatis accensebit eos etiam quos citavimus ex Protestantium grege? (3) §. 86.

(4) Vide Fontanam Const. Ord. Præd. de Doctr. S. Thomæ.

(5) L. 1. de Div. (6) S. August. l. 5. Oper. imperf. c. 61.

(7) Quæ de S. Ambrosio dixit olim S. August. Epist. 147. al. 112. c. 23. dicere & nos de S. Thoma jure possumus: » Tene mecum Sancti viri sententiam, jam non ejus auctoritate, sed ipsa veritate firmatam. Neque enim & mihi propterea placet..... tamquam plantatori, & rigatori meo nimium faveam: sed quia de hac re & ipse hoc dixit, quod pie cogitanti, & recte intelligenti loquitur etiam ille qui incrementum dat Deus."

judicio, vel evidentibus, indubiisve argumentis, aliquam Thomæ sententiam falsam esse (quod nullatenus est timendum) nulla religione obstringeremur ad eam propugnandam; neque enim falsitatis tuendæ ulla potest esse jurisjurandi religio. Itaque dum Thomam sequimur, ejusdem institutis inhæremus, qui de Doctorum auctoritate agens, subscribit (1) S. Augustino ajenti (2): *Solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam..... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt* (3).

98. Ad primum dist. 1. maj. p. Thomas Peripateticus est sola animi gratia, nego; ut Fidei, ac Religioni obsequatur, concedo. Thomas quod Peripateticus fuerit, ab iis reprehendi potest, qui apud Ciceronem non legerint, *flumen orationis aureum fudisse Aristotelem* (4); ipsum *ingenii abundantia præstitisse* (5); fuisse *in Philosophia prope singularem* (6); & *acie mentis omnium rerum vim naturamque vidisse* (7): cum fuerit *singulari vir ingenio* (8), *dicendi copia, & suavitate* (9) *incredibilis* (10). Ac ne quidquam cumulatæ laudationi deesset,

---

(1) 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. (2) Epist. 22. al. 19.

(3) Merito etiam ab Eminentissimo, ac Reverendissimo S. R. E. Card. Joanne Thoma Boxadorsio Generali Magistro Ordinis Prædicatorum, renovatis antiquis ejusdem Ordinis legibus, est constitutum, ut *Litteram* Summæ Theologicæ S. Thomæ Lectores in Scholis interpretarentur, abstinerentque ab explicandis quibuscumque aliis Institutionibus. Quæ quidem Sanctio quanti sit facienda, colligitur ex Joannis Vincentii Gravinæ Orat. 1. de instauratione studiorum ita scribentis. » Theo» logiæ tradendæ rationem nemo alibi, quam Romæ invenerit melio» rem, postquam eam Dominicanæ familiæ Patres depromere cœpe» runt è fonte suo, nempe de D. Thomæ libris. Quorum prælectio» nem quotidianam proprio sumtu. Casanacta Cardinalis beneficentissi» mus, & vel hoc tantum nomine optime de Ecclesia meritus insti» tuit, ut studiosus à garrulis, & perplexis vulgarium Doctorum scrip» tis, ad ipsum deduceret oraculum Sapientiæ Divinæ, Doctoremque » juventuti redderet eum, quem non modo communis hominum admi» ratio, sed suamet Christus voce, fidum, ac certum in Ecclesia Præ» ceptorem constituit omnis ævi."

(4) L. 4. Acad. (5) L. 1. Acad. (6) L. 4. Acad.

(7) L. 2. de Orat. (8) L. 1. de Div. (9) Top. 3.

(10) Ne quis suspicetur, de aliis Stagyritæ libris, qui forte modo

ipsam quoque Peripateticorum disserendi rationem Cicero commendavit (1) : *Mihi semper Peripateticorum , Academiæque consuetudo , de omnibus rebus in contrarias partes disserendi , non ob eam caussam solum placuit , quod aliter non posset , quid in quaque re verisimile esset , inveniri ; sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio , qua princeps usus est Aristoteles.* Etsi vero Thomas Aristotelem sibi sequendum constituit , id certe non fecit animi gratia (2) ; sed ut vulnera curaret , quæ ex illius doctrina male intellecta Religioni infligebantur (3). Neque umquam Thomas sola Aristotelis auctoritate nititur, sed omnia ad rationem , Fideique dogmata diligentissime expendit ; universosque ejus errores non modo ipse cavet , sed ut alii caveant , auctor est (4). Interpretantur quidem quæ ab Aristotele sunt obscure dicta ; sed quæ interpretari commode nequit , erroris damnat , si cum fide pugnent (5). Statuit porro cum S. Augustino (6) , ea *quæ Philosophi communes senserunt , & nostræ fidei non repugnant , neque sic esse adserenda, ut dogmata fidei..... neque sic esse neganda , tamquam fidei contraria , ne sapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei occasio præbeatur* (7). Et idcirco 1. p. q. 68. a. 1. sqq. agens de opere secundæ diei, nulli se Philosophorum sententiæ addicit, ne Scripturam ad illorum sensum trahere videatur.

---

non extent , Tullium fuisse loquutum , adeat Georgium Trapezuntium l. 5. Rhetoricorum de Operibus Aristotelis extantibus tale ferens judicium: » Aristotelem inspiciamus. Quid ergo is Philosophiæ caput , & » oculus , eloquentiæne præcepta contemnit ? ut nemo judicio meo or- » natius , nemo distinctius , nemo numerosius simul , & gravius loqu- » tus est." (1) L. 2. Tuscul.

(2) Cum in Constitutionibus Ord. Præd. Dist. 2. c. 14. n. 1. cautum sit , *ne Fratres in libris Gentilium , & Philosophorum studeant , etsi ad horam inspiciant* ; Thomas qui legum sui Ordinis observantissimus erat , nullo modo in Philosophiam Aristotelis tanto studio incubuisset, nisi Fidei , & Religionis causa , utque aliis eriperet occasiones errandi.

(3) Vide not. 3. pag. 99. sq.

(4) Vide Hieronymum Vielmium de Doct. & Script. D. Th. l. 1.

(5) Nam 8. Phys. lect. 2. disserens de perpetuitate motus: » Quidam, » *inquit* , frustra conantes ostendere Aristotelem non contra Fidem lo- » quutum esse , dixerunt , quod Aristoteles non intendit hic probare, » quod motus sit perpetuus , sed inducere rationem ad utramque par- » tem , quod ex ipso modo procedendi frivolum apparet." Adeo studiosius veritatis erat Thomas , ut quem alii explicabant textum Aristotelis , ipse damnandum erroris existimaverit.

(6) L. 1. de Gen. ad litt. c. 19. n. 39. (7) Opusc. 10.

99. Alteram majoris partem omnino negamus. Nam Thomas non modo non probat Saracenorum commentaria, sed passim Avicennam, Averroem, Avicembronem, aliosque Arabes Philosophos, qui suis commentis Philosophiam, ac Religionem labefactarant, impugnat. Ac de Averroe quidem scribit (1), ipsum *non tam fuisse Peripateticum, quam Peripateticæ Philosophiæ depravatorem.* Noverat siquidem, Aristotelis Philosophiam fuisse à Saracenis corruptam: atque hæc causa fuit, cur novis in illam institutis Commentariis, eam restituere fuerit aggressus, ut ad ipsam recte intelligendam, missis Arabum commentis, studiosi revocarentur. Porro si Thomas probasset scripta Saracenorum, nulla fuisset ratio, quare novam, ut Bruckerus ipse non negat (2), melioremque Operum Aristotelis versionem curaret, novaque ederet Commentaria.

100. Ad secundum negatur utraque pars antecedentis. Sane quod Thomas Græcæ linguæ peritus fuerit, pluribus ostendit Guyardus (3). Aquinas ipse testatur (4), se vidisse libros de substantiis separatis nondum in latinum versos. Meminit præterea (5) libri Procli Platonici, quem dicit *in Græco inveniri.* Ait item (6), se interdum ex Homiliis Chrysostomi sensum accepisse, dimisisse verba, eo quod translatio esset vitiosa. Quid? si ejus Commentaria in Aristotelem conferantur cum antiqua versione, qua Thomas usus est, invenietur profecto, ipsum magis intendisse ad textum græcum, quam ad versionem illam, eamque sæpissime vel explicasse, vel emendasse. Verum si permittamus, Thomam vel prorsus ignorasse Græcam linguam, uti de se fatetur S. Gregorius M. (7); vel Græce mediocriter fuisse doctum, ut de se scribit S. Augustinus (8); non modo nihil ejus detrahitur laudi, sed magna fit accesio. Neque hoc loco Suessanum (9), vel Pompanatium (10), aut

(1) Opusc. 16. (2) Loc. cit.
(3) Difert. hac de re edita an. 1667. (4) Opusc. 16.
(5) In l. de Caus. lect. 1. (6) In Catena Aurea Epist. ad Urban IV.
(7) L. 6. Epist. 69 al. l. 11. Ep. 74. (8) In Proëm. l. 3. de Trin.
(9) Præfat. in lib. Phys. Arist. » Tomæ Aquinati, *inquit*, merito ju» ra exponendi concessa sunt..... Illo enim (pace Expositorum Græco» rum dixerim) clarior inventus est nemo. Et Præf. in lib. de anima: » Nec ejus commentarios minoris facio his, quæ Greci scripserunt, » ut recte intelligenti patet."
(10) Quæst. de actione reali: » Opinio recitata D. Thomæ omnium » Latinorum (sententia mea) maximi, imo fortassis non minoris ali» quo Aristotelis Expositore, sive sit Græcus, sive sit Arabs, sive cu» juscumque sit, omnibus est præponenda."

Flaminium (1) laudabo. Referam Renaudotii judicium ita scribentis (2) : *Neque satis mirari possumus D. Thomæ Aquinatis, qui Aristotelem talium interpretationum subsidio unico legerat, acumen, & industriam, cum sæpe Aristotelem verius, saltem verisimilius.... quam Græci nonnulli interpretatus agnoscatur* (3).

101. Multo magis falsa est altera antecedentis pars. Nam Thomas historiam veteris Philosophiæ apprime cognitam habuit. Ipse de Hebræorum, Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum philosophis, Gallorumque Druidis mentionem facit (4). Meminit Philosophiæ veterum Poetarum, eorumque philosophandi rationem exponit (5). Septem Sapientes commemorat, & quam persecuuti fuerint Philosophiæ partem describit (6). De principiis Philosophiæ Thaletis (7), Anaximandri (8). Anaximenis (9), Diogenis (10), Anaxagoræ (11), Euripidis (12), Archelai (13), Socratis (14), Empedoclis (15), Pythagoræ (16), Archytæ (17), Hippasi (18), Xenophanis (19), Parmenidis (20), Melissi (21), Heracliti (22), Leucippi (23), Democriti (24), Platonis, (25), Stoicorum, (26), Cyrenaicorum (27), Epicureorum (28), aliorumque frequenter sermonem instituit, atque eorum opiniones exponit & ubi necesse est, impugnat. Quod sane haud est ignorare historiam Philosophiæ, sed in ea esse apprime versatum. Si autem Bruckerus ideo ignoratæ historiæ veteris Philosophiæ Thomam accusat, quod veterum

---

(1) In 12. Arist. lib. de prima Philos. » In hoc genere apud Grecos » floruere in primis Basilius M. & duo Gregorii, Nysenus alter, & » alter Nazianzenus ; apud Latinos multi quidem, sed ante omnes, si» ne ulla controversia, Thomas Aquinas."

(2) De Arist. version.

(3) Idem tulit judicium Gabriel Naudæus Bibliographiæ Polit. pag. 36. scribens : » Ipse vero (Thomas) ut in ceteris operibus Aristotelis, » sic præsertim in istis Politicorum, more suo fecit : & ex interpreta» tione neque bona neque vera, bonam tamen, & veram sententiam » elicuit. »

(4) Vide quæ diximus art. 4. §. 32. sqq. (5) Vide ib. §. 41.
(6) Ib. §. 42. (7) 1. Metaph. lect. 4. (8) Ib.
(9) Ib. (10) Ib. (11) Ib. (12) 3. Eth. lect. 2.
(13) 1. Metaph. lect. 2. (14) ib.
(15) 1. Con. Gen. c. 64. 10. (16) 1. Metaph. lect. 10.
(17) Ib. (18) 1. Metaph. lect. 4. (19) Ib. lect. 9.
(20) Ib. (21) Ib. (22) Ib. (23) Ib. (24) Ib.
(25) 1. Metaph. lect. 10. (26) 3. con. Gen. c. 8.
(27) 1. 2. q. 2. a. 4. (28) 1. Eth. lect. 5.

Philosophorum sententias aliter explicaverit, ac ipse Bruckero adridet, videat, ne ceteros Philosophos, qui ei subscribere renuunt, similiter imperitos, & ignaros pronunciet.

102. Ad tertium respondemus, etiam Thomæ ætate fuisse quædam instrumenta ad observandos siderum motus. Nam idem Thomas 12. Metaph. lect. 9. scribit : *Quod sin plures motus hujusmodi astrorum, tribus modis deprehenditur. Est enim aliquis motus apprehensus vulgo visu. Est & alius motus, qui non deprehenditur, nisi* INSTRUMENTIS (1), *& consideratione..... Est & tertius motus, qui declaratur ratione.* Fatemur, perfectiora, accuratiora, & nova etiam instrumenta deinceps esse confecta, quorum ope pleræque res detectæ : observatæque sunt, quæ Thomæ ætate ignotæ erant. Ut enim ex eodem Thoma dictum est (2), singulæ artes per diversorum studia, & ingenia ad incrementum perveniunt. Neque nobis in mentem venit, nihil addi posse Philosophiæ S. Thomæ (3). Sed utrum hisce posterioribus instrumentis, experimentisve declarata sit veritas, ostendunt variæ de una, eademque re Philosophorum recentiorum opiniones ; varietas enim opinionum venit ex ignorantia veritatis ; *id enim opinatur quisque quod nescit.* (4).

103. Ad quartum dicimus, hoc plane singulare esse in Angelico Doctore, quod cum acutissimis rationibus subtilissimas quæstiones versans, conjungat incredibilem perspicuitatem. Hanc qui non videt, sciat, multoties *obscuritatem voluminum fieri ex audentis duritia* (5).

104. Quod autem additur de quæstionibus inutilibus, id

(1) Astronomica instrumenta anquissima sunt Gnomon, Radius, Parallaticum, Dioptra, Annulus astronomicus &c. Vide Georgium Henischium in Procli Sphæram. Vide etiam Euclidis Phœnomena. Utrum vero Teloscopiorum usus Antiquis fuerit cognitus, affirmare non audeo. Mabillonius in suo *Itinere Italico* refert, se vidisse in quodam Codice MS. Operum Comestoris à Corado exarato seculo 13. descriptam fol. 3. ejusdem Codicis, imaginem Ptolomæi sidera conspicientis tubo quodam in quatuor partes invicem copulatas distributo. Utut sit, fatetur Wolfius Elem. Diop. n. 318. *Teloscopiorum inventum casui deberi, non meditationi.* Quemadmodum certum est, principia, quibus Teloscopia nituntur, apud Euclidem contineri, veteribusque Geometris fuisse perspicua.

(2) §. 44. (3) Ad rem Seneca Epist. 64. » Multum adhuc restat » operis, multumque restabit : nec ulli nato post mille secula præclu» detur occasio aliquid adhuc adjiciendi."

(4) Lactantius l. 3. Inst. c. 3. (5) S. Hieron. Proëm. in. Ezech.

prorsus negamus. Quæstionem siquidem nullam Thomas instituit, quæ magnam non adferat utilitatem. Et licet nonnullæ, si seorsim accipiantur, videri possint inutiles; summum tamen deprehenditur earum emolumentum, si cum consequentibus conferantur, integrumque doctrinæ corpus consideretur (1). Si autem ejusmodi quæstiones ut inutiles habendæ forent, ad inutilia quoque amandari deberent pleraque theoremata Euclidis, quorum non alius usus est, quam ut sequentibus sint loco principiorum. Intelligant potius qui de inutilibus quæstionibus Thomam carpunt, quas S. Iræneus (2), quas Lactantius (3), quas Basilius (4), quas Augustinus inutiles quæs-

(1) Auctor lib. *Examen des desfauts Theologiques* T. 2. sect. 11. c. 3. a. 2. n. 5. » Un Censeur difficile y trouvera peut être quelques inutilités » sur les habitudes, sur le voluntaire, & l' involontaire, sur les defi- » nitions de chaque vertu en particulier &c. Mais on repond que S. Tho- » mas n' à traitè ces questions, que pour une plus grande exactitude. *Morosus censor inveniet fortasse inutilitates quasdam in quæstionibus de habitibus, de voluntario, & involuntario, de definitionibus uniuscujusque virtutis in specie &c. Verum respondetur, S. Thomam ejusmodi quæstiones non pertractasse, nisi ut diligentius procederet.* Addimus, ejusmodi quæstiones non Philosophis modo, sed & Theologis esse apprime necessarias. Quis enim de virtutibus, & vitiis apte poterit disputare, quin teneat illarum definitiones, noveritque discrimen inter voluntarium, & involuntarium, atque in doctrina de habitibus sit plane versatus?

(2) Lib. 2. adv. hær. c. 47. *Quid possumus*, inquit, *exponere de Oceani accessu, & recessu?.... Vel quid dicere possumus, quomodo pluviæ, & coruscationes, & tonitrua, &, collectiones nubium, & nebulæ, & ventorum emissiones, & similia his efficiuntur; annunciare quoque & thesauros nivium, & grandinis, & eorum quæ his proxima sunt: quæ hæc autem nubium præparatio, aut qui status nebulæ; quæ autem causa est, per quam crescit Luna, & decrescit; aut quæ causa aquarum distantiæ, & metallorum, & lapidum, & his similium: in his omnibus nos quidem loquaces erimus, requirentes causas eorum.*

(3) L. 3. Inst. c. 3. sic scribens: *Causas naturalium rerum disquirere, aut scire velle, Sol utrumque tantus, quantus videtur, an multis partibus major sit, quam omnis hæc terra: item Luna globosane sit, an concava, & stellæ utrumne adhæreant Cœlo, an per aerem libero cursu ferantur: cœlum ipsum qua magnitudine, qua materia constet; utrum quietum sit, & immobile, an incredibili velocitate volvatur: quanta sit terræ crassitudo, aut quibus fundamentis librata, & suspensa sit. Hæc, inquam, disputando, & conjecturis velle comprehendere, tale profecto est, quale si disserere velimus, qualem esse arbitramur cujuspiam remotissimæ gentis Urbem, quam numquam vidimus, cujusque nihil aliud, quam nomen audivimus.*

(4) Hom. 1. in Hexaem. n. 3. *Geometria*, ait, *rationes arithmeticæ,*

tiones reputarunt, si cum iis, quæ ad vitam recte instituendam ducunt, conferantur; comperientque, iis magnam earum quæstionum contineri partem, quibus ipsi mirifice delectantur. *De motu Cœli* (inquit (1) S. Augustinus) *nonnulli Fratres quæstionem movent..... Quibus respondeo, multum subtilibus, & laboriosis rationibus ista perquiri.... quibus inculcandis, atque tractandis, nec mihi tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam, & Sanctæ Ecclesiæ utilitatem cupimus informari.* Hujus generis quæstionum (2) pleni sunt libri recentium Philosophorum (3). Thomas autem, qui ad salutem, & Sanctæ Ecclesiæ utilitatem suos informare Lectores studebat, illas vel omnino prætermisit, vel leviter attigit; contra vero diligenter eas tractavit, quas ad Religionem conferre posse animadvertit (4).

---

inquisitiones de solidis, astronomia adeo decantata negotiosissima vanitas, ad qualem finem divertunt? Et n. 4. *Profecto isthæc mundanæ sapientiæ copia eis aliquando condemnationem accerset graviorem; quippe qui adeo acuti in vanis rebus cernentes, suapte sponte in intelligenda veritate occæcati sunt. Qui porro spatia dimetiuntur stellarum, assignantque quænam semper effulgeant, & quænam septemtrionales sint, & qui sitas circa austrinum polum stellas illic quidem habitantibus conspicuas, nobis vero ignotas describunt, & latitudinem aquilonarem, ac zodiacum circulum innumeris spatiis dividunt, & astrorum conversiones, stabilitatem, declinationes, eorumque omnium ad prima loca motum diligenter observant, & quanto tempore unumquodque siderum errantium circuitum suum expleat: ii unam ex omnibus artem non invenere, qua agnoscerent Deum esse universi opificem.* Aptissime hæc verba quadrant in hujus ævi Philosophos, quos *spiritus fortes* vocant, qui cum veritatem è Democriti puteo se extraxisse glorientur, Deum naturæ auctorem ignorant.

(1) L. 2. de Gent. ad litt. c. 10.

(2) Lactantius loc. cit. „Qui naturalia, *inquit*, quæ sciri ab homi„ne non possunt, scire se putant, furiosi, dementesque sunt judi„candi."

(3) Heinecius Elem. Hist. Phil. § 6. *subtiliores speculationes tanto minus ad sapientiæ studium pertinere* putat *quanto minus conjunctæ sunt cum vera hominis felicitate.* Id autem non tam Scholasticos ferit, ut ipse ait ib. §. 100. quam juniores Philosophos, quid enim referunt ad veram hominis felicitatem tot tantæque de rebus præsertim physicis institutæ hypotheses fictis plerumque innixæ principiis?

(4) Si qui in Angelico Doctore reprehendunt tamquam inutiles, disputationes nonnullas quas ipse instituit, de Religione agens, propterea quod in vocum significatione illæ consistere videantur, adeant S. Basilium l. de Spiritu Santo ad Amphilochium c. 1. ita scribentem:

105. Negamus præterea, Thomam plus justo longiorem in dicendo esse. *Neoptolemus quidem apud Ennium* (inquit (1) Cicero) *philosophari sibi ait, necesse esse, sed paucis; nam omnino haud placere. Ego autem, Brute, necesse mihi quidem esse arbitror philosophari... sed non paucis, ut ille. Difficile enim est, in Philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque, aut omnia. Nam nec pauca nisi ex multis eligi possunt, nec qui pauca percipit non idem reliqua eodem studio persequetur.* Itaque Thomas non paucis quidem est philosophatus; nihilominus non longior, sed brevis est: nam ut idem Tulius ait (2): *Brevitas appellanda est, cum verbum nullum redundat, vel cum tantum verborum est, quantum necesse est.* Thomas autem nullum profert verbum, nullam sententiam, quæ ad rem de qua agit, non sint apprime necessaria (3).

106. Ad quintum negatur 1. majoris pars. Nam Thomæ oratio non solæcismos habet, non barbarismos, nec ipsis latinissimis hominibus est prorsus ingrata, inquit Hieronymus Vielmius (4). Quod ad alteram partem pertinet, concessa majori, negatur minor. Siquidem Thomas eloquentia non est usus, non quod copiose loqui nesciret; legerat quippe Opera Ciceronis, Cæsaris, Livii, Terentii, aliorumque Scriptorum optimæ latinitatis, quos sæpe citat (5); sed ut morem gereret eruditis illius sæculi, qui cum essent de veritate solliciti, eloquentiam negligebant (6). In hac

---

sententia, quæ vocem nullam ex iis, quæ in omni sermonis usu de Deo proferuntur, citra examem relinquendam putas.... Conari, quid in quaque sylaba reconditi sensus lateat, perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui vocationis nostræ scopum intelligunt. Nec vero quoniam minutæ, ut alicui fortasse videbuntur, quæstiones idcirco & negligendæ sunt: imo quoniam difficilis est inventu veritas, undique nobis est vestiganda.

(1) L. 2. Tuscul. (2) L. 2. de Orat.

(3) Vide S. Isidorum Pelusiotam l. 3. Epist. 57. ubi scribit: *Vera brevitas cum perspicuitate conjuncta non in argumentorum prætermissione, sed in earum rerum, quæ ad institutam materiam nihil opis conferunt, rejectione sita est.* Nihil autem est in operibus S. Thomæ, quæ ad institutam materiam plurimum non conferat.

(4) L. 1. de Doct. & Script. D. Thom. suamque sententiam confirmat testimoniis quorumdam latinissimorum hominum, Marci Antonii Natta, Jacobi Bruti Cluriensis, Ludovici Vives, Basilii Zanchii, Erasmi Roterodami.

(5) Præsertim in 2. 2. ubi de virtutibus moralibus agens, sæpissime Ciceronem laudat, ejusque recitat verba.

(6) Confer Sixtum Senensem Biblioth. San. l. 4. & Vielmium

autem sententia perstitit, quia noverat, veritatis quæsitorem plana, ac simplici oratione uti debere (1). Neque propterea à Ciceronis recessit monitis : nam licet is aliquando probaverit ornatum philosophandi genus, numquam tamen necessarium judicavit (2). Quare de S. Thoma illud ejusdem Ciceronis (3) dici potest : *Ora-*

---

loc. cit. *Ea tempestate*, inquit, *non expolire linguam, sed mentem, sed animam cum primis Doctores nitebantur ... Alii hac nostra ætate unum dumtaxat Ciceronem sua lectione dignantur. Et mirabimur, eum Thomam barbare, vel etiam sordide scribere locutulei isti contendunt, si nullo loco, nulloque numero habent* ? Addimus, Thomam non aliis quam verbis, & stylo sua tempestate acceptis eloqui debuisse, ne similiter redargueretur, ac Favorinus apud Gellium Noct. Attic. l. 1. c. 10. reprehendit adolescentem vetuste nimis loquentem : » Curius, *inquit*, & Fabritius, & Coruncanus antiquissimi vi» ri nostri, & his antiquiores Horatii illi Trigemini ... ætatis suæ ver» bis loquuti sunt. Tu autem perinde quasi cum matre Evandri nunc » loquare, sermone abhinc multis annis jam desito uteris : quod scire, » atque intelligere neminem vis quæ dicas.... Sed antiquitatem tibi pla» cere ais, quod honesta, & bona, & sobria, & modesta sit. Vi» ve ergo moribus præteritis, loquere verbis præsentibus. "

(1) Auctores hac in re Thomas habuit Ecclesiæ Patres non minus eruditione, quam doctrina, & eloquentia præstantissimos. Clemens Alex. Strom. 2. » Eos, *inquit*, qui hærent dictionibus, & » in eis sunt occupati, res ipsæ effugiunt. " Lactantius l. 3. Inst. c. 3. » Deus hanc voluit rei esse naturam, ut simplex, & nuda veritas » esset luculentior, quia satis ornata per se est, ideoque ornamentis » extrinsecus additis fucata corrumpitur. " S. Augustinus l. 4. de Doct. Christ. c. 11. » Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis » verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si ape» rire quod volumus, non potest ; aut quid obest lignea, si hoc po» test ; quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est ? " S. Petrus Chrysologus ser. 18. » Qui maturitatis fructum quærit, despi» cit amœna camporum. Violæ, rosæ, lilia, narcisus, grati flores, » sed gratior panis. Quod dat odor naribus, hoc est auribus sermo» nis ornatus. Quod dat panis vitæ, hoc scientia dat saluti. Sepo» nenda est ergo eloquentiæ voluptas, quando scientiæ depo.citur for» titudo. "

(2) Nam l. 1. de fin. scribit : » A Philosopho, si adferat elo» quentiam, non asperner ; si non habeat, non admodum flagitem. " & l. 3. de fin. » Omne quod de re bona dilucide dicitur, mihi præ» clare dici videtur : istiusmodi autem res dicere ornate velle, pue» rile est : plane autem, & perspicue expedire posse (*ut illas ex» pedit S. Thomas*) docti, & intelligentis viri. "

(3) L. 1. de fin.

tio me istius Philosophi non offendit : nam & complectitur verbis quod vult : & dicit plane quod intelligam.

107. Similiter nec à Cicerone Thomas dissentit, cum verbis utitur minus quidem latinis, sed in Philosophia usu receptis. Est enim illud à Cicerone præclare dictum (1), *in omni re, cujus usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse* (2).

108. Ad sextum dicimus primum, falsum esse ex recentium aliquorum Philosophorum sententia (3), nullum posse in Philosophia naturali sine scientiis mathematicis fieri progressum ; putant hi siquidem, melius de illa esse sperandum, si mens *se ad experientiam, & ad particularia de integro applicet* (4). Deinde negamus, Angelicum Doctorem fuisse scientiarum Mathematicarum minus peritum. Nam non modo disseruit de lineis (5), de superficiebus (6), de angulis sive rectis (7), sive acutis, sive obtusis (8), sive internis, sive externis (9) ; de triangulis æquilateribus, isoscelibus, scalenis, (10) ; de figuris quadrilateribus (11) ; de figuris similibus (12) ; de quadratura superficiei planæ (13) ; de circulo, & ejus proprietatibus (14) ; de circuli qua-

---

(1) L. 3. de fin.

(2) Idem Cicero l. 1. Acad. » Dabitis, *inquit*, profecto, ut in » rebus inusitatis, quod Græci ipsi faciunt, à quibus hæc jamdiu » tractantur, utamur verbis interdum inauditis. " S. Hieron. in c. 1. Epist. ad Galat. » Si, *inquit*, hi qui disertos sæculi legere consue- » verunt, cœperint nobis de novitate, & utilitate sermonis illudere, » mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæstionibus Philosophiæ » prænotantur, & videant, quanta ibi necessitate compulsus sit, tanta » verborum portenta proferre, quæ numquam latini hominis auris au- » divit. "

(3) Verulamium consule Novi Organi Aphor. 96. cujus judicium Philosophi juniores non aspernabuntur. *Naturalis Philosophia* ait, *adhuc sincera non invenitur, sed infecta, & corrupta, in Aristotelis schola per Logicam ; in Platonis schola per Theologiam naturalem ; in secunda schola Platonis, Procli, & aliorum, per Mathematicam ; quæ Philosophiam naturalem terminare, non generare, aut procreare debet. At ex Philosophia, naturali pura, & permixta, meliora speranda sunt.*

(4) Verul. ib. Aphor. 97. (5) 1. de Cœlo lect. 2.

(6) Ib. (7) 2. Phys. lect. 10. (8) 10. Metaph. lect. 1.

(9) 2. Poster. lect. 1. (10) 1. Poster. lect. 10.

(11) 2. de an. lect. 3. (12) De Mem. & rem. lect. 7.

(13) 3. Metaph. lect. 4. (14) 1. de Cæl. lect. 8.

dratura (1); de lineis rationalibus, & irrationalibus (2); de cubo (3), de pyramide (4), de cylindro (5), de eclipsi (6); de radice, & numero quadrato, & cubico (7); de proportionibus (8) &c. Neque modo plura demostravit geometrica theoremata (9), ut illud de diagonali incommensurabili lateri quadrati (10); verum etiam omnium pene disciplinarum mathematicarum, quas in puras, & medias, sive physico mathematicas dividit (11), principia tradidit, prout rerum, de quibus agendum ipsi erat, ratio postulabat. Quare Staticæ (12), Hydrostaticæ (13), Opticæ (14), Catoptricæ (15), Perspectivæ (16) Astronomiæ (17), Geographiæ (18), Musicæ (19) &c. fundamenta posuit. Hæc autem cum sint, quis rudem in scientiis mathematicis Thomam dixerit? Si autem de illis non scripsit copiosius, hoc ideo fuit, quia de scientiis quæ erudiunt ad salutem, præcipua ipsi cura erat (20). *An ille* (utar verbis Cicero-

---

(1) 1. Phys. lect. 2. (2) 1. Poster. lect. 18.
(3) 2. de Cæl. lect. 5. (4) Ib. (5) ib. lect. 28.
(6) Ib. lect. 6. (7) 3. Phys. lect. 6.
(8) 5. Metaph. lect. 17. (9) 3. Metaph. lect. 6. & 9. Metaph. lect. 10.
(10) 1. Metaph. lect. 3. (11) 6. Ethic lect. 7.
(12) 2. de Cæl. lect. 27. (13) ib. lect. 24.
(14) 2. de an. lect. 15. (15) De sen. & sens. lect. 4.
(16) 3. Meteor. lect. 6. (17) in ll. de Cælo.
(18) 2. de Cæl. lect. 28. (19) 5. Metaph. lect. 8.
(20) Mabillonius de Studiis Monast. T. 1. p. 2. c. 9. n. 4. sic Monachum instruit: » Quantum ad physica experimenta, non» nulla ex principalibus supponi poterunt, quæ jam ad praxim re» dacta leguntur. Verumtamen non expedit, ut Monachi hisce cu» riositatum generibus operam navent, tametsi nonnihil utilitatis in» de obvenire queat. Hanc etiam ob causam incongruum ipsis credi» mus Matheseos studium; inde namque nimium distrahuntur, & li» bera spiritui facultas surripitur ad iis vacandum, quæ sunt Monas» ticæ conversationi magis consentanea." Idipsum docuerat S. Isidorus Pelusiota l. 2. Epist. 100. » Quid ad virtutem allaturum est, si » quis Solis cursum, & Lunæ orbem, & stellarum situm, & terræ » figuram, ac spatium inquirendum suscipiat, aliaque omnia, quæ » homines suo judicio sapientes & eruditi, curiose indagantes, à ve» ritate quidem & vera sapientia exciderunt, in nugis autem, & ser» monum ineptiis vitam consumpserunt. Vide ejusdem ib. Epist. 278. » & S. Basilium Hom. 12. in princ. Prov. n. 6. Confer etiam S. Hieronymum in c. 1. Epist. ad Tit. ubi explicans verba Apostoli, *secundum fidem electorum Dei, & cognitionem veritatis, quæ est*

nis (1)) *se in Geometria, numeris, astris contereret, quæ etsi essent vera, nihil afferrent, quo jucundius, id est, quo melius viveremus?*

109. Ad septimum, conc. ant. negatur consequentia. Nam Doctor, ut S. Hieronymus (2) ait, talis esse debet, *non ut à nemine reprehendatur; reprehenduntur quippe & Apostoli, & Evangelistæ ab hæreticis, & gentibus; sed quod nihil reprehensione dignum dicat.* Thomam vero nihil reprehensione dignum dixisse, pronunciat Clemens VIII. Rom. Pontifex (3). Et licet aliquando Thomæ doctrina aliquorum fuerit accusata errorum; ab hac tamen nota non modo Academia Parisiensis (4), sed Pontifices Maximi (5), Œcumenica Concilia (6), & Ecclesia universa illam absolutissime vindicarunt.

---

juxta pietatem, ait: » Geometria, & Arithmetica, & Musica habent in sua scientia veritatem, sed non est scientia illa pietatis. Scientia pietatis est nosse legem, intelligere Prophetas, Evangelio credere, Apostolos non ignorare." Denique vide quæ diximus ex S. Thoma not. 3. pag. 2. Hæc autem non ita sunt intelligenda, ut Mathematicarum utilitatem, non modo ad Philosophiam, verum etiam ad ipsam Theologiam excludant, sed ut ne Ecclesiastici, ac Religiosi viri nimiam operam, & studium illis collocent. Vide S. Ambrosium l. 6. Hexam. c. 2. n. 8. & S. August. l. 1. Retract. c. 2. n. 2. Confer etiam S. Thomam Opusc. 19. con. impugnan. Relig. c. 11. ubi probans, Religiosos viros laudabiliter vacare posse studiis sæcularium litterarum, inducit verba Glossæ ex S. Hieronymo desumptæ Comment. in Daniel. c. 1. ita scribente. » Qui de mensa Regis, & de vino potus ejus non vult comedere, ne polluatur, utique si sciret, ipsam doctrinam Babyloniorum esse peccatum, numquam acquiesceret discere quod non licebat. Discutiunt autem non ut sequantur, sed ut judicent, atque convincant. Quomodo si quispiam adversus mathematicos velit scribere imperitus μαθήματος, risui pateat, & adversum philosophos disputans, si ignoret dogmata philosophorum."

(1) L. 1. de fin.

(2) In c. 2. Epist. ad Tit.

(3) Const. *Sicut Angeli*, T. 5. Bull. Ord. Præd. pag. 612. Neapolitanis Civibus inscripta: » Doctrinæ quidem (Thomæ) testis est » ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore, in omni » fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate » SINE ULLO PRORSUS ERRORE CONSCRIPSIT."

(4) Vide Rubeum Diss. 29. de Doct. & Script. D. Thomæ.

(5) Vide Bull. Ord. Præd. T. 8. p. 279. sqq.

(6) Vide Orat. Joan. Gallii habitam in Conc. Trid. Tom. 14. Conc. edit. Paris. an. 1672. pag. 1565.

ARTICULUS IX.

Utrum in tradendis disciplinis Philosophicis conveniens sit ordo à S. Thoma constitutus.

110. In tradenda Philosophia, docet Angelicus (1) ita esse procedendum, *ut primo pueri Logicalibus instruantur. Secundo in Mathematicis. Tertio in naturalibus. Quarto in Moralibus. Quinto in Sapientialibus, & Divinis.* Hunc ordinem non plene probat Vossius (2), arbitraturque, à Mathematicis incipiendum.

111. Videtur autem ita dicendum I. quia Plato in foribus Academiæ inscribi fecisse dicitur : οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *nemo Geometriæ expers accedat.* Putavit ergo, Geometriam reliquis Philosophiæ partibus præmitti debere.

112. II. Aristoteles in Logica frequenter adhibet exempla ex Mathematicis desumpta. Requirit ergo auditores Logicæ jam illis scientiis eruditos, alioquin ipsis exempla poneret, quæ minime intelligerent.

113. III. In quâlibet disciplina oportet incipere à notioribus. Sed sensibilia, de quibus in Physica agitur, sunt notiora intelligibilibus. Igitur oportet à Physica incipere.

114. IV. Metaphysica *habet rationem capitis inter alias scientias* : quippe *ab ea omnes aliæ sua principia supponunt* (3). Est igitur ceteris præmitenda.

115. V. Ad acquirendam sapientiam maxime conducunt mores boni ; scriptum est (4) enim : *In malevolam animam non introibit sapientia.* Oportet igitur incipere ab Ethica.

Prop. *Congruus addiscendæ Philosophiæ ordo est, ut* 1. *Logica* ; 2. *Mathematicæ puræ* ; 3. *Physica, & Physico-matematicæ* ; 4. *Ethica* ; 5. *Methaphysica tradantur.*

116. Prob. 1. p. Ut quis recte Philosophiam addiscat, principio apprehendere debet modum tenendum in universa Philosophia, alioqui nullus erit progresus. Atqui Logica hunc modum docet (5) ; ordinat enim conceptus mentis, ut dictum

(1) 6. Ethic. lect. 7. (2) De nat art. c. 3.
(3) S. Th. 6. Eth. lect. 6. (4) Sap. 1. v. 4.
(5) Vide S. Thom. in l. de Caus. lect. 1.

est (1); quæ quidem ordinatio communis est universæ Philosophiæ (2). Congruit ergo, ut à Logica incipiatur.

117. Prob. 2. p. Postquam adolescentes Logicam didicerunt, iis erudiendi sunt, quæ eorum non excedunt captum, eosque præparant ad physicas disciplinas. Atqui mathematicæ puræ (3) adolescentum captum non excedunt; non enim trascendunt imaginationem, cum sint de numeris, triangulis, circulis, quadratis &c. quæ sub imaginatione cadunt: hæc autem adolescentes, in quibus viget imaginandi vis, facile capiunt (4). Insuper scientiis pure mathematicis *quasi quibusdam viis præparatur animus ad physicas disciplinas* (5); nam *principia mathematica sunt applicabilia naturalibus* (6). Congruit ergo, ut adolescentes post Logicam, & ante Physicam Mathematicas puras addiscant (7).

118. Prob. 3. p. Tam Physica, quam Physico-mathematicæ nituntur principiis Mathematicæ puræ, ut dictum est (8). Con-

---

(1) §. 13 (2) Ad rem S. Augustinus l. 2. de Ord. c. 13. n. 38. scribit: » Quando transiret (ratio) ad alia fabricanda, nisi » ipsa sua prius quædam machinamenta, & instrumenta distingueret, » notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam » Dialecticam vocant?"

(3) Dicuntur *puræ mathematicæ, quæ determinant de quantitatibus absolute, ut Geometria de magnitudine, Arithmetica de numero.* Physico-mathematicæ sunt, *quæ principia mathematica ad res naturales applicant, ut Musica, & Astrologia.* S. Thom. 6. Ethic. lect. 7. & l. de Caus. lect. 1.

(4) Idem 1. Eth. lect. 7.

(5) Idem Opusc. 70. q. 6. a. 1. ad 3. & ar. 3. ad 6.

(6) Idem ibid. (7) Plato Dial. 7. de Republ. » Illa, *inquit*, » quæ ad Arithmeticam, & Geometriam pertinent, omnemque doc» trinam eam, quæ Dialecticam antecedere debet, pueris tradenda » sunt. Vide Ficinum in Epimenidem, ubi observat, Platonem sæpe Dialecticæ nomine Metaphysicam intelligere. Quo sensu Clemens Alex. Strom. 1. pag. 354. ait, *Dialecticam transcendere ad præstantissimam omnium essentiam, & audere etiam ultra progredi ad Deum universorum.*

(8) §. 117. Vide S. Thom. 1. de Cæl. lect. 3. » Scientia, *in*» *quit*, quæ se habet ex additione ad aliam, utitur principiis ejus » in demonstrando, sicut Geometra utitur principiis Arithmeticæ ... » Similiter autem corpus naturale addit materiam sensibilem supra » magnitudinem mathematicam; & ideo non est inconveniens, si Na» turalis in suis demonstrationibus utatur principiis mathematicis." Et 2. 2. q. 9. a. 2. ad 3. » Quia id quod est formale, potius est,

venit ergo, ut adolescentes post Mathematicas puras addiscant Physicam, & Physico-mathematicas.

119. Prob. 4. p. Moralia & experientiam requirunt, & animum à passionibus liberum: nam scientiæ moralis finis non est sola cognitio, ad quam forte passionum sectatores pervenire possent, sed sunt virtutum actus, ad quos non perveniunt qui passiones sectantur (1). Atqui adolescentes ob ætatis defectum sunt inexperti operationum humanæ vitæ, & ob sanguinis fervorem á passionibus ut plurimum minime vacant. Congruit ergo ut Moralia eis tradantur, cum sunt ætatis maturioris.

120. Prob. postrema pars. Res divinæ, aliæque à sensibus valde remotæ, de quibus, ut dictum est (2) agitur in Metaphysica, *requirunt validum intellectum* (3). Atqui *juvenes ad illa, quæ excedunt sensum, & imaginationem, non attingunt mente, quia nondum habent intellectum exercitatum ad tales considerationes; tum propter parvitatem temporis, tum propter varias mutationes naturæ* (4). Convenit ergo, ut Metaphysica postremo loco tradatur (5).

121. Ad primum conc. ant. neg. cons. Nam Plato sublimiori Philosophiæ intentus, ut ejus Dialogi ostendunt, minus erat sollicitus de præparandis adolescentibus per Logicam, & Geometriam (6); & idcirco neminem Geometriæ expertem in

---

» ideo illæ scientiæ, quæ ex principiis mathematicis concludunt circa materiam naturalem, magis cum mathematicis connumerantur, » utpote eis similiores, licet quantum ad materiam magis conveniant » cum naturali."

(1) S. Thom. 1. Eth. lect. 3. & 6. Eth. lect. 7.

(2) §. 13. (3) S. Thom. 6. Ethic lect. 7.

(4) Idem ib. (5) Quod ipsum nomen indicat: Metaphysica enim appellata est non solum quasi post Physicam, sed quod ordine cognitionis omnium postrema sit, & nonnisi μετὰ τὰ τῶν Φυσικῶν sit discenda, ut priores illæ scientiæ sint veluti quædam initiationes, hæc vero perfecta contineat mysteria. Vide Clem. Alex. Strom. 1. pag. 354.

(6) Quod olim Ægyptii in more habebant, ut initiatis tantum sua mysteria impertirentur; qua de re videri potest Clem. Alex. Strom. 5. p. 566. Id Plato est imitatus. Certe Plato Pythagoram sequutus, mysteria plura libris suis aspersit à paucis comprehensa, rationibus arithmeticis, & proportionibus obvoluta. In Timæo animam ex numeris constare ait; elementa vero ex figuris. Igni pyramidem, aëri octaedron, aquæ icosaëdron, terræ cubum tribuit. Vide S. Thom. 1. Metap. lect. 10. Quare nil mirum si Geometriæ expertes ab Academia excluderet.

Academiam recipiebat. Ceterum idem Plato, Logicam artibus omnibus præferendam esse docet *in Philebo* (1), quod sit facultas disserendi, quæ artibus omnibus communis est.

122. Ad secundum dist. ant. & tamen exempla illa sunt ex facilioribus, & supponi possunt ut demonstrata, conc. aliter, nego. Ut Cicero agens de parte Logicæ, quæ *Topica* dicitur: *exempla*, inquit (2), *posui ex jure civili*; ita Aristoteles in parte Logicæ, quæ *Demonstrativa* dicitur, ponere potuit exempla geometrica. Neque propterea auditoribus exempla posuit, quæ non intelligerent; utitur enim quibusdam geometricis propositionibus facilioribus, quæ supponi possunt demonstratæ, cujusmodi est illa de angulis triangulorum æqualibus duobus rectis. Quare autem hisce exemplis usus fuerit, rationem dat S. Thomas (3), quia videlicet *in scientiis demonstrativis principaliores sunt mathematicæ propter certissimum modum demonstrationis.*

123. Ad tertium dist. maj. oportet incipere à notioribus intellectui, conc. à notioribus sensui, nego. Menti humanæ, cum sit immaterialis, notiora sunt intelligibilia, quæ immaterialia sunt; ideoque sensibilia non aliter cognoscit, quam abstrahendo, ut infra dicemus. Præterea, ut advertit S. Thomas (4), *necesse est, in addiscendo non incipere ab eo quod est facilius, sed ab eo à cujus cognitione cognitio sequentium dependet: & hac positione oportet in addiscendo à Logica incipere.*

124. Ad quartum neg. conseq. Nam quod Metaphysica caput sit inter scientias, tantum efficit, ut dignitate sit prima. Et quamvis principia aliarum scientiarum, ut probari possint contra negantes, à Metaphysica pendeant; nihilominus quælibet scientia habet propria principia, ex quibus procedit ad demonstrandum (5).

125. Ad quintum neg. cons. Neque enim ut quis bonis moribus sit instructus, necesse est, ut calleat Ethicæ scientiam. Addi potest, in Philosophia relata ad finem, Ethicam præcedere (6).

---

(1) Ubi Socratem inducit Protarcho dicentem: »Nos disserendi »facultas ipsa facere non patiatur, si quam aliam ipsi præferemus.« Et in *Phædro* idem Socrates inducitur inquiens: »Magnæ quælibet »artes exercitatione dialectica indigent.«

(2) Top. 1. (3) 1. Poster. lect. 1.

(4) Opusc. 70. q. 6. a. 1. ad 3. (5) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 17. (6) Vide S. August. l. 8. de Civ. c. 8.

ARTICULUS X.

Utrum in Philosophicis disciplinis sit una, & eadem certitudo.

126. Certitudo quæ est *firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile* (1), triplex est, 1. dicitur *mathematica*, sive *metaphysica*; estque de illis rebus, quas constat ita esse, ut nullo modo possint aliter esse, ut bis duo esse quatuor: totum essse majus sua parte: idem non posse simul esse, & non esse. Dicitur *mathematica*, quia in mathematicis potissimum reperitur. Dicitur etiam *methaphysica*, quia ea de quibus in Metaphysica agitur, seipsis certissima sunt, ut infra dicemus. 2. Vocatur *physica*, atque de illis est rebus, quas constat ita esse ex naturæ legibus nobis cognitis, quamvis absolute possint aliter esse, ut eclipsem data hora esse futuram. 3. Appelliatur *moralis*, & de iis rebus est, de quibus nemo dubitare prudens potest, ut Antipodas esse.

127. Videtur autem in disciplinis philosophicis una eademque esse certitudo. I. Nam Philosophia in qualibet parte scientia est. Sed ad scientiæ rationem requiritur maxima certitudo. Ergo.

128. II. Unaquæque pars Philosophiæ habet propria principia, adeoque proprias demonstrationes, ut dictum est (2). Sed demonstrationes adjunctam habent omnimodam certitudinem, alioqui scientiam non efficerent. Ergo.

Prop. *Ratio omnino certa, quæ est in puris Mathematicis, quærenda non est in omnibus rebus, de quibus agitur in ceteris disciplinis philosophicis.*

129. Prob. In unaquaque re tantum certitudinis quæri debet, quantum ipsius rei natura patitur (3). Atqui naturæ re-

(1) S. Thom. in 3. d. 26. q. 2. a. 4.

(2) §. 124. (3) „Modus manifestandi veritatem (inquit S. „Thomas 1. Ethic. lect. 3.) in qualibet scientia debet esse conve„niens ei, quod subjicitur sicut materia in illa scientia ... & ideo „omnimoda certitudo non potest inveniri, nec est requirenda si„militer in omnibus sermonibus, quibus de aliqua re ratiocinamur. „Sicut neque etiam in his quæ fiunt per artem, est similis modus operandi in omnibus, sed unusquisque artifex operatur ex materia se„cundum modum ei convenientem, aliter quidem ex terra, aliter ex „luto, aliter ex ferro."

rum, de quibus sunt philosophicæ disciplinæ, non patiuntur in illis esse omnimodam certitudinem, ut in puris mathematicis. Et quod ad Logicam pertinet, res circa quas Logica versatur, sunt mentis nostræ conceptus, & similiter voces, quibus conceptus exprimuntur, ut supra diximus (1). Conceptus autem illi magnam præseferunt difficultatem (2); quare S. Augustinus (3): *animus*, ait, *ad habendum seipsum augustus est.* Voces vero, cum sint arbitrariæ (4), variabiles sunt. Nemo igitur in omni re, de qua Logica disserit, rationes omnino certas quærere debet.

130. Pari modo res physicæ variabiles sunt, utpote motui subjectæ. Nec igitur in illis quærenda est omnimoda certitudo: nam ut advertit S. Thomas (5), *quæritur in eis, non quid semper sit, sed quid sit ut in pluribus* (6).

131. Idem dicendum de Physico-mathematicis; hæ siquidem, ut dictum est (7), principia mathematica applicant rebus physicis, quæ nequeunt suscipere omnimodam certitudinem.

132. Jam vero Ethica est de operibus virtutum, *circa quæ*, (si prima principia practica excipias, & propositiones ex illis immediate illatas (8), aut à Deo revelatas) *non habetur certa sententia hominum, sed magna differentia est in hoc, quod homines de iis judicant. Et in hoc multiplex error contingit. Nam quædam quæ à quibusdam reputantur justa, & honesta, à quibusdam reputantur injusta, & inhonesta, secundum differentiam temporum, & locorum, & personarum* (9). Quia ergo *materia moralis*, ut recte concludit S. Thomas (10), *est varia, & difformis, non habens omnimodam certitudinem, oportet* (sæpe) *ostendere veritatem verisimiliter* (11).

---

(1) §. 13. (2) Vide S. Thom. Opusc. 70. q. 6. a. 1. ad 3.
(3) L. 10. Confess. c. 9.
(4) Vide S. Aug. l. 2. de Doct. Christ. c. 2.
(5) 2. Metaph. lect. 5.
(6) Idem S. Thomas 1. Ethic. lect. 3. » Ad hominem bene instructum pertinet, ut tantum certitudinis quærat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur. Non enim potest esse tanta certitudo in materia variabili, & contingenti, sicut in materia necessaria, semper eodem modo se habente. Et ideo auditor bene disciplinatus non debet majorem certitudinem requirere, nec minori esse contentus, quam sit conveniens rei de qua agitur. "
(7) Vide not. 3. pag. 119. (8) Vide S. Thom. 1. 2. q. 100. a. 3.
(9) S. Thom. 1. Ethic. lect. 3. (10) Ibid.
(11) Idipsum Angelicus repetit. 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3. » Di-

133. Porro Metaphysica secundum se quidem certissima est (1), cum sit de rebus immaterialibus, maximeque universalibus, ut dictum est (2); ideoque prima est ordine dignitatis ut supra diximus (3): quo autem scientiæ sunt dignitate priores, eo sunt certiores, quia pauciora requirunt ad proprii subjecti considerationem (4). Nihilominus quia maxime universalia sunt maxime difficilia; cognoscuntur enim per ideas confusas (5); immaterialia vero à nobis non cognoscuntur ut sunt in seipsis (6): evenit, ut neque omnia de quibus Metaphysica agit, cognosci possint per rationes omnino certas.

134. Remanet ergo, ut omnimoda certitudo quærenda unice sit in puris Mathematicis (7), quæ, ut Cicero ait (8), *vim afferunt in dicendo* (9). Hæ siquidem, ut advertit S. Thomas (10), *manifestius principiis per se notis utuntur, omnes suas demonstrationes ad hæc principia resolventes.*

135. Ad primum dist. maj. Philosophia in qualibet parte scientia est, cum vere demonstrat, conc. cum utitur argu-

---

» cendum, *inquit*, quod non est eadem certitudo quærenda in om-
» nibus, ut in 1. Ethic. dicitur: unde in rebus contingentibus, si-
» cut sunt naturalia, & res humanæ, sufficit talis certitudo, ut ali-
» quid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucio-
» ribus. "

(1) Vide S. Thom. 1. Metaph. lect. 2.

(2) §. 13. (3) §. 124. (4) S. Thom. loc. cit.

(5) Idem ib. (6) Vide not. sq.

(7) S. Thomas 2. Metaph. lect. 5. » Certa ratio, sicut est in Ma-
» thematicis, non debet requiri in omnibus rebus, de quibus sunt
» scientiæ: sed debet solum requiri in his quæ non habent materiam.
» Ea enim quæ habent materiam, subjecta sunt motui, & variatio-
» ni; & ideo non potest in omnibus omnimoda certitudo haberi. Quæ-
» ritur enim in eis, non quid semper sit, & ex necessitate, sed quid
» sit ut in pluribus. Immaterialia vero secundum seipsa sunt certissi-
» ma, quia sunt immobilia. Sed illa quæ in sui natura sunt imma-
» terialia, non sunt certa nobis propter defectum intellectus nostri...
» hujusmodi autem sunt substantiæ separatæ. Sed Mathematica sunt
» abstracta à materia, & tamen non sunt excedentia intellectum nos-
» trum; & ideo in eis est requirenda certissima ratio. "

(8) L. 4. Acad.

(9) Μαθηματικὴ græce, *disciplina* latine dicitur, eamque Tertull. l. de an. c. 23. *discentiam*, & Cassiodorus de artibus, & disciplinis liberalium litter. c. 3. *doctrinalem* vocant. Sic autem in specie dici videtur ob certitudinem demonstrationum.

(10) 4. Metaph. lect.

mentis probabilibus, nego. Cum Philosophia in qualibet parte aliquas demonstrationes conficiat ex principiis per se notis; in qualibet parte scientia est: nam scientia causatur etiam per unicam demonstrationem (1). In iis ergo, in quibus philosophicæ disciplinæ vere demonstrant, habent rationem scientiæ, & sunt omnino certæ; in reliquis, in quibus procedunt per argumenta probabilia, sicut à ratione scientiæ, ita à certitudine recedunt (2). Et per hæc patet responsio ad secundum.

QUÆSTIO II.

De Logica generatim.

136. Quia, ut diximus (3), congruus addiscendæ Philosophiæ ordo postulat, ut à Logica incipiatur, agredimur ab ipsa in genere. Quæremus autem 1. de existentia artis Logicæ. 2. de necessitate. 3. de subjecto. 4. de divisione. 5. an habeat rationem scientiæ. 6. cujusmodi scientia sit. Hanc quæstionem recentiores Philosophi inutilem reputant (4), sed immerito; quis enim disserere de re quapiam potest, cujus naturam, partesque, ac proprietates ignoret?

---

(1) S. Thom. q. 1. de virt. a. 9. ad 11. *Quanto actio agentis est efficacior, tanto velocius inducit formam: & ideo videmus in intellectualibus, quod per unam demonstrationem quæ est efficax, causatur in nobis scientia: opinio autem licet sit minor scientia, non causatur in nobis per unum syllogismum dialecticum, sed requiruntur plures propter eorum debilitatem.*

(2) Nihil prohibet, quominus ejusdem scientiæ sint aliqui actus secundarii, & imperfecti, per quos recedat à ratione scientiæ; quemadmodum nihil prohibet, quominus ex eodem semine, ex quo generari potest animal perfectum, generetur aliquando animal imperfectum. Hinc S. Thomas 1. Poster. lect. 21. docet, scientias non solum habere proprias demonstrationes de veritatibus certis, sed etiam proprias disputationes de rebus probabilibus. Hoc est autem discrimen inter scientias pure mathematicas, & reliquas partes Philosophiæ, quod hæ aliquas tantum efficiunt demonstrationes ex principiis per se notis, illæ semper demonstrant ex iisdem principiis.

(3) §. 116. (4) Vide Auct. Artis cogitandi Dissert. 1.

ARTICULUS I.

Utrum præter Logicam naturalem detur Logica artificialis.

137. Logicæ naturalis nomine intelligitur insita hominibus ratiocinandi vis. Appellatione autem Logicæ artificialis significatur ars superaddita ad recte ratiocinandum. Videtur autem hæc ars non dari (1).

138. I. Quia mens natura duce dirigitur, & quandoque perfectius in illis, qui artis Logicæ præcepta ignorant. Quare S. Augustinus (2): »Facilius, *inquit*, homines eas res as»sequuntur, propter quas assequendas ista (*Logicæ præcepta*) »dicuntur, quam talium præceptorum nodosissimas, & spino»sissimas disciplinas.“

139. II. Naturalia non egent arte, ut fiant. Sed ratiocinari est homini naturale. Ergo.

140. III. Non est putandum, Deum naturæ auctorem denegasse homini quod erat necessarium ad bene ratiocinandum; ratiocinatio enim est præcipua hominis operatio. Nulla est igitur necessitas artis Logicæ.

---

(1) Seneca Epist. 89. »Epicurei, *inquit*, Rationalem remove»runt. Deinde cum ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa »sub specie veri latentia coarguere; ipsi quoque locum, quem de ju»dicio, & regula appellant (*id est Canonicam, seu de Criterio*), alio »nomine Rationalem induxerunt: sed eam accessionem esse naturalis »partis existimant.“ Idem de Epicureis judicium tulit Empiricus l. 1. adv. log. Licet vero Gassendus Animadv. in Epicuri Philos. pag. 115. putet, Epicurum rejecisse Stoicorum Dialecticam; tamen Cicero l. 1. de fin. »In altera, *inquit*, Philosophiæ parte, quæ est quærendi, ac »disserendi quæ λογικη dicitur, Epicurus plane inermis ac nudus est, »tollit definitiones, nihil de dividendo ac partiendo docet: non quo»modo efficiatur concludaturque ratio, tradit: non qua via captio»sa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit.“ Et lib. 1. de fin. »Dum Dialecticam contemnit Epicurus, quæ una continet omnem »& perspiciendi quid in quaque re sit, scientiam, & judicandi »quale quidque sit, ac ratione, & via disputandi, ruit in dicen»do &c.“

(2) L. 2. de Doct. Christ. c. 37.

Propositio. *Præter Logicam naturalem existit Logica artificialis.*

141. Prob. ratione S. Thomæ (1). Homo arte, ac rationibus vivit; sic enim differt ab aliis animalibus, qui naturali instinctu ducuntur, sive ut Cicero loquitur (2), *magistra, ac duce natura.* Ergo ut actus humani faciliter, & ordinate, & sine errore perficiantur, necessariæ sunt aliquæ artes. *Ars* enim *est præceptio, quæ dat certam viam, rationemque faciendi* (3). Atqui mens non solum actus aliarum facultatum humanarum dirigere, & ordinare potest, sed etiam actus suos; est enim ei proprium, ut in seipsam reflectatur; intelligit quippe seipsam, & de suis actibus ratiocinari potest. Ergo sicut ad dirigendos, ordinandosque aliarum facultatum actus adinventæ sunt variæ artes; ita ad dirigendos, ordinandosque rationis actus aliqua ars requiritur. Hæc autem est ipsa Logica artificialis, ut dictum est (4). Existit ergo Logica artificialis præter Logicam naturalem.

142. Ad primum dist. ant. mens natura duce dirigitur in actibus imperfectis, conc. in actibus perfectis, nego. Ut in materia aliarum artium potest quis sine arte efficere aliquos actus faciliores, & imperfectos; ita in actibus rationis (5). Et quamvis

---

(1) 1. Poster. lect. 1. *Ad actus humanos faciliter, & ordinate perficiendos diversæ artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, quæ per determinata media, ad debitum finem actus humani perveniunt. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivæ parti, ut in se ipsam reflectatur. Nam intellectus intelligit seipsum, & similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur; adinventa est ars ædificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter, & ordinate hujus actus exercere potest; eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, & faciliter, & sine errore procedat. Et hæc est ars Logica, id est, rationalis scientia; quæ non solum rationalis est ex hoc quod est secundum rationem, sed etiam ex hoc quod est circa ipsum actum rationis sicut circa propriam materiam. Et ideo videtur esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, à quo omnes artes procedunt.*

(2) 1 de fin. (3) Cicero 1. ad Herem.

(4) §. 137. (5) Vide S. Thomam 9. Metaph. lect. 7. »In ip-

possit contingere, ut quis ignorans præcepta Logicæ aliquando recte ratiocinetur etiam in rebus difficilibus; quia tamen id casu evenit, idipsum ostendit artis necessitatem (1) Augustinus autem reprobat quidem multitudinem inutilium præceptorum (2), præsertim si referantur, ut est hæreticorum mos (3), ad impugnandam veritatem (4); verumtamen artis Logicæ necessitatem Augustinus agnoscit (5), & Cresconium Donatistam redarguit, quod Dialecticam reprehenderit (6).

143. Ad secundum dist. maj. naturalia non egent arte, ut absolute fiant, conc. ut rite & perfecte fiant, nego. Mens porro non ita est determinata ad ratiocinandum, ut semper eodem modo ratiocinetur. Quæ autem indiferentia sunt ad plures agendi modos, determinantur, & perficiuntur per artes (7).

144. Ad tertium neg. cons. Sat enim est, hominem à Deo accepisse potestatem acquirendi artem, qua recte possit ratiocinari.

» sa ratione, *ait*, naturaliter præinsunt quædam semina, & principia » scientiarum, virtute quorum potest homo aliqualiter exire in actum » scientiæ, antequam habeat habitum scientiæ; quo adepto operatur » perfecte, prius autem imperfecte. "

(1) Cicero in Bruto. » Opus est doctrina, sine qua, etiamsi bene aliquid dicatur, adjuvante natura; tamen id, quia fortuito fit, » semper paratum esse non potest. "

(2) Multa quidem Dialecticorum præcepta spinosiora, & inutilia sunt. » Ipse Aristoteles (inquit Cicero de Orat.) tradidit præ» cepta plurima disserendi, & postea qui Dialectici dicuntur, spino» siora multa pepererunt. " Et ad 2. Heren. " Dum metuunt (Dia» lectici) in dicendo ne quid ambiguum dicant, nomen suum pro» nunciare non possunt. "

(3) Vide Tertullianum de Præscript. c. 7. » Ipsæ, *inquit*, hæ» reses à Philosophia subornantur... Miserum Aristotelem, qui illis » (hæreticis) Dialecticam instituit, artificem struendi, & destruen» di versipellem in sententiis coactam, in conjecturis duram, in ar» gumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, &c. Quibus verbis Dialecticæ abusus in Fidei dogmatibus reprobatur.

(4) Quare idem S. Augustinus ib. subdit: » Magis in his om» nibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quam ex eis in dis» putando, aut judicando adjuvamur, nisi forte quod exercitatio» ra reddunt ingenia, si etiam maligniora, aut inflatiora non red» dant. " (5) L. 8. de Civ. c. 4.

(6) L. 1. con. Crescon. c. 13.

(7) Vide S. Thom. 7. Metaph. lect. 8.

ARTICULUS II.

Utrum ars Logica necessaria sit ad alias scientias comparandas.

145. Nulla videtur esse hujusmodi necessitas (1), I. quia Zeno Eleates primus fuisse dicitur artis Logicæ inventor (2). Sed ante Zenonem scientiæ fuerunt excultæ, ut dictum est (3). Ergo.

146. II. Quælibet scientia proprias demonstrationes habet, ut supra diximus (4). Ergo ut acquiratur non indiget Logica.

147. III. Scientiæ Mathematicæ certissimum habent demonstrandi modum, ut dictum est (5). Ergo non egent præsidio Logicæ.

148. IV. Logica acquiritur sine adjumento alterius Logicæ. Ergo & aliæ scientiæ sine Logica.

149. V. Plurimos homines ad abstrusiores scientias felicissimis conatibus olim contendisse, legimus, aut etiam vidimus, qui de rebus Logicis nihil unquam ante didicerant. Quare Plato (6) inducit quemdam puerum de geometricis ordinate interrogatum, incipiendo à principiis per se notis, qui ad singula quæsita respondit, tamquam si esset illius peritissimus disciplinæ (7). Ergo.

Propositio. I. *Ars Logica necessaria est ad comparandas scientias in statu, ut inquiunt, perfecto; II. non autem imperfecto.*

150. Statum perfectum scientiæ non hic accipimus absolute; diximus enim supra (8), Philosophiam esse in nobis valde imperfectam; sed comparative, cum scilicet plures tenemus propositiones scientiæ etiam remotas à principiis per se notis, ita ut ordinate, faciliter & sine errore possimus illas resolvere ad ea

(1) Ita Gassendus l. 2. Exerc. 1. adv. Aristot. ubi Epicurum sum sequutus, qui ut supra dictum est not. 1. pag. 126. in Logica fuit plane inermis, ac nudus, omnem Philosophiæ rationalis non modo necessitatem, verum etiam utilitatem sustulit ad alias scientias comparandas.

(2) Plato *in Parmenide* (3) §. 30. sqq.

(4) §. 124. (5) §. 134. (6) *in Menone.*

(7) Vide S. Aug. l. 12. de Trin. c. 15. & S. Thom. 1. Poster. lect. 3. (8) §. 6.

principia. Statum autem imperfectum scientiæ dicimus illum quem scientia in nobis habet, cum tenemus aliquas tantum propositiones faciles immediate conjunctas cum principiis per se notis.

151. Prob. igitur 1. p. Ut mens ordinate, faciliter, & sine errore in actu rationis procedat, requiritur ars Logica, ut dictum est (1). Atqui scientia in statu perfecto id exigit, ut est similiter dictum (2). Ergo acquiri in statu perfecto scientiæ non possunt sine Logica. Sane qui fieri potest, ut sciat quis ordinate, faciliter, & sine errore propositiones remotas à principiis per se notis, ad eadem principia resolvere, nisi perspectas habeat regulas recte argumentationis, fallaciasque norit, quæ tam sæpe homines etiam doctos in errorem inducunt? Eas autem regulas scire quis potest, qui artem Logicam non didicerit? Merito proinde Cicero (3) *Sine hac*, inquit *arte quemvis arbitramur à vero abduci, fallique posse.* Et S. Augustinus (4) Dialecticam non modo vocat *judicem, sine qua sapientia omnino esse non potest* (5); sed insuper addit (6): *Hæc docet docere, hæc docet discere: in hac seipsa ratio demonstrat, atque aperit, quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire: sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest* (7).

---

(1) §. 141. (2) §. 150.

(3) L. 3. de fin. (4) L. 3. con. Acad. c. 17.

(5) Idem Augustinus censet, Logicam valere etiam ad Sacram Doctrinam; scribit enim l. 2. de Doct. Christ. c. 31. »Disputa»tionis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris Sanc»tis sunt pertractanda, & dissolvenda, plurimum valet. Ejusdem »Logicæ usum S. Hieronymus in Epist. ad Paulinum in Jobo commendat: »Job, *inquit*, omnes leges Dialecticæ, propositione, as»sumptione, confirmatione, conclusione determinat.« Idemque de Apostolo Paulo scribit in Epist. ad Paulam Urbicam: »Apostolus, *ait*, »sæpe proponit, assumit, confirmat, atque concludit, quæ proprie »artis dialecticæ sunt.«

(6) L. 2. de Ord. c. 13.

(7) Est & alia ratio, quam indicat Cicero l. 5. Tuscul. cum docet Logicam esse, *quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit: perfecta concludit, vera & falsa dijudicat.* Et in Bruto: »quæ »docet rem tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obs»curam explanare interpretando; ambiguam primum videre, deinde »distinguere, postremo habere regulam, qua vera, & falsa dijudi»centur, & quæ, quibus propositis, sint, quæ non sint consequen»tia.« Hæc autem sine alicujus artis præsidio præstare nemo potest, nisi forte Gassendus velit, faciliora hæc esse, quam sartorum, sutorum, armamentariorum opera, quæ nemo recte facit sine arte. Ut

152. Prob. 2. p. Ad actus faciliores nulla est necessitas artis, ut dictum est (1). Ergo ad demostrationes faciles ex immediatis principiis per se notis, non requiritur ars Logica, neque proinde ad scientias in statu imperfecto (2).

153. Ad primum dist. maj. Zeno fuisse dicitur primus Logicæ inventor, quia primus eam ad certas regulas revocavit, transeat; quia primus illam invenit, nego. Multoties qui artem aliquam perficiunt, dicuntur ipsam invenisse, quo sensu Cicero ait (3), fuisse *Athenas omnium doctrinarum inventrices.* Sic Zeno dici potest artis Logicæ inventor (4). Sunt autem qui Zenonis Logicam in arte contradicendi positam volunt; idque confirmant testimonio Plutarchi (5), qui Logicam Zenonis appellat *artem captiosam, quæ ex contradictione in ambiguitatem concluderet* (6). Etsi vero initium artis Logicæ sit ab Ada-

---

autem idem Cicero habet l. 2. de Offic. „Nullam dicere maxima„rum rerum esse artem, cum minimarum sine arte nulla sit, homi„num est parum considerate loquentium."

(1) §. 142. (2) Sicut corpora opaca quo propinquiora sunt corpori luminoso, eo clarius videntur: & quo remotiora, eo obscurius; ita propositiones quo propinquiores primis principiis per se notis, eo sunt perspicuiores, & quo remotiores, eominus perspicuæ. Inillis ratio veritatem evidenter deprehendit sine artis præsidio, quia evidens est connexio cum primis principiis per se notis; in istis veritas evidenter patere non potest, nisi ad ea principia resolvantur, quod fieri absque Logica non potest, quæ docet modum resolvendi.

(3) L. 1. de Orat.

(4) Quia videlicet Logicæ præcepta in unum corpus redegit. Constat enim Zenonem Eleatem fuisse Parmenidis discipulum: Parmenidem autem Logica fuisse instructum, argumento est Platonis Dialogus nomine Parmenidis inscriptus, cujus tota disputatio ad Logicam artem pertinet. Et quamquam Zenonis monumenta omnia perierint; nihilominus ejus Logicæ multa Dialogis Platonis continentur, ut in *Parmenide* & in *Sophista*, in quibus Socrates à Zenone Logicis legibus informatur. Zenonem longo intervallo Aristoteles in Logica superavit: nam ejus libri Logici ex Laërtii l. 5. videntur fuisse centum & quinquaginta. Vide Franciscum Patritium T. 1. l. 2. p. 14. sq. ipseque propterea Aristoteles 1. Metaph. c. 6. veteres appellat Dialecticæ ignaros; & c. 4. comparat pugilibus inexercitatis, & artis expertibus. (5) In vita Periclis.

(6) Stoicorum eadem videtur fuisse disserendi ratio: *Stoicorum*, inquit Cicero de Clar. Orat. *in Dialecticis omnis cura consumitur.* Et S. Augustinus l. 1. con. Cresc. Donat. c. 12. „Stoici magis de verborum, quam de rerum diversitate confligunt ... Nam de his

mo repetendum, qui illam cum ceteris scientiis à Deo accepit, ut dictum est (1); quia tamen supra diximus (2), priores Philosophos imperfecte de omnibus fuisse loquutos; id contigisse dicendum est præsertim ob Logicæ defectum (3)

154. Ad secundum dist. ant. quælibet scientia proprias demonstrationes habet, quod ad materiam pertinet, conc. quod pertinet ad formam, nego. Forma siquidem argumentationis pendet à Logica.

155. Ad tertium neg. cons. nam & ipsæ Mathematicæ puræ non semper demonstrant immediate ex principiis per se notis (4). In ea autem, quæ non ita demonstrantur, facile est errorem obrepere ex Logicæ defectu (5).

156. Ad quartum neg. cons. nam sicut non requiritur alia lux, ut lux videri possit, quia ipsa est, qua videmus; ita Logica ut acquiratur, non indiget alterius Logicæ; quia sicut Logica aliis scientiis, ita sibi præstat sciendi modum (6).

157. Ad quintum neg. 1. p. ant. nemo siquidem potest in scientiis præsertim abstrusioribus sufficienter proficere, qui nesciat in rebus difficilibus recte ratiocinari, atque adversariorum objectiones diluere: quod recte facere numquam poterit, si præsidio artis Logicæ sit destitutus. Hinc apud Philosophos mag-

---

Tullius ait (l. 1. de Orat.) *Verbi enim controversia jamdiu tor-*
» *quet homines Græculos, contentionis cupidiores, quam veritatis.*"

(1) §. 22. (2) §. 40.

(3) Videtur Aristoteles aliquanto insolentius gloriari, cum l. 1. de Sophist. Elenchis c. 34. scribit: » Hujus autem Dialecticæ trac-
» tationis, non aliud erat, aliud non erat excultum, sed nihil pror
» sus extabat. Nam eorum, qui in litigiosis disputationibus quæstum
» faciebant, institutio quædam erat similis Gorgiæ tractationi, &c. "
Quamvis enim Dialecticam Aristoteles copiosius, atque distinctius tradiderit; nemo tamen dixerit, Platonem nihil prorsus de re Dialectica aut scivisse, aut tradidisse, nisi quod in litigiosis disputationibus quæstum facere videretur.

(4) » Non enim cujuslibet demonstrationis geometricæ ratio red-
» ditur ex primis Geometriæ principiis, sed interdum ex iis quæ
» per prima principia sunt conclusa " inquit S. Thom. 1. Poster. l. 21.

(5) Hugenius in Act. Erud. an. 1711. observat, paralogismos in Mathesi sæpius vitio formæ existere. Et S. Thom. 1. Poster. lect. 17. ostendit, ex eodem vitio nihil concludere argumentum Brissonis ad demonstrandum tetragonismum, sive quadraturam circuli.

(6) Vide S. Thom. 2. Metaph. lect. 5.

na semper Logicæ cura fuit (1). Quod autem additur in 2. p.

(1) Ex quo Logica in unum corpus ad certas regulas fuit revocata, tres videntur fuisse ejus ætates, 1. à Zenone Eleate usque ad Christum; 2. à Christo usque ad finem xv. seculi, sive ad initium xvi. 3. ab eo tempore usque ad hæc nostra. In prima ætate, præter Zenonem, cujus Logicam in tres partes fuisse divisam, affirmat Gassendus *De Log. orig. & variet. c.* 2. quarum prima consequutionum, altera dialogorum, tertia contentionum, dicebatur (Zeno Eleates, ut dictum est not. 4. pag. 131. & refert Clemens Alex. Strom. 1. pag. 301. fuit Parmenidis auditor, is autem auditor Xenophanis, quem Apollodorus natum posuit Olympiade 40. pervenisseque ad tempora Darii, & Cyri), memorantur Euclides Megarensis, qui Logicam in primis arripuit Zenonicam, sed nonnihil sophisticam, ideoque ejus sectatores contentiosi, primum sunt appellati Ἐριστικοὶ, & postea Dialectici, quod disputationes interrogatione, & responsione conficerent. Protagoras item Abderites Democriti discipulus eamdem Sophisticen exercuit; de quo videri potest Plato *in Protagora.* Aristippus autem cum suis sectatoribus Cyrenaicis, etsi Logicam artificiosam contempsisse videatur, ut habet Seneca Epist. 89. locus est tamen apud Laertium, quod Logicam Cyrenaici propter ejus usum summum attingebant. De Platone quod maxime Logicam amplificaverit, ostendit Christianus Thomasius Phil. aulic. c. 4. §. 7. testanturque ejus Dialogi. Accuratius Stoici artes Logicas excoluerunt, nisi quod nimium in subtilitatibus, & verborum ambagibus immorabantur, ut dictum est not. 6. pag. 131. Quantus autem Aristoteles in Logica fuerit Stanlejus par. 5. c. 7. ostendit testimonio Armonii in vita Arist. p. 8. quia nimirum *præcepta disputandi à rebus ipsis, de quibus disputatur, separavit, & demonstrandi viam docuit, ac rationem.* Et licet recentiores Philosophi multa in Aristotelis Logica reprehendant; id tamen est in comperto, Aristotelem in Logica suis quidem, ut est hominum conditio, non caruisse nævis, fuisseque nonnihil prolixum, propterea quod adversus sui temporis Sophisticos scriberet, ut observat Socrates Hist. l. 2. c. 28. nihilominus Logicas artes vehementer promovisse.

In secunda Logicæ ætate, Aristotelis Dialectica ubique fere obtinuit; eamque Patres, ut hæreticorum, qui illa abutebantur, conatibus occurrerent, præcipuo studio coluerunt, ut ex eorumdem Patrum Libris perspicue constat, præsertim cum adversus Arianos, & Eunomianos dimicant. Eademque fuit Logicæ Aristotelicæ tradendæ ratio usque ad initium seculi xvi. Nam licet sub Carolo Magno Dialectica S. Augustino tributa circumferretur, ut patet ex Prologo Alchuini ad Carolum August super Categorias Augustini; eaque Dialectica in plerisque Scholis traderetur, ut ostendit Launojus de varia fortuna Aristotelis; illa tamen Dialectica plane Stoico-aristotelica erat.

ant. de imperito Geometriæ, potius propositionem nostram confirmat; idcirco enim ille ad singula recte respondit, quia fuit ordinate interrogatus; ut autem ita interrogaretur, esse non potuit sine Logica.

ARTICULUS III.

Quodnam sit Logicæ objectum.

158. Objectum dicitur illud, circa quod facultas, sive actio versatur, & aliud vocatur *materiale* (1), aliud *formale* (2). *Materiale* est quod attingitur ratione alterius. *Formale* est ipsa ratio quæ attingitur in objecto materiali (3). Sic corpus est objectum *materiale* visus, color est objectum *formale*, quia corpus non videtur, nisi ratione coloris. In scientiis autem objectum *formale* dicitur *subjectum* (4) scientiæ (5), quia nempe considerationi scientiæ subjicitur, & ratione ipsius omnia attinguntur in scientia.

159. Nemo dubitat, quin objectum *materiale* Logicæ sint res omnes, quæ à mente humana cognosci possunt; de omnibus siquidem ratiocinari mens potest (6). Remanet igitur inqui-

---

Tertiæ Logicæ ætati initium dedit Laurentius Valla Romanus, qui pluribus resecatis præceptis in Aristotelis, & Scholasticorum Logica Dialecticam contractiorem emisit. Novam Logicam tentare aggressi deinde sunt Petrus Ramus, Verulamius, Gassendus, Hobbesius, Cartesius, Nicolaus Malebranchius, Joannes Lockius, Joannes Clericus, Christianus Thomasius, Andreas Rudigerus, Christianus Wolfius, Antonius Genuensis, aliique. An autem palmam tulerint, colligi potest ex recentioribus ipsis Philosophis, quorum quisque suam in Logica tradenda rationem probat, ceterorum reprehendit. Vide Vernejum de Re Log. l. 1. c. 5. sqq. & Genuensem Art. Log. Crit. Proleg. §. 37. sqq.

(1) Cicero l. 1. de invent. *materiam artis* vocat.

(2) Idem Cicero l. 1. de divin. appellat *rationem artis*.

(3) *Materiale* dicitur, quia est veluti materia facultatis; *formale* autem, quia præbet facultati formam, eamque à ceteris distinguit; visus enim differt à gustu, quod hic saporem, ille colorem attingat.

(4) Clemens Alex. Strom. 8. nominat *rem subjectam*.

(5) Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 7.

(6) S. Thom. 1. Poster. lect. 10. » Circa omnia quæ sunt, *inquit*, de» bet negotiari ratio: Logica autem est de operationibus rationis; & » ideo Logica est de his, quæ communia sunt omnibus, id est, de inten» tionibus rationis, quæ ad omnes res se habent."

rendum de objecto *formali*, sive de *subjecto* Logicæ. Qua in re Nominales putarunt voces tantum, & nomina ad *formale* Logicæ objectum pertinere. Alii (1) censent, operationes intellectus ut ad verum dirigendas constitui debere objectum *formale* Logicæ.

160. Videtur autem ita dicendum I. quia Logica ex eo distinguitur à ceteris scientiis, quod mentis operationes ad verum dirigat. Sed objectum *formale* scientiæ illud est, quo una scientia ab aliis distinguitur, ut dictum est. (2). Ergo.

161 II. Objectum *formale* scientiæ est illud, ratione cujus omnia attinguntur in scientia, ut supra diximus (3). Sed in Logica omnia attinguntur propter dirigendas operationes intellectus. Ergo.

Propositio. *Ordo, quem ratio ponit in propriis conceptibus, est objectum formale, sive subjectum Logicæ.*

162. Probatio. Objectum *formale*, sive subjectum scientiæ est illud, per quod una scientia à ceteris distinguitur. Sed Logica distinguitur à ceteris scientiis, quia considerat ordinem, quem ratio ponit in suis conceptibus, ut supra dictum est (4). Is ergo ordo est objectum *formale*, sive subjectum Logicæ. Cum autem hic ordo non inveniatur in rebus extra animam, sed consequatur considerationem intellectus, sive rationis; fit enim ab ipsa ratione: merito S. Thomas (5) ait: *Ens rationis, quod proprie dicitur de illis intentionibus* (6), *quas ratio adinvenit in rebus*

(1) Vide Purchotium in Log. Præm. & Du-Hamelium Log. q. 2. concl. 2.

(2) Not. 3. pag. 134.

(3) §. 158. (4) §. 13.

(5) 1. Metaph. lect. 4. & 1. Poster. lect. 20.

(6) Ut observat S. Thomas 4. Metaph. lect. 4. duplex est genus entis, reale, seu *ens naturæ*, & *ens rationiis*. Reale ens dicitur omne id quod est aliquid in rerum natura, ut homo, arbor, lapis &c. *Ens rationis* dicitur id quod habet esse tunc solum cum objicitur considerationi intellectus: veluti cum concipimus humanitatem ut quid commune singulis hominibus; sic enim concepta neque est, neque esse potest extra intellectum. Hoc autem ens quandoque nullo nititur fundamento, ut cum chimæras fingimus; quandoque in ipsis rebus fundatum reperitur, ut cum concipimus animal tamquam commune homini, & belluis, nam licet animal reipsa sit aliquid, reipsa tamen non

consideratis est proprie subjectum Logicæ. Quod ante docuerat S. Augustinus (1) scribens, Logicam prodire cum ratio *sua prius quasi quædam machinamenta, & instrumenta distinguit.* Et cum Logicam appellat *scientiam definitionum, divisionum, & conclusionum* (2). Hæc enim omnia sunt opera rationis, & tunc solum existunt cum mens illa facit : fiunt autem, cum conceptus mentis in ordinem rediguntur. Nam definitio fit, cum genus, & differentiam mens in eadem re distinguit, & genus considerat ut quid commune, differentiam ut quid proprium. Divisio habetur, cum partes, quæ reipsa sunt unum, & idem, ab invicem mente separantur. Similiter propositiones sunt quædam machinamenta rationis, quibus unum enunciatur de alio, prædicatum scilicet de

---

reperitur animal commune pluribus; omne enim quod reipsa est, singulare est. De hoc posteriori ente rationis S. Basilius l. 1. con. Eunom. n. 6. » Videmus, *inquit*, quod in communi quidem usu, quæ subito » mentis impetu simplicia esse videntur, ac unica, apparent tamen va» ria post accuratam indagationem, præsertim si has partes mens divi» dat, ea ratione sola divisibilia esse dicantur." De priori vero ibid. scribit : » Quæ non subsistunt omnino, sed quadam mentis pictura, & » imaginatione sola finguntur, qualia portenta sunt, quæ Poëtæ, & Pic» tores comminiscuntur, hæc quoque ex consuetudine dicuntur contem» plationi obnoxia esse." Jam vero ens rationis fundamento nixum, aliud in negatione, aliud in privatione, aliud in ordine, sive relatione consistit. In negatione quidem, ut cum concipimus perinde atque ens esset, carentiam formæ in subjecto, quod natum non est illam habere, v. g. cæcitatem in lapide. In privatione vero, cum concipimus veluti ens carentiam formæ in subjecto apto ad illam habendam, ut cæcitatem in homine. In ordine denique rationis, cum distinguimus ea, quæ reipsa sunt unum, & idem, eaque invicem comparamus ; ut cum distinguimus in eadem re rationem generis, differentiæ, & speciei, & comparamus genus ut superius, differentiam, & speciem ut inferiores ; cum propositionem conficimus comparando subjectum cum prædicato ; cum extremos terminos propositionum comparamus cum medio ad concludendum. De hoc ente rationis, quod in ordine ab ipsa ratione posito consistit, loquitur S. Thomas. Et cum hujusmodi ordo non aliter constituatur, quam per actum reflexum, quo mens in rebus prius cognitis varios conceptus distinguit, & ad invicem comparat ; merito proinde vocatur *secunda intentio.* Nam ut advertit idem S. Thomas q. 7. de pot. a. 9. *Prima intellecta sunt res extra animam, in quæ primo intellectus intelligenda fertur. Secunda autem intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi ; hæc enim secundo intellectus intelligit, in quantum reflectitur supra seipsum, intelligens se intelligere, & modum quo intelligit.*

(1) L. 2. de Ord. c. 13. (2) L. 2. de Doct Christ. c. 37.

subjecto. Multoque magis ratiocinatio est mentis opus ; posita enim est in quadam dispositione terminorum , & propositionum, ut ex eis aliquid concludatur. Cum igitur in definitionibus, divisionibus , propositionibus , ratiocinationibus recte instituendis tota Logicæ tractatio versetur : illæ autem in ordinatione conceptuum mentis positæ sint , quæ quidem ordinatio ab una dumtaxat mente procedit perspicuum est , non aliud esse objectum *formale* Logicæ , quam ipsum ordinem à ratione in suis conceptibus constitutum.

163 Ad primum neg. maj. Nam dirigere intellectum ad veritatem , commune est omnibus scientiis , quarum unaquæque in propria materia veritatem persequitur. Id Logicæ peculiare est , mentem ad veritatem dirigere , conceptus mentis in ordinem redigendo , atque ita sciendi instrumenta præbendo

164. Ad secundum conc. maj. de scientia principali , neg. de stientia instrumentali. Ut enim hæc est propter aliud , ita quoque ejus objectum. Logica autem est scientiæ instrumentum , & idcirco vocatur *Organum*. Quare nihil mirum , si ejus objectum referatur ad dirigendas mentis operationes.

ARTICULUS IV.

Utrum Logicæ divisio accipienda sit ex diversitate actuum rationis.

165. Videtur , inde accipi non posse : I. quia multæ sunt operationes intellectus , ex quibus divisio Logicæ non accipitur, videlicet dubitatio , reflexio , reminiscentia , abstractio , methodus, Apperceptio , conscientia , attentio , intellectio , cognitio , cogitatio , intentio , dictio , conceptio , notio. Ergo.

166. II. Receptissima est Logicæ divisio in docentem , & utentem. Sed hæc divisio non accipitur ex diversitate actuum rationis. Ergo.

Propositio. *Partes Logicæ accipiendæ sunt ex diversitate actuum rationis.*

167. Prob. ex S. Thoma (1). Logica est scientia rationalis, non solum quia est secundum rationem , sed etiam quia est circa ipsos actus rationis , quos in ordinem redigit ut dictum est (2). Ex

(1) 1. Poster. lect. 1. (2) §. 162.

diversitate igitur actuum rationis accipiendæ sunt partes Logicæ. Tres autem sunt rationis actus : 1. simplex apprehensio sive perceptio, quam S. Thomas (1) vocat *intelligentiam indivisibilium, & incomplexorum*, quia scilicet per eam concipimus, quid sit res, quin de ipsa aliquid affirmemus, vel negemus. 2. Est judicium, sive enunciatio, quam idem S. Thomas (2) appellat *compositionem*, vel *divisionem*; compositionem quidem, cum affirmamus quia subjectum cum prædicato conjungimus; divisionem, cum negamus, quia prædicatum à subjecto sejungimus. 3. Est ratiocinatio, sive *discursus*, cum ex eo quod affirmavimus, aut negavimus aliquid inferimus, quod illud consequatur (3). Partes igitur Logicæ ita sunt accipiendæ, ut prima de omni eo, quod ad recte percipiendum; altera de omni eo, quod ad recte enunciandum; tertia de omni, eo quod ad recte ratiocinandum conferre potest, disserant (4).

168. Jam vero ratiocinari tripliciter contingit, uno modo ita ut certo, evidenter, & necessario concludatur, habeaturque vera demonstratio, quam Græci ἀποδειξιν vocant. Alio modo, ut concludatur probabiliter, & verisimiliter (5). Tertio modo ut ratiocinatio videatur quidem concludere, revera tamen in errorem inducat contortis, & fallacibus conclusiunculis; ita enim Cicero (6) sophismata vocat (7). Itaque pars Logicæ, quæ de ratiocinatione tractat, triplex est. Prima dicitur *Analitica*, sive *resolutiva*, &

---

(1) Loc. cit. (2) Ibid.

(3) Horum trium actuum priores duo sunt rationis, prout est intellectus, quippe sine ulla ratiocinatione mens determinatur ad unum; tertius est rationis secundum id, quod est rationi proprium, id est, unum ex alio inferre. Vide S. Thom. loc. cit. & q. 14. de ver. a. 1.

(4) De prima Logicæ parte agit Aristoteles in lib. *Categoriarum*, quæ sunt certa genera rerum. De altera in lib. *Perihermenias*, sive de *Interpretatione*; enunciatio enim est veluti interpres mentis. De tertia in consequentibus libris Logicis.

(5) » Probabile (ut definit Cicero l. 1. de invent.) est id quod ve» re fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se » ad hoc quamdam similitudinem."

(6) L. 4. Acad. Vide Senecam Epist. 45. & 48.

(7) De hoc triplici ratiocinandi genere agens S. Thomas, 1. Poster. lect. 1. » Actus, *inquit*, rationis sunt similes quantum ad aliquid ac» tibus naturæ : unde & ars imitatur naturam, in quantum potest.. In » actibus autem naturæ invenitur triplex diversitas. In quibusdam enim » natura de necessitate agit, ita quod non potest deficere. In qui» busdam vero natura ut frequentius operatur, licet quandoque possit » deficere à proprio actu. Unde in his necesse est esse duplicem actum

demonstrativa (1); certitudo enim scientiæ habetur per resolutionem ad principia per se nota, ut dictum est (2): in hac autem resolutione posita est demonstratio; tunc enim demonstrare dicimur, cum concludimus ex principiis per se notis, vel ex iis quæ ex hujusmodi principiis sunt conclusa (3). Secunda vocatur *Dialectica* ἀπο του διαλεγεσθαι à disputando, & disserendo (4); disputationes enim potissimum instituuntur de argumentis probabilibus (5). Tertia dicitur *Sophistica* (6).

169. Ad primum neg. ant. nam operationes illæ ad tres enumeratas reducuntur. At *dubitatio* quidem, si mens sit æquæ

» unum qui sit ut in pluribus, sicut cum ex semine generatur animal » perfectum; alium, quando natura deficit ab eo quod est sibi conve» niens, sicut cum ex semine generatur aliquod monstrum propter cor» ruptionem alicujus principii. Et hæc etiam tria inveniuntur in actibus » rationis. Est enim aliquis processus necessitatem inducens, in quo » non est possibile esse veritatis defectum, & per hujus rationis proces» sum scientiæ certitudo acquiritur. Est autem & alius rationis proces» sus, in quo ut in pluribus verum concluditur, nec tamen necessitatem » habens. Tertius vero rationis processus est, in quo ratio à vero deficit » propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat obser» vandum."

(1) De ipsa Aristoteles agit in lib. ἀναλυτικῶν πρωτερων, *analyticorum priorum*, ubi de ratiocinatione in communi, sive de modo resolvendi; & in l. ἀναλυτικῶν ὑστέρων, *analyticorum posteriorum*, ubi de demonstratione disserit. (2) §. 82.

(3) Clemens Alex. Strom. 8. pag. 772. *Si quis*, inquit, *incœperit ex iis quæ sunt evidentia sensu, & intelligentia, & deinde convenientem intulerit conclusionem, vere demonstrat: sin autem ex opinabilibus solum, sed non primis, hoc est, nec sensu evidentibus, nec intelligentia, si convenientem quidem inferat conclusionem, ratiocinabitur quidem, sed non quæ scientiam constituat, efficiet demonstrationem: sin autem non convenientem, ne omnino quidem ratiocinabitur.*

(4) S. Augustinus l. 1. con. Cresc. Donat. c. 14. » A disputatione, » *ait*, *Dialectica* nomen accepit; quoniam disputatio Græce διαλογη, » vel διαλεξις appellatur."

(5) *Dialecticam* Aristoteles tradit in lib. *Topicorum*, sive de locis, unde argumenta probabilia desumi possunt.

(6) Idem Aristoteles partem *Sophisticam* versat in lib. *Elenchorum*. Est autem Elenchus argumentum conclusioni à respondente defensæ contradicens. Sunt autem Elenchi alii veri, alii falsi. Priores sapientem decent, qui veritatem defendere debet, & contradicentes redarguere. Posteriores ad Sophistas pertinent, qui sapientes videri malunt, quam esse. Nam licet Sophistæ primum appellati sint Sapientes à σοφως Sapientia; nihilominus deinde attributum id nomen iis fuit, qui

suspensa, reducitur tamquam actus imperfectus ad simplicem perceptionem; tunc enim mens neque afirmat neque negat: si vero mens ad unam partem declinet, licet cum formidine partis oppositæ, opinari, & suspicari dicitur: quod non est absque affirmatione, vel negatione, ideoque absque judicio,

170. Similiter *reflexio* reducitur ad perceptionem; siquidem reflexio est, cum mens cognoscit se cognoscere & ea per quæ cognovit; quod nova perceptione fit (1). *Reminiscentia* autem non est actus intellectus, ut S. Thomas ostendit. (2).

171. *Abstractio*, qua mens in una eademque re unum considerat, aliis non consideratis, reducitur ad perceptionem.

172. *Methodus* reducitur ad ratiocinationem; methodus enim est expedita ratio inveniendi, ac docendi veritatem, quod absque ratiocinatione fieri nequit.

173. *Apperceptio* (3) idem videtur esse ac perceptio rei ad aliam ordinatæ.

174. *Conscientia* (4) vero ut ipsa vox indicat, significat ordinem scientiæ ad aliquid, quasi dicatur *cum alio scientia* (5): scientia autem ratiocinatione nititur; quare conscientia ad ratiocinationem pertinet.

175. *Attentio* non est distinta mentis operatio, sed quemdam mentis conatum indicat ex desiderio adquirendi cognitionem; proindeque modus quidam aliarum operationum (6).

---

lucri, aut ostentationis gratia sapientiæ speciem captabant (Vide S. Justinum in Dial. cum Triphone n. 2.) & generatim illis omnibus, qui contentionis erant cupidiores, quam veritatis, ut alios in errorem inducerent.

(1) Confer S. Thom. 1. p. q. 85. a. 2.

(2) 1. p. q. 78. a. 4.

(3) Recens novumque id nomen est, quod juniores Philosophi excogitarunt, & pro suo quisque libitu accepit. Mirandum sane, quod iidem Philosophi barbaras in Scholasticis voces irrideant; ipsi vero novas, & inauditas, easdemque non necessarias voces inducant.

(4) Vide S. Thom. 1. p. q. 79. a. 13.

(5) Qua ex re consequitur, illos propriam ignorare vocem, qui conscientiam esse ajunt cognitionem eorum, quæ in anima fiunt. Vide Dalhamum Psycol. §. 7. sq. Hæc enim cognitio, reflexa quidem dici potest, conscientia autem nullo modo, nisi sit cum ratiocinatione conjuncta.

(6) Wolfius Psychol. Empir. §. 337. attentionem definit facultatem reddendi unam ideam præ aliis clariorem. Sed vehementer decipitur; nam facultas illa potentiam denotat; attentio vero actum signifi-

176. *Intellectio*, *cognitio*, *& cogitatio* communiter pro eodem accipiuntur, denotantque ipsum genus actionis quo dividitur in perceptionem, judicium, & ratiocinium. Si autem accuratius loqui velimus, *intellectio* significat actionem, qua veritatem intime penetramus. *Dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei* (1). Quapropter S. Thomas (2): *Intelligere*, ait, *est cum quadam approbatione dijudicatis inhærere.*

177. *Cognitio* ad judicium, & ratiocinationem videtur pertinere; & idcirco S. Thomas (3) docet: *Circa cognitionem humanæ mentis duo oportet considerare, scilicet, acceptionem, sive repræsentationem rerum, & judicium de rebus repræsentatis* (4).

178. *Cogitatio proprie in inquisitione veritatis consistit*, ut S. Thomas docet (5) post S. Augustinum (6).

---

cat. Præterea claritas ipsa ideæ sæpe est attentionis causa, & major claritas causa majoris attentionis; non igitur attentio ex causa claritatis idearum. Insuper claritas cognitionis habetur, & ex mentis efficacia, & ex claritate luminis intellectualis, & ex comparatione ejus quod cognoscitur ad intellectum cognoscentem; quemadmodum, ut S. Thomas animadvertit in 3. d. 14. a. 2. q. 3. » Claritas, vel limpiditas visionis » contingit ex tribus. Primo ex efficacia virtutis visivæ, quia qui sunt » fortioris visus, magis limpide vident. Secundo ex claritate lucis, sub » qua claritate visibile videtur, sicut clarius videtur aliquid in lumine » solis, quam in lumine lunæ. Tertio ex comparatione visibilis, vel » ejus in quo aliquid videtur, ad videntem, quia quod à remotiori » videtur, minus clare videtur." Itaque claritas idearum nullo modo pendet ab attentione. Multo magis falsa est definitio Malebranchii, qui de inquisit. verit. in Prefat. ait: *Attentio mentis nihil aliud est præter ipsius conversionem ad Deum magistrum nostrum.* Quis enim, nisi impie dixerit, hominem pravis cogitationibus attentum esse ad Deum conversum tamquam ad suum magistrum?

(1) S. Thom. 2. 2. q. 8. a. 1.

(2) 1. p. q. 79. a. 9. ad. 4. (3) 2. 2. q. 173. a. 2.

(4) Hinc satis accurata non est definitio Lokii *Essai philosoph.* l. 4. c. 1. ubi ait, cognitionem nihil esse aliud, quam perceptionem congruentiæ, vel repugnantiæ, quæ reperitur inter duas ideas. Hæc enim congruentia, vel repugnantia in iis quæ non sunt per se nota, constare non potest ex collatione duarum idearum, sed necessario requiritur, ut duæ illæ ideæ conferantur cum tertia; quod ratiocinatione fit.

(5) 1. p. q. 34. a. 1. ad 2.

(6) L. 13. de Trin. c. 16. ubi ostendit, Verbum Dei cogitationem Dei dici non posse, *ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo.*

179. *Intentio*, quæ est actus mentis, est, cum mens *id quod apprehendit, ordinat ad aliquid aliud cognoscendum, vel operandum* (1): quod fit judicando, vel ratiocinando.

180. Jam vero *dictio* in eo differt ab intellectione, quod *intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam..... Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum* (2).

181. *Conceptio* est ipsa dictio, qua mens verbum producit. Quare S. Thomas (3) verbum definit: *Conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens* (4).

182. Denique *notio* non est actus intellectus, sed est propria ratio, qua aliquid innotescit (5), quemadmodum pater innotescit ratione paternitatis.

183. Ad secundum dicimus, divisionem Logicæ in docentem, & utentem esse ex muneribus, quibus Logica fungitur, non ex partibus quibus integratur. Logica enim dicitur *docens*, quatenus præcepta tradit; dicitur *utens*, quatenus precepta applicat ad opus.

ARTICULUS V.

Utrum Logica sit scientia.

184. Quinque sunt habitus, quibus mens perficitur, 1. intelligentia, 2. sapientia, 3. scientia, 4. prudentia, 5. ars. Mens enim aliquando veritatem adsequitur sine ulla ratiocinatione ex sola perceptione terminorum, ut cum cognoscit principia per se nota, v. g. totum esse majus sua parte; nam statim cognito, quid est totum, quid est pars, mens evidenter cognoscit, totum esse majus sua parte. Habitus, quo hujusmodi principia cognoscuntur, si quidem principia non referuntur ad praxim, dicitur *intelligentia*,

---

(1) S. Thom. 1. p. q. 79. a. 10. ad 3.

(2) Idem ib. q. 34. a. 1. ad 3.

(3) 1. p. q. 27. a. 1.

(4) Qui verbum mentis ab actuali intellectione nullo modo distingunt, ut Philosophi recentiores faciunt; videant, quomodo possint explicare processionem Verbi Divini: nam si Verbum nihil est aliud quam intellectio, cum hæc etiam ut notionalis, non distinguatur à Patre, nec Verbum erit Persona à Patre distincta.

(5) S. Thom. 1. p. q. 32. a. 3.

sive habitus primorum principiorum theoreticorum (1); si autem principia referantur ad praxim, dicitur synderesis (2).

185. Quandoque autem mens, ut veritatem adsequatur, indiget ratiocinio, cum scilicet veritas perspicua non est ex sola perceptione terminorum: tunc autem si ratiocinatur ex principiis sublimioribus, habitus dicitur Sapientia (3), ac definiri solet: *cognitio certa, & evidens per causas altissimas.* Si vero mens ratiocinatur ex principiis certis quidem, & evidentibus, sed inferioris ordinis, habitus dicitur Scientia (4), & definitur: *cognitio certa, & evidens acquisita per demonstrationem ex causis inferioribus.*

186. Si autem veritas quæritur in agendis, habitus dicitur prudentia, quæ est *recta ratio agibilium.* Si vero quæritur in operibus faciendis circa exteriorem materiam, habitus dicitur Ars, quæ est *recta ratio factibilium* (5). Prudentia, & Ars versantur circa contingentia; Scientia, Sapientia, & Intelligentia circa necessaria (6).

187. A ratione scientiæ deficit opinio; quæ definitur à Cicerone (7), *mentis imbecillis assensio*; sive, ut loquitur S. Thomas (8), actus mentis inclinantis in unam partem contradictionis cum formidine alterius (9).

188. Media inter scientiam, & opinionem est fides, id est, *mentis adhæsio alicui rei, quam quis non videt, sed alteri dicenti credit* (10). Fides Divina excellit certitudine quamlibet scientiam; quia nititur testimonio Dei revelantis. Fides humana magis accedit ad opinionem, quia nititur testimonio fallibili.

---

(1) Hinc Clemens Alex. Strom. 2. pag. 264. *Ex sensu*, inquit, *& intelligentia consistit scientiæ essentia. Intelligentiæ autem, & sensus commune est id quod est evidens.*

(2) Vide S. Thom. 2. 2. q. 47. a. 6.

(3) Idem Clemens Alex. Strom. 1. pag. 284. propterea scribit: *Est Sapientia domina Philosophiæ, sicut illa illius quæ præcedit disciplinæ.*

(4) Confer eumdem Clementem. Strom. 2. pag. 364. ubi ait: *Quæ est enim scientia, est habitus demonstrativus.*

(5) Vide S. Thom. 2. 2. q. 47. a. 5.

(6) De arte, & prudentia loquens Clemens Alex. Strom. 2. p. 364. *Principia*, inquit, *neque cognosci possunt arte, nec prudentia. Hæc enim versatur in iis, quæ contigit se aliter habere: illa autem est efficiens.*

(7) L. 4. Tuscul. (8) 2. 2. q. 1. a. 4.

(9) Vide S. Thom. 3. p. q. 18. a. 4. ad 1.

(10) Vide eumdem 1. 2. q. 67. a. 3.

189. Plane constat, Logicam neque ad Intelligentiam, neque ad Sapientiam, neque ad Prudentiam, neque ad Fidem pertinere, cum neque sit habitus primorum principiorum, neque procedat ex principiis sublimioribus, neque ad mores directe spectet, neque aliorum testimonio nitatur. Itaque in quæstionem vertitur, sitne scientia, vel opinio, aut ars.

190. Videtur autem non esse scientia: I. Quia Logica est scientiæ instrumentum, ut dictum est (1). Sed instrumentum scientiæ non est scientia, quemadmodum instrumentum artis, non est ars. Ergo.

191. II. Logica ex dictis (2) ut Dialectica, procedit ex probabilibus, ut Sophistica deficit à progressu veræ argumentationis. Ergo saltem in his partibus non est scientia.

192. III. Objectum Logicæ est ordo, sive ens rationis, ut dictum est. (3) Sed hujusmodi ens nequit esse objectum scientiæ, tum quod non sit simpliciter ens; tum quod necessarium non sit, sed contingens; pendet enim ab intellectu, à quo fit. Ergo.

Propositio. I. *Logica in qualibet parte vere scientia est.*
II. *Habet tamen similitudinem quamdam cum arte.*

193. Prob. 1. p. Ad scientiam veri nominis non requiritur, ut in omni re de qua agit, utatur argumentis demonstrativis, sed sufficit, ut aliquas saltem demonstrationes efficiat; scientia enim causatur etiam per unicam demonstrationem, ut supra diximus (4). Atqui Logica in qualibet parte aliquas demonstrationes facit. Sic in prima parte demonstrat, ideas extare; in altera, propositiones contradictorias non posse esse simul veras, & falsas; in tertia, syllogismum debere constare tribus terminis, &c. Vere igitur in qualibet parte scientia est.

194. Prob. 2. p. Inter scientias eæ artes (5) dicuntur

(1) §. 164. (2) §. 178. (3) §. 162.
(4) §. 135. (5) Artes, inquam, liberales, de quibus Cicero 3. de Orat. *Artes* ait, *quibus liberales doctrinæ, & ingenuæ continentur, Geometria, Musica, litterarum cognitio, & Poetarum.* Dicuntur autem liberales, quia liberum, & ingenuum hominem potissimum decent; resplendet enim in illis ratio, secundum quam homo liber est. At vero artes mechanicæ censentur serviles, quia manibus, & corporis labore indigent. Et idcirco S. Thomas 1. 2. q. 57. a. 3. ad 3. ait: » Quicumque ad hujus-

quæ non modo veritatem contemplantur, sed etiam aliquod opus efficiunt, ut mensurare, numerare &c. Sic Arithmetica, & Geometria dicuntur artes (1). Quo sensu Cicero (2): *Ars*, inquit, *est præceptio, quæ dat certam viam, rationemque faciendi.* Atqui Logica non modo veritatem contemplatur, sed etiam aliqua opera facit, definitiones, divisiones, propositiones, argumentationes. Est igitur ars per quamdam similitudinem; & idcirco Tullius eam appellat (3) *artem bene disserendi.*

195. Ad primum neg. min. Non enim repugnat, instrumentum esse ejusdem rationis cum re effecta, veluti cum malleus malleo efficitur. Instrumenta quidem artis non sunt ars, quia hæc est in mente, illa sunt extra animam. At Logica, sicut aliæ scientiæ, in mente est. Addimus, Logicam proprie non esse instrumentum aliarum scientiarum, sed potius instrumentum intellectus ad sciendum: dicitur autem instrumentum, quia non ut aliæ scientiæ de rebus, sed de sciendi instrumentis agit.

196. Ad secundum dist. ant. Logica ut dialectica procedit ex probabilibus, quatenus est utens conc. quatenus est docens, nego. Ita S. Thomas (4): *Dialectica*, inquit, *potest considerari secundum quod est docens, & secundum quod est utens. Secundum quidem quod est docens, habet considerationem de istis intentionibus* (generis, scilicet, differentiæ, speciei, propositionis &c.) *instituens modum, quo per eas probabiliter procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas, & hoc demonstrative facit, & secundum hoc est scientia. Utens vero est, secundum quod modo adjuncto utitur ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientiis, & sic recedit à modo scientiæ. Et similiter dicendum est de sophistica, quia prout est docens, tradit per necessarias, & demonstrativas rationes modum arguendi apparenter. Secundum vero quod est utens, deficit à progressu veræ argumentationis.*

197. Ad tertium neg. min. Nam ut advertit S. Thomas (5), *etiam de non scibili scire possumus, quod non scitur, &*

» modi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quam-» dam similitudinem artes, scilicet, liberales ad differentiam illarum » artium, quæ ordinantur ad opera per corpus exercita, quæ sunt quo-» dammodo serviles, in quantum corpus serviliter subditur animæ, & » homo secundum animam est liber.“

(1) S. Thom. loc. cit. (2) 1. ad Heren. (3) L. 2. de Orat.
(4) 4. Metaph. lect. 4. (5) 7. Metaph. lect 4.

de non ente, quod non est. Ut enim aliquid sciatur, sufficit, ut de ipso fieri possint propositiones certæ, & perspicuæ ex principiis certis, & exploratis. Hæ autem propositiones de ente rationis fieri possunt, ut dictum est (1). Hoc autem modo ens rationis est necessarium in esse, ut inquiunt, scibili, quia necessariæ sunt propositiones, quæ de ipso fiunt.

ARTICULUS VI

Utrum Logica sit scientia theoretica, vel practica.

198. Scientiarum aliæ theoreticæ, sive speculativæ sunt, aliæ practicæ (2). Illæ in veritatis contemplatione consistunt; hæ veritatem cognitam referunt ad opus.

199. Logica autem videtur esse practica : I. Quia tendit ad opus ; non enim præcepta tradit, ut in eis sistat, sed ut ad usum progrediatur.

200. II. Boetius (3) scientiam speculativam dividit in naturalem, mathematicam, & Divinam.

201. III. S. Augustinus (4) docet, Logicam necessariam esse conteplationi, & actioni. Ergo saltem erit practica, quatenus actioni deservit.

Propositio. I. *Logica non est simul theoretica, & practica.* II. *Sed theoretica dumtaxat.* III. *Habet tamen quamdam similitudinem cum scientiis practicis.*

202. Prob. 1. p. Nulla scientia ordinis inferioris potest

---

(1) §. 195.

(2) Clemens Alex. Strom. 6. pag. 660. *Veritatis*, ait, *alia quidem est pars, quæ versatur in cognitione, alia vero in actione : profluxit autem à contemplatione.* Origines item Hom. 1. in Lucam : *Cujusdam doctrinæ*, inquit, *finis est ipsa doctrina, alterius vero doctrinæ finis in opere computatur. Verbi gratia. Scientia geometriæ finem habet ipsam tantum scientiam atque doctrinam. Alia vero scientia est, cujus finis opus exigit : velut in medicina oportet, me rationem, & dogmata scire medicinæ, non ut tantummodo noverim quid debeam facere, sed ut faciam, id est, ut secem vulnera, victum moderatum, castigatumque disponam, æstus febrium in pulsu venarum sentiam.... Quæ si quis tantum sciverit, & non opere fuerit subsequutus, causa erit ejus scientia.* Vide insuper S. Ambrosium l. 1. Hexam. c. 5.

(3) De Trinit. (4) L. 8. de Civ. c. 4.

esse theoretica simul & practica (1) : nam sicut unitas scientiæ pendet ex unitate principiorum , ut S. Thomas ostendit (2); ita ex diversitate principiorum oritur diversitas scientiarum. Principia autem theoretica diversa sunt à principiis practicis; hæc enim , ut supra diximus (3) habent pro fine opus , illa unice sistunt in contemplatione veritatis. Atqui Logica est scientia ordinis inferioris cum sit instrumentum sciendi , ut dictum est (4). Igitur esse non potest theoretica simul , & practica.

203. Prob. 2. p. Scientia theoretica , ut diximus (5) differt à practica , quia hæc veritatem cognitam refert ad opus, illa pro fine habet cognitionem veritatis. Sed Logica veritatis cognitionem pro fine habet , non veritatem cognitam refert ad opus ; non enim præcepta tradit recte definiendi , enunciandi, arguendi &c. ut in iis præceptis sistat , sed ut per ea præcepta veritas deprehendi possit : & idcirco Tullius (6) Logicam vocat *artem vera & falsa dijudicandi.* Est igitur scientia theoretica , non practica.

204. Prob. 3. p. Logica habet quamdam similitudinem cum arte , ut est probatum (7). Sed artes sunt practicæ. Ergo Logica habet similitudinem quamdam cum scientiis practicis.

205. Ad primum dist. an. tendit ad opus , ut ad finem, nego , ut ad medium pro cognoscenda veritate , conc. Scientia est practica , si pro fine habet opus , minime vero si opus refert ad cognitionem veritatis ; alioquin Geometria practica foret , quia multa instituit problemata , id est , propositiones practicas , v. g. ad dividendam rectam lineam , ad excitandam perpendicularem. Logica autem opera quæ facit , refert ad cognoscendam veritatem , ut dictum est (8).

206. Ad secundum dicimus cum S. Thoma (9) *Logicam non contineri sub Philosophia speculativa ut principalem partem, sed ut quoddam reductum ad ipsam , quia res de quibus agit, non quæruntur propter seipsas.* Et idcirco inter scientias speculativas principales , quas Boetius enumerat , non recensetur.

207. Ad tertium dicimus , etiam scientias practicas aliquo modo speculari veritatem (10) : quare Logica ad illas requiritur , ut aliquo modo speculativæ sunt.

---

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 4. (2) 1. Poster. lect. 41.
(3) §. 199. (4) §. 164. (5) §. 199. (6) L. 2. de Orat.
(7) §. 194. (8) §. 204. (9) Opusc. 70. q. 5. a. 1. ad 2.
(10) Vide S. Thom. 1. p. q. 14. a. 16.

QUÆSTIO III.

De Perceptione.

208. Quoniam divisio Logicæ accipitur ex diversitate actuum rationis, ut supra dictum est (1), ad Logicæ expositionem intendentes, tractabimus: 1. de omni eo quod requiritur ad recte percipiendum: 2. de requisitis ad recte judicandum, sive enunciandum: 3. de requisitis ad recte ratiocinandum.

209. Porro ad recte percipiendum, plurimum refert scire cum naturam ipsius perceptionis, tum perceptionum diversitatem hæc autem diversitas pendet ab ideis; quare 1. agemus de natura perceptionis: 2. de ideis.

210. Ut autem innotescat natura perceptionis, quæremus: 1. an perceptio sit motio corporalis: 2. an possit oriri ex partibus materiæ diversimode dispositis: 3. an distinguatur à sensatione: 4. an sit actio, vel passio.

ARTICULUS I.

Utrum perceptio sit motio corporalis organorum sensoriorum, & cerebri.

211. Arbitrati fuerunt olim Democritus, Leucippus, & Epicurus, cum sensionem, tum intellectionem advenientibus extrinsecus corporeis imaginibus fieri, quarum subtiliores in animum penetrarent, ipsumque lacessendo efficerent, ut imaginaretur & cogitaret (2). Hos auctores sequutus est Thomas Hobbesius (3) statuens, perceptiones nihil aliud esse, quam motiones sensuum, & cerebri, seu earum partium corporis, quibus sensio perficitur, quæque organa sensoria appellari solent (4). Ait enim,

(1) §. 167.

(2) Vide Plutarch. l. 4. de Plac. c. 8. & S. Thom. 1. de anima lect. 5.

(3) Elem. Phil. c. 25. & in Leviathane p. 1. c. 3.

(4) Id consequens erat ex alio Hobbesii principio, quo statuit in Leviathane c. 34. non solum nullam esse substantiam incopoream, sed hæc duo nomina, *substantia incorporea*, mutuo se destruere. Videlicet Hobbesius ex eorum numero erat, qui ut S. Augustinus ait l. 8. de Civ. c. 5. *id solum cogitare potuerunt, quod cum eis corda eorum obstricta carnis sensibus fabulata sunt.*

inmediatum sensionis causam esse id quod primum tangit, & premit organum sensionis; sic autem pressa, & cædente extima organi parte, premi aliam illi proximam versus interiora, atque ita propagari pressionem usque ad intimam partem: & cum in hac pressione fiat resistentia quædam, & contrarius conatus organi, ait, perceptionem existere, cum pervenitur ad ultimum conatum internum organi (1).

212. Videtur autem in his motibus perceptio posita: I. Quia nisi in iis constitueretur, ratio reddi non posset, cur male affectis organis sensuum, læsove cerebro, perceptiones non recte fiant; nam actio, quæ ab organis non pendet, potest bene fieri, etiamsi organa male habeant. Ergo.

213. II. Inter perceptionem, & id quod percipitur, proportio esse debet. Percipimus autem corporalia. Ergo corporalium perceptio erit motio corporalis.

214. III. Si dicatur, corporalia percipi, non ut corporalia

(1) Si in mutua resistentia partium, seu in actione, & reactione posita esset perceptio, & sensatio, ut contendit Hobbesius, non video, cur etiam lignis, & lapidibus, dum se mutuo collidunt, sensus, & cognitio deneganda foret. Id quidem adserere Hobbesius non est veritus, cum scribit in Elem. Phil c. 25. *Scio fuisse viros doctos, qui corpora omnia sensu prædita sustinuerunt, nec video, si natura sensionis in reactione sola collocaretur, quomodo refutari possint.* Sed primum quidem quærimus ex Hobbesio, ut nobis dicat, ecqui fuerint viri illi docti, qui corpora omnia sensu prædita censuerunt, nisi velit doctis accensere Manichæos deliros, & ut S. Basilius Hom. 8 Hexam. n. 1. vocat *desipientes homines*, qui vitam lapidibus tribuere, ut refert S. Augustinus tract. 1. Joan. Et rursus l. de quant. ani. c. 33. n. 71. ubi scribit: *Non audienda est nescio quæ impietas (Manichæorum) rusticana plane, magisque lignea, quam sunt ipsæ arbores, quibus patrocinium præbet, quæ dolere vitem quando uva decerpitur, & non solum sentire ista cum cæduntur, sed etiam videre, atque audire credit.* Deinde quærimus ex Hobbesio: an omnia corpora, si sensu prædita forent, essent viventia, vel non viventia. Non viventia esse non possent, quia sensus est effectus, & signum vitæ. Si autem viventia essent rursus quærimus, an essent viventia per seipsa, an per aliquid aliud. Si per aliquid aliud, hoc corpus esse non posset; alioquin de ipso idem quæreretur. Si autem viverent per se ipsa, cum unaquæque corporis pars sit corpus, & in unoquoque corpore plures, imo infinitæ sint partes, jam in singulis corporibus infinita essent viventia. *Pudet me* (dicam cum Augustino Epist. 118. al. 56. n. 31. similia in Epicureis redarguente) *ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire.* Vide S. Thom. 1. p. q. 75. a. 1.

sunt, instatur, & urgetur, quia corporalia sunt essentia sua materialia. Sed ea, quorum unum est in ratione essentiali alterius, nequeunt separari ne quidem per intellectum (1). Sic nequeo concipere circulum, quin concipiam figuram, quia ratio figuræ est in ratione circuli. Igitur corporalia percipi non possunt, nisi ut corporalia.

Propositio. *Perceptio esse non potest motio corporalis organorum sensoriorum, & cerebri.*

215. Prob. rationibus S. Thomæ. Prima ratio. Si perceptio esset motio corporalis, fieret per id quod tangit, & premit organa ab extima ad intimam partem, ut loquitur Hobbesius. Jam vero quod ita tangit, & premit organa, vel tangit, & premit secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem. Si tangit secundum partem: Ergo hæc tantummodo percipi poterit, numquam vero totum: quod esse nequit; intellectus enim cognoscit totum, & partem, alioquin affirmare non posset, totum esse majus sua parte. Secundum totum tangere non potest, quia corporalia ita se tangere non possunt, alioquin penetrarentur. Perceptio igitur non est motio corporalis (2).

216. Altera ratio. Corporalia non se tangunt, nisi penes extremas superficies. Si ergo perceptio fieret per id quod tangit organa, perceptio esset tantummodo de extremis superficiebus, nec solida cognosci possent. Cognoscimus autem solida, eaque clare distinguimus à lineis & superficiebus. Perceptio igitur non fit per id quod tangit organa (3).

217. Tertia ratio. Motus corporales mensurantur loco & tempore. Igitur si perceptio esset motio corporalis, ea tantum percipi possent, quæ loco, & tempori sunt alligata. Hæc autem sunt singularia; nam universalia abstrahunt ab omni loco & tempore. Perceptio ergo esset tantummodo singularium. Percipimus autem universalia. Perceptio igitur non est motio corporalis (4).

218. Quarta ratio. Intellectus reflectit supra seipsum; cognoscit enim se cognoscere. Atqui perceptio reflexa motio corporalis esse non potest: quod enim reflexe movetur motu corporali,

(1) Vide S. Thom. 3. de ani. lect. 12.
(2) Vide S. Thom. 2. con. Gen. c. 49. (3) Ibid. 6. c. 5.
(4) S. Thom. 1. Poster. lect. 42.

movetur contrariis motibus, & ad terminos oppositos (1), videlicet directe ad angulum incidentiæ, & reflexe ad angulum reflexionis : sic lapis projectus in parietem, directe movetur ad parietem, reflexe resilit à pariete. Si ergo perceptio reflexa esset motus corporalis reflexus, subjectum percipiens reflexe, deberet moveri contrariis motibus, & ad terminos oppositos. Motus autem directus terminaretur ad ipsum subjectum percipiens, esset enim motus ab extima ad intimam partem organi percipientis, ad quam proinde motio terminaretur. Igitur motus reflexus terminari non posset ad ipsum subjectum percipiens, sed ad aliquid aliud terminaretur. Non ergo subjectum percipiens reflecteret supra seipsum, neque proinde posset percipere se percipere : quod falsum est (2).

219. Ad primum redditur ratio, cur indispositis organis, perceptiones non recte fiant ; quia videlicet etsi intellectus non sit vis utens organo corporali, nihilominus ad ejus actum requiruntur actiones virtutum corporearum utentium organo corporali, scilicet, sensuum. Quare his impeditis, impeditur etiam indirecte operatio intellectus, ne recte fiat (3). Quemadmodum *quantumlibet alioquin peritus citharistes, non poteris tamen non dissonantes cantilenas exprimere, si perturbate intenderis, aut distenderis chordas chitaræ, quæ harmonice ante pulsabatur*, ut apposite Gassendus (4).

220. Ad secundum dist. maj. mens nostra percipit corporalia in universali, conc. in singulari, subdist. directe, nego, indirecte, concedo. Ut S. Thomas (5). animadvertit, triplex est gradus virtutis cognoscitivæ creatæ. Prima est actus organi corporalis, scilicet sensus : & hujus virtutis objectum sunt res corporales singulares in materia existentes. Altera neque est actus organi corporalis, neque ullo modo cum materia conjuncta, nempe intellectus Angelicus : & hujus objectum sunt res omnino incorporales, vel in seipsis, vel in rationibus, in quibus Angeli eas cognoscunt. Tertius est intellectus humanus, qui non est quidem actus organi corporalis, est tamen virtus animæ corpori unitæ : hujus autem virtutis proprium est cognoscere corporalia, non ut sensus in singulari directe, sed in notionibus universalibus, in quibus cognoscuntur indirecte

(1) Vide S. Thom. 8. Phys. lect. 16.
(2) Vide S. Thom. 1. de ani. lect 8.
(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 84. a. 7. sq.
(4) Animadv. in Epicuri Physiol. p. 582.
(5) 1. p. q. 85. a. 1.

ipsa singularia. Sic datur proportio inter corporalia quæ percipiuntur, & intellectum percipientem, quia sicut intellectus spiritualis est, ita & notiones illæ universales spirituales sunt, quamvis repræsentent corporalia; quippe universalia sunt opus intellectus, in eoque manent, cum reipsa non existant, ut infra dicemus: in intellectu autem spirituali nihil non spirituale esse potest.

221. Ad tertium dist. maj. corporalia sunt essentialiter materialia per materiam communiter acceptam, conc. per materiam singularem, nego. In lapide v. g. possum considerare, & quod est hoc corpus & ipsam communem rationem corporis. In ratione communi corporis includitur quidem materia, quia nullum corpus est, quod materia careat; verum materia inclusa in communi ratione corporis, non est hæc, vel illa materia singularis; sic enim constituit hoc, vel illud corpus singulare; sed est materia communiter accepta, quatenus est quid commune omnibus corporibus. Itaque materia communiter accepta, est de essentia rerum corporearum, non autem materia singularis, à qua proinde per intellectum separari possunt (1) res corporales.

ARTICULUS II.

Utrum materiæ partes ita disponi possint, ut fiant percipiendi, sive cogitandi capaces.

222. Joannes Lockius (2) licet mentem materiæ expertem credere se dicat Deo revelante; nihilominus arbitratur, fortasse numquam fore nos cognituros, utrum ens pure materiale cogitare possit (3).

---

(1) Vide S. Thom. q. 10. de ver. a. 4. ed 6.

(2) L. 4. de mente hum. c. 3. §. 6.

(3) Hæc nedum Christiano viro, sed & philosopho indigna dubitatio, mirifice placuit Voltaire, velut illa quæ ad evertendam animi nostri spiritualitatem, & immortalitatem proxime accedit, uti Stillingflectus ostendit. Vide Valsechium de Relig. fundam. l. 1. c. 4. §. 4. sqq. & Auctorem Operis inscripti *L' Oracle* Convers. 5. Mirandum vero, quam sibi hac in re constiterit Lokius: nam postea quam loc. cit. statuit ex versione Gallica Petri Coste ab ipso Lokio probata » Peut-être ne serons-nous jamais capables de connoître » si un Etre purement matériel pense, ou non, par la raison qu' il » nous est impossible de decouvrir pur la contemplation de nos pro- » pres idées, sans Revelation, si Dieu n' à point donnè à quelques

223. Videtur autem fieri posse, ut materia percipiat, I. quia Deus est omnipotens. Ergo potuit materiæ communicare facultatem percipiendi, quemadmodum materiæ tribuit facultatem vegetandi, & sentiendi.

224. II. Potuit Deus conjungere materiam cum anima rationali. Ergo potuit cum materia conjungere facultatem cogitandi.

225. III. Essentia materiæ est nobis ignota, ignotæ quoque sunt omnes proprietates materiæ. Igitur scire non possumus, an cogitatio sit materiæ proprietas.

226. IV. Materia plerisque est affecta qualitatibus, quæ non sunt materiales, neque divisibiles, ut gravatio, vis motrix, vegetatio, sensatio, instinctus animalium. Poterit ergo esse affecta vi cogitandi, licet hæc sit immaterialis, & indivisibilis.

Propositio. *Repugnat, partes materiæ ita disponi, ut fiant percipiendi capaces.*

227. Prob. Extensio, divisibilitas, soliditas, inertia, figurabilitas, motus, sunt ex Lockio (1) proprietates materiæ, quæ nobis innotescunt. Atqui perceptio pugnat cum hisce proprietatibus. Ergo. Probantur singulæ minores partes ex S. Thoma. Et quidem quod ad extensionem pertinet: Si perceptio non

» amas de matière disposès comme il le trouve à propos, la puis» sance d' appercevoir, & de penser. " Hoc est: *Fortasse numquam ad cognoscendum idonei erimus, cogitet necne, ens pure materiale, ob eam rationem, quia nempe deprehendere ex contemplatione nostrarum idearum, sine Revelationis præsidio, minime possumus, utrum Deus cuidam materiæ portioni dispositæ, prout opportunum ipse duxerit, tribuerit vim percipiendi, cogitandique.* Postquam, inquam, ita statuit, sui veluti oblitus, fatetur lib. 4. c. 10. §. 5. tam repugnare ideæ materiæ, ut possit percipere, quam repugnet ideæ trianguli habere angulos majores duobus rectis: » Il est aussi contraire à » l' idée de la Matière privée de sentiment, qu' elle se produise à » elle-même du sentiment de la perception, & de la connoissance, » qu' il est contraire à l' idée d' un triangle, qu' il se fasse à lui» même des angles qui soient plus grands que deux droits. " Sive: *Tam est contra ideam materiæ sensu destitutæ, ut sibi sensationem, perceptionem, cognitionemque producat; quam est contra ideam trianguli, ut sibi efficiat angulos, qui sint majores duobus rectis.* Ita scilicet sibi ipsis contradicentes suis se conficiunt armis nonnulli Philosophi recentiores.

(1) Vide, si licet, Not. ad §. 6. c. 3. l. 4. de mente humana.

pugnaret cum extensione, subjectum cogitans perciperet per contactum; nam extensa agere non possunt, nisi se tangant. Vel ergo subjectum percipiens tangeret rem perceptam secundum se totum, vel secundum partem. Secundum se totum tangere non posset, quia corporalia non se tangunt, nisi penes extremas superficies, ut dictum est (1). Si autem tangeret secundum partem, vel tangeret secundum plures partes, vel secundum unam tantum. Si secundum plures partes, jam vel multoties perciperet idem, vel quod una pars perciperet, non perciperetur ab alia, numquam vero totum perciperetur: quod esse non potest, ut dictum est (2). Si tangeret secundum unam partem tantum, vel hæc esset indivisibilis in alias partes, vel divisibilis. Si indivisibilis, jam superfluæ essent aliæ partes, & pars illa percipiens non esset extensa; extensum enim est divisibile. Si autem pars illa dividi posset in alias partes, subjectum percipiens tangeret secundum plures partes, quod fieri non potest (3). Perceptio igitur pugnat cum extensione (4).

228. Pugnat quoque cum divisibilitate. Si enim subjectum percipiens esset divisibile, jam constaret ex partibus: divisibile enim in partes dividi potest. Vel ergo subjectum illud perciperet secundum omnes partes, & sic tot essent perceptiones, quot partes, numquam vero esset una perceptio; vel perciperet secundum unam partem indivisibilem in alias partes, & subjectum percipiens esset indivisibile (5). Perceptio igitur pugnat cum divisibilitate.

---

(1) §. 216. (2) §. 215.

(3) Vide S. Thom. 1. de ani. lect. 8.

(4) Lockius de Mente hum. l. 2. c. 4. §. 5. extensionem corporis ita definit: L' ètendue du corps n' est autre chose qu' une union » ou continuitè de parties solides, divisibles, & capables de mouvement " Id est: *Extensio corporis nihil est aliud, quam unio, sive continuitas partium solidarum, divisibilium & motus capacium.* Materia autem, & corpus ex eodem Lockio idem sunt. Itaque concipi non potest materia extensa, quin concipiatur unio plurium partium solidarum, & divisibilium: proindeque non posset materia percipere, quin perciperet secundum plures partes. Necesse est autem, ut id quod percipit sit unum, alioquin numquam percipere posset totum aliquod objectum, ut dictum est. Igitur ex ejusdem Lockii principiis fieri non potest, ut materia percipiat. Vide Valsechium l. cit. c. 4. §. 9. ubi Petri Baelii Libertinorum antesignani verba refert, fatentis, insuperabilem vim huic argumento inesse.

(5) Vide rursus quam consequenter Lockius loquatur (ipse enim qui lib. 4. c. 3. §. 6. dixit, *fortasse numquam fore nos cognituros, utrum ens pure materiale cogitare possit, necne*; lib. 2. c. 23. §. 4.

229 Præterea perceptio pugnat cum soliditate, sive impenetrabilitate corporum. Nihil enim prohibet, quominus duo subjecta percipientia se invicem comprehendant. Tunc vero si solida essent, vel unum penetraret aliud, vel non penetraret. Si non penetraret, unum non perciperet aliud comprehendendo; comprehensio enim est, cum totum cognoscitur. Si se invicem penetrarent, non essent solida, quia solida sunt impenetrabilia (1). Perceptio igitur pugnat cum soliditate (2).

---

de perceptione, ratiocinatione &c. sic habet: » Voyant d' un côté, » qu' elles ne subsistent point par elles-mêmes, & ne *pouvant com-* » *prendre*, de l' autre, *comment elles peuvent appartenir au Corps,* » *ou être produites par le Corps*, nous sommes portès à penser que » ce sont des actions de quelque autre substance, que nous nommons » *Esprit.*" Videlicet: *Cum perspiciamus, illas non subsistere per seipsas; cumque comprehendere nequeamus, qua ratione pertinere ad corpus possint, aut à corpore produci; ducimur ad cogitandum, actiones extare alterius substantiæ, quam Spiritum nominamus.* Itaque Lockius ex perceptione, aliisque animæ operationibus infert existentiam alicujus substantiæ immaterialis, propterea quod comprehendere nequeamus, qua ratione operationes illæ pertinere possint ad corpus, aut à corpore produci. Hoc autem argumenti genus nihil concludit, si semel admittatur, materiam posse cogitare; nam si materia cogitare posset, operationes illæ ad corpus pertinerent, ideoque nulla esset substantia, quam *Spiritum* nominamus.

(1) Hac ratione utitur S. Thomas 2. con. Gent. c. 49.

(2) Quam fuerit Lockius philosophus in primis acutus, & consequentia, & repugnantia quam accurate viderit, perspicue etiam constat ex iis quæ scribit cit. c. §. 32. » Nous avons, *inquit*, autant de » raison de nous contenter de l' idèe que nous avons d' un Esprit » immatèriel, que de celle que nous avons du Corps, & d' être ègalement convaincus de l' existence de tous les deux. Car il n' y à pas plus » de contradiction, que la *Pensèe* existe sèparèe & indèpendante de la soliditè, qu' il y en a que la soliditè, existe sèparèe & indèpendante de la » Pensèe; la *soliditè*, & la *Pensèe* n' ètant que des idèes simples, indèpendàntes l' une de l' autre. Et comme nous trouvons d' ailleurs » en nous-mêmes des idèes aussi claires & aussi distinctes de la *Pen-* » *sèe*, que de la soliditè, je ne vois pas pourquoi nous ne pourrions pas admettre aussi bien l' existence d' une chose qui pense sans être solide; c' » est-à-dire, qui soit *immatèrielle*, que la existence d' une chose solide qui ne pense pas, c' est-à-dire de la *Matière*; & sur-tout, puisq' » il n' est pas plus difficile de concevoir *comment la pensèe pourroit* » *exister sans Matière, que de comprendre coment la Matière* » *pourroit penser.*" Quæ possunt ita Latine verti: *Contenti esse* » *possumus ideis, quas habemus, tam spiritus immaterialis, quam*

230. Idem dicendum de inertia. Siquidem ratione inertiæ materia movere non potest, nisi mota (1). Sed subjectum percipiens movet seipsum, & libere movet. Non est igitur iners. Pugnat ergo perceptio cum inertia materiæ.

231. Insuper pugnat cum figurabilitate. Quod enim est figura præditum, terminum habet; nam figura est, quæ termino, vel terminis continetur: sic triangulum continetur tribus lineis. Quod autem terminum habet, habet quoque potentiam finitam; nam finitum termino clauditur. Atqui potentia ad percipiendum est quodammodo infinita (2); possumus enim concipere species

---

corporis, ac de utriusque existentia esse æque convicti. Nam nulla major contradictio in eo est, quod cogitatio existat separata, & independens à soliditate, quam quod soliditas existat separata, & independens à cogitatione; cum soliditas, & cogitatio sint ideæ simplices, quarum una ab alia non pendet. Cum autem aliunde reperiamus in nobismetipsis ideas claras, & distinctas cogitationis, & soliditatis, non video, quare admittere nequeamus, ut existentiam rei cogitantis, quin sit solida, hoc est, immaterialis; ita existentiam rei solidæ non cogitantis, id est, materiæ; maxime quia non est difficilius concipere, quomodo cogitatio possit existere sine materia, quam comprehendere, quomodo materia possit cogitare. Hujusmodi ratiocinatio omni vi destituitur, si fieri possit, ut materia cogitet. Nam primum si materia cogitare potest, jam non sumus *æque convicti* de existentia spiritus, & corporis; non enim aliunde colligimus existentiam spiritus, quam ex cogitatione; cogitatio autem posset prodire à materia. Deinde si materia cogitare posset, cogitatio non existeret separata & independens à soliditate. Igitur plus contradictionis esset in eo, quod cogitatio existeret separata, & independens à soliditate, quam in eo quod soliditas existeret separata, & independens à cogitatione; nam soliditas sine cogitatione esse posset, cogitatio autem non esset sine soliditate; esset enim attributum materiæ. Præterea idea cogitationis non esset independens ab idea soliditatis; quia revera id quod cogitaret, solidum esset. Insuper ideæ cogitationis, & soliditatis non essent æque claræ, & distinctæ; nam idea cogitationis confunderetur cum idea soliditatis, quoties res cogitans esset solida. Numquam possemus item admittere existentiam rei cogitantis non solidæ, sive carentis materia, neque rei solidæ non cogitantis, id est, materiæ; quia numquam certi esse possemus, an res solida, hoc est, materia possit cogitare. Denique si materia cogitare posset, nullatenus concipi posset, quomodo cogitatio posset existere sine materia; nam cogitatio esset attributum materiæ: attributum autem sine subjecto, cujus est attributum, existere non potest.

(1) S. Thomas 1. p. q. 3. a. 1.

(2) Hac in re consentit Lockius l. 2. c. 13. §. 5. ubi sic scribit: „Nous nous formons l' idée que nous appellons *Figure*, qui se mul-

numerorum, figurarum, & proportionum in infinitum; percipimus etiam universalia, quæ sunt virtute infinita, quia continent singularia, quæ potestate sunt infinita. Perceptio igitur pugnat cum figurabilitate materiæ (1).

232. Denique pugnat cum motu corporali, ut dictum est (2). Itaque si materia percipere posset, esset simul, & non esset extensa, divisibilis, solida, iners, figurata, & mota motione corporali. Esset quidem, quia hæc sunt attributa materiæ. Non esset, quia hæc attributa pugnant cum perceptione, ut est demonstratum. Fieri ergo non potest, ut materia percipiat.

233. Ad primum neg. cons. Nam ea quæ contradictionem implicant, non continentur Divina Omnipotentia; hæc enim est ad dandum esse rebus: contradictoria autem non possunt esse simul vera; nam unum destruit aliud. Quare potius est dicendum, ea fieri non posse, quam Deum non posse illa facere (3). Ostensum est autem, contradictionem esse in eo, quod materia cogitet. Nulla est autem contradictio, quod in ma-

---

» tiplie dans l' esprit avec une infinie varietè. Car outre le nombre » prodigeux de figures differentes qui existent rèellement en diverses » masses de matière, l' esprit en à un fonds absolument inépuisa- » ble par la puissance qu' il à de diversifier l' idèe de l' Espace, » & d' en faire par ce moyen de nouvelles compositions, en rèpè- » tant ses propres idèes, & les assemblant, comme il lui plait. C' » est ainsi qu' il peut multiplier les Figures à l' infini. " *Nobis formamus ideam, quam appellamus figuram, quæ penes spiritum multiplicatur infinitis modis. Nam præter numerum admirandum differentium figurarum re ipsa existentium in variis materiæ partibus, spiritus habet illarum copiam prorsus inexhaustam, ratione potentiæ, qua præditus est, variandi ideam spatii, atque hac ratione aliter, atque aliter componendi, suas repetendo ideas, easque, ut libet, conjungendi. Sic autem potest multiplicare figuras in infinitum.* Explicet autem Lockius, qui fieri possit, ut materia hanc potestatem habeat multiplicandi in seipsa ideas figurarum in infinitum. Materia ut perciperet, deberet existere in seipsa; operationes enim sunt rei existentis in seipsa. Omne autem corpus existens, figuratum est; siquidem figura, ut Recentiores autumant, est modificatio materiæ; nec realiter distinguitur ab ipsa materia. Materia igitur percipiens, figurata esset; atque adeo terminis contineretur; haberet ergo potentiam finitam; itaque non posset in seipsa multiplicare ideas figurarum in infinitum. Hanc potestatem tribuit Lockius subjecto percipienti. Igitur materia non potest esse subjectum percipiens.

(1) Desumpta est hæc ratio ex c. 49. 2. con. Gent.

(2) §. 215. sqq. (3) Vide S. Thom. 1. p. q. 25. a. 3.

teria sit facultas vegetandi, & sentiendi; siquidem vegetatio, & sensatio fiunt in corpore, & dependent ab organis corporalibus; ideoque non sunt actiones neque solius animæ, neque solius corporis, sed, ut loquitur S. Thomas (1), totius conjuncti. Perceptio autem non fit in corpore, neque per organa corporalia, ut dictum est (2); ideoque est solius animæ.

234. Ad secundum neg. cons. nam dum anima unitur materiæ, non progreditur à materia; at perceptio deberet progredi à materia, si materia perciperet; esset enim actio materiæ: actio autem progreditur ab agente.

235. Ad tertium neg. ant. licet enim essentiales rerum differentiæ in se ipsis sæpe à nobis ignorentur (3); innotescunt tamen per proprietates. Proprietates autem materiæ attributæ pugnant cum perceptione, ut est demonstratum (4). Neque necesse est novisse universas proprietates materiæ, ut negemus, materiam non posse percipere; sufficit enim noscere, perceptionem nullo modo compati posse cum proprietatibus, quas novimus; alioquin cum nemo noverit naturam Divinam, ejusque attributa in seipsis, posset etiam quis dubitare, an materia sit ipsum primum Ens ab æterno existens (5).

236. Ad quartum, negamus, gravitatem non esse quali-

(1) 1. p. 84. a. 6. (2) §. 215.

(3) Vide S. Thom. q. 9. de pot. a. 2. ad 3. (4) §. 227. sqq.

(5) Ut S. Augustinus scribit l. 10. de Gen. ad litt. c. 24. »Nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quam ut credito »quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur.“ Hanc consequutionem prævidit Lockius; & licet conetur eam cavere, cum scribit l. 4. c. 3. §. 6. „j' aye prouvè, si je ne me trompe (liv. IV. »Ch. X.) que c' est une parfaite contradiction de supposer que la Ma»tière, qui de sa nature est èvidemment destituée de sentiment, & »de pensée, puisse être ce Premier Etre pensant qui existè de toute èternitè.“ *Jam probavi, ni fallor (l. 4. c. x.). perfectam in eo esse contradictionem, quod materia, quæ natura sua est evidenter destituta sensu, & cogitatione, esse possit hoc Primum Ens cogitans, quod ab æterno existit.* Nihilominus videat, an id persuadere aliis facile possit, præsertim postquam censuit, spatium natura sua esse impenetrabile, æternum, necessarium, infinitum; materiam vero nihil aliud esse, quam portionem quamdam hujus spatii, cui à Deo communicata est impenetrabilitas. Vide, si licet, not. 2. ad §. 18. c. 10. l. 4. laudati Op. Lockii Edit. Amstelod. ann. 1755. pag. 523. Sane intelligere nemo potest, qua ratione affirmet Lockius, materiam, cujus naturam ignorare se dicit, *natura sua* evidenter destitutam esse sensu, & cogitatione; nisi uno eodemque tempore affirmet simul & neget, naturam materiæ sibi esse evidenter perspectam.

tatem materialem, nec posse dividi; est enim gravitas accidens corporis, & proportionalis massæ; ideoque divisibilis ad divisionem massæ. Sane duplum gravitatis est in corpore duarum librarum ad corpus unius libræ. Negamus pariter, vim motricem in corpore non posse dividi; communicatur enim partibus corporis, estque proinde in ratione earumdem partium; nam si vis motrix in toto corpore est ut duo, in dimidio corpore erit ut unum. Ad id quod additur de vegetatione, sensatione, & instinctu responsio patet ex dictis (1); siquidem instinctus brutorum sensatio est. Verum his de rebus agemus copiosius, cum de animæ nostræ immaterialitate disseremus.

ARTICULUS III.

Utrum perceptio distinguatur à sensatione.

237. Sensatio communis est omnibus sensibus cum externis, tum internis; in hoc tamen differt, quia sensus externi feruntur in rem corporalem singularem præsentem; non possum enim videre, nisi quod præsens est: sensus autem interni feruntur etiam in rem corporalem singularem absentem, cujus imago in cerebro depicta est (2).

238. Notissimi sunt quinque sensus externi, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Interni autem sunt quatuor (3), I. Sensus communis, sive commune sensorium, quo discernimus inter sensibilia sensuum externorum, v. g. inter sonum, & saporem: quod sensus externi facere non possunt, quia sunt alligati determinatis objectis (4). II. Phantasia (5), seu vis qua

(1) §. 233. (2) Vide S. Th. 1. p. q. 78. a. 4. (3) Postremi philosophi longe aliter sentiunt de internorum sensuum numero; sed hac de re alias.

(4) Vide S. Thomam 1. p. q. 74. a. 4. Consule etiam S. Augustinum l. 2. de lib. arb. c. 5. n. 12. ubi Evodio dicenti: *Non se videre, aut non videre sensus oculi videt; & quia non videt, non potest quid sibi desit, aut quid satis sit judicare; sed ille interior, quo admonetur & anima bestiæ aperire oculum clausum, & quod deesse sentit, implere*: Augustinus respondet: *Cernis ergo istum etiam corporis sensum de corporibus quodam modo judicare? Ad illum enim pertinet voluptas, & dolor, cum vel leniter, vel aspere corpore attingitur. Nam sicut ille interior quid desit, vel satis sit oculorum sensui judicat: sic ipse sensus oculorum quid desit, vel satis sit coloribus judicat ... Non necesse est cæteros sensus corporis persequi: jam enim, ut opinor, animadvertis quid velim dicere, ita scilicet sensum illum interiorem de istis corporis sensibus judicare .. quemadmodum & ipsi corporis sensus de corporibus judicant.* (5) Phantasia dicitur à

phantasmata formamus. Est autem phantasma, ut S. Thomas definit (1), *similitudo rei particularis* (2). III. Æstimativa, seu facultas utilia sumendi, noxia respuendi (3), quam in brutis etiam videmus (4). Hæc autem in homine appellatur cogitativa, sive ratio particularis (5). IV. Memoria, quæ in subita recordatione præteritorum posita est (6).

græca voce Φῶς, *lux*. Vide S. Thomam 3. de ani. lect. 6. Illam Cicero l. 4. Acad. *visum* appellat. Deduci etiam potest à verbo Φάινω, in lucem edo, ostendo, appareo; quod per eam fictæ imagines fiant, & appareant. (1) 1. p. q. 84. a. 7. ad 2.

(2) Ut S. Thomas animadvertit 1. p. q. 12. a. 9. ad 2. aliquando evenit, ut à nobis aliquod formetur phantasma, quod numquam fuit acceptum per sensus exteriores eo modo quo est in phantasia. Hoc posterius genus phantasmatis S. Augustinus l. 6. de Musica c. 11. n. 32. phantasma appellat, prius autem illud vocat phantasiam. *Aliter*, inquit, *cogito patrem meum, quem sæpe vidi, aliter avum, quem numquam vidi. Horum primum phantasia est, alterum phantasma.* Et licet addat: » Quomodo autem oriantur hæc, & invenire, & explicare difficile est" ait nihilominus: » Arbitror tamen, » quod si numquam humana corpora vidissem, nullo modo ea pos» sem visibili specie cogitando figurare."

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 78. a. 4.

(4) Consule S. August. in Psal. 148. n. 3. sic scribentem: » Pe» cora etsi sensum interiorem rationalem, & mentem intelligentem, » atque discernentem non habent, quam homo habet: habent tamen » vitam manifestam, sicut omnes novimus, appetendi cibum, utilia » sumendi, noxia respuendi, sensus corporalia discernendi." Vide Senecam Epist. 121.

(5) Conser S. August. l. 9. de Trin. c. 9. ubi in cogitatione quatuor species distinguit.

(6) Vide S. Thom. loc. cit. & S. August. l. con. Epist. Fundamenti c. 17. ubi memoriam & in bestiis deprehendit, quia *& per loca nota sine errore jumenta pergunt, & cubilia sua bestiæ repetunt, & canes dominorum suorum corpora recognoscunt, & dormientes plerumque immurmurant, & in latratum aliquando erumpunt: quod nullo modo possent, nisi in eorum memoria visarum, vel certe per corpus utcumque sensarum rerum versarentur imagines.* In homine præter memoriam, reperitur etiam reminiscentia, quæ cum inquisitione conjuncta est, ut docet S. Thomas 1. p. q. 78. a. 4. & S. Augustinus l. 10. Confess. c. 19. ubi explicans, quid sit reminisci, ait: *Quid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit cum obliviscimur, & quærimus, ut recordemur? Ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio offeratur, respuimus, donec illud occurrat, quod quærimus: & cum occurrit dicimus. Hoc est; quod non diceremus, nisi agnosceremus, nec agnosceremus, ni-*

239. Juniores Philosophi arbitrantur, sensationes universas nihil esse aliud, quam mentis perceptiones, & cogitationis modificationes, ita ut mens dicatur intelligere, cum se convertit ad res immateriales; dicatur sentire per sensus interiores, vel exteriores, cum advertit motus qui fiunt in eorum organis (1).

240. Videtur autem ita dicendum : I. quia ut S. Augustinus ait (2) : „Dolores qui dicuntur carnis, animæ sunt in car„ne, & ex carne.“ Igitur sensationes sunt animæ perceptiones.

241. II. Quandiu animus in alia distrahitur, dolorem non sentimus. Qua in re S. Augustinus (3) exemplum ponit Presbyteri Restituti, qui *ita se auferebat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum bellicantes, atque pungentes minime sentiret; sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere.* Ergo sensatio non in illis motibus : sed in eorum perceptione posita est.

242. III. Dormientes, vel aliqua vi morbi impediti, non sentiunt impressiones, quæ fiunt in sensibus corporis. Ergo.

243. IV. Ex anatomia organorum sensuum constat, organa illa componi ex fibris è cerebro originem ducentibus, & per singula membra ita extensis, ut unum earum extremum sit in cerebro, alterum in externis corporis partibus; nec moveri possit unum extremum, si corpus bene valeat, quin statim moveatur alterum, ad instar chordæ, cujus extrema parte mota, moventur cæteræ usque ad aliam extremam. Atqui dum movetur extrema pars fibræ in cerebro, tunc anima attendit ad motum totius fibræ, & tunc habetur sensatio. Hæc igitur in sola mentis perceptione consistit.

244. V. Denique si cognitio sensitiva esset à sensu, & non à mente, jam redirent contradictiones adversus Hobbesnum, & Lockium inductæ. Est igitur á mente, licet occasione motuum, qui fiunt in sensu.

---

si meminissemus. Certo ergo obliti fueramus. An non totum exciderat? Sed ex parte qua tenebatur, pars alia quærebatur. Tamquam si homo notus, sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, & nomen ejus obliti requiramus; quidquid occurrerit non connectitur, quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respuitur, donec illud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inæqualiter adquiescat.

(1) Eadem fuit olim Stoicorum opinio, qui teste Plutarcho *de Placitis* l. 4. c. 23. putabant, *affectiones quidem in locis esse affectis, sensus autem in animæ principe parte.* Idem sensit Plato. Vide S. Th. 1. p. q. 77. a. 5. ad 3.

(2) L. 14. de Civ. c. 15. (3) L. eod. c. 24.

Propositio. *Sensationes non possunt in mentis perceptione consistere.*

245. Prima ratio. Perceptio menti inest per seipsam, nullo medio corpore, etiam cum mens percipit corporalia, alioquin mens esset vis utens organo corporali, quod esse non potest, ut dictum est (1). Atqui sensationes non insunt animæ per seipsam, sed medio corpore; pendent enim ab organis corporalibus. Non consistunt igitur in mentis perceptione (2).

246. Altera ratio. Sensationes sunt rerum corporalium, & singularium dumtaxat, ut dictum est (3); incorporalia enim, & universalia in sensus non cadunt (4). Atqui perceptiones esse non possunt directe de rebus corporalibus singularibus, ut dictum est (5). Igitur sensationes non possunt esse perceptiones mentis (6).

247. Tertia ratio. Sensationes communes sunt homini, & cæteris animalibus (7); hæc siquidem habent, ut homo, organa apta ad sentiendum: natura autem nihil frustra operatur. Atqui in cæteris animalibus nulla est mens, ideoque nulla perceptio, ut alibi ostendemus. Sensationes ergo consistere

---

(1) §. 215. sqq.

(2) Vide S. Thom. de sensu, & sensato lect. 1.

(3) §. 237.

(4) Quodlibet incorporale, & universale unum est; neque enim partes habet, in quas dividatur. *Unum vero*, ut S. Augustinus animadvertit l. 2. de lib. arb. c. 8. n. 21. *quisquis verissime cogitat, profecto invenit, corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu adtingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur: corpus est enim, & ideo habet innumerabiles partes.*

(5) §. 220. S. Augustinus Epist. 147. al. 112. c. 16. n. 38. *Quæ*, inquit, *per corpus videntur, nisi mens adsit, quæ talia nunciata suscipiat, nulla possunt scientia contineri; & quæ nunciata quasi suscipere perhibetur, foris ea relinquit. Sed eorum imagines, id est, incorporeas similitudines corporum, incorporaliter commendat memoriæ.*

(6) Vide S. Thom. 2. con. Gen. c. 66. & 1. p. q. 85. a. 1.

(7) De sensationibus sensuum externorum S. Augustinus Serm. 43 al. 27. de ver. Apost. »Sentimus, *inquit*, quinquepartitus corporis notus »est sensus..... Sed hunc habent & bestiæ.« De sensationibus autem sensuum internorum idem Augustinus l. 12. de Trin. c. 2. scribit: »Possunt & pecora & sentire per corporis sensus extrinsecus corporalia, »& ea memoriæ fixa reminisci, atque in eis appetere conducibilia, »fugere incommoda.«

nequeunt in mentis perceptione (1).

248. Ad primum neg. cons. Etenim sensationes, ut dictum est (2), non sunt neque solius animæ, neque solius corporis, sed totius conjuncti, id est; compositi ex anima & corpore (3). Quia vero operationes tribuuntur formæ; est enim hæc earum radix, ac veluti fons; proinde Augustinus docet, dolores qui sunt carnis, esse animæ in carne, & ex carne; sensatio enim doloris in carne est ab anima tamquam ab ejus radice; quandoquidem nisi caro animata foret, nullum sentire posset dolorem.

249. Ad secundum neg. ant. Aliud enim est sensatio doloris, aliud animadversio sensationis doloris (4). Qui ad alia distrahitur, dolorem quidem sentit, si reipsa corpus patiatur, sed non animadvertit sensationem doloris (5).

---

(1) Vide S. Thom. 2. con. Gen. c. 66. (2) §. 233.

(3) Vide S. Thom. de sensu, & sensato lect. 1.

(4) Ad rem S. Augustinus l. 9. de Trin. c. 8. n. 15. *Sæpe coram loquentem nobis aliquem, aliud cogitando, non audisse nobis videmur. Falsum est autem: audivimus enim, sed non meminimus, subinde per aurium sensum labentibus vocibus, alienato nutu voluntatis, per quem solent infigi memoriæ. Verius itaque dixerimus, cum tale aliquid accidit, non meminimus, quam non audivimus. Nam & legentibus evenit, & mihi sæpissime, ut perlecta pagina, vel epistola, nesciam quid legerim, & repetam. In aliud quippe intento nutu voluntatis, non sic est adhibita memoria sensui corporis, quomodo ipse sensus adhibitus est litteris. Ita & ambulantes intenta in aliud voluntate, nesciunt qua transierint: quod si non vidissent, non ambulassent, aut majore intentione palpando ambulassent, præsertim si per incognita pergerent: sed quia facile ambulaverunt, utique viderunt, &c.*

(5) Addimus, fieri posse, ut quis ad alia distentus dolorem aliquando non sentiat, si dolor non sit valde intensus. Quia enim, ut advertit S. Thomas 1. 2. q. 37. a. 1. potentiæ animæ sunt in ejus essentia tamquam in radice; necesse est, ut intentio animæ quò vehementius trahitur ad operationem unius potentiæ, eò magis retrahatur ab operatione alterius. Quare fieri potest, ut anima tam vehementer in aliquam rem mente feratur, ut non sentiat externum dolorem, si non sit valde intensus, quia tunc vehemens mentis attentio alteri rei, impedit operationem potentiæ inferioris. Verum quia dolor sensibilis maxime trahit ad se intentionem animæ, ut ibidem Angelicus observat, & quisque experiendo deprehendit, evenit, ut homo ad alia distrahi difficile possit, cum dolor est intensus. Hinc idem S. Thomas de sensu, & sensato lect. 17. ait, ex eo quod major motus repellit minorem, *provenire multoties, quod ea quæ jacent sub oculis, homines non sentiunt, prop-*

250. Ad id quod additur ex S. Augustino, respondemus, nihil inde confici posse; nam ut idem Augustinus (1) ibidem scribit, motiones, & affectiones, quæ in Presbytero illo videbantur, accidebant *extra usitatum naturæ modum mirabiliter*. Argumentari autem velle ex rebus mirabilibus contingentibus extra consuetum naturæ modum, ad probandum id quod ex usitatis naturæ legibus fit; hominis est abutentis aliorum patientia.

251. Ad tertium neg. cons. nam somnus, & vis morbi sunt veluti vincula sensuum: Ligatis autem sensibus sensationes minime fiunt.

252. Ad quartum neg. min. Nam primum quidem probandum adversariis esset, tunc haberi sensationem, cum anima attendit ad motum fibræ in cerebro: quod hactenus factum nescimus (2). Deinde, si tunc sensatio v. g. doloris haberetur

---

ter alium fortiorem motum, vel interiorem, sive rationis, sicut cum homines aliquando vehementer intendunt ad aliquid; sive appetitivæ virtutis, sicut cum homines vehementer timent: vel etiam exteriorem alicujus sensibilis, sicut cum homines audiunt magnum sonum.

(1) Exemplum Presbyteri Restituti Augustinus ponit, ut probet, humana membra potuisse in statu innocentiæ servire voluntati humanæ ad propagandam prolem absque ulla libidine. Propterea post allatum illud exemplum scribit: *Cum itaque corpus etiam nunc quibusdam, licet in carne corruptibili hanc ærumnosam ducentibus vitam, ita in plerisque motionibus & affectionibus extra usitatum naturæ modum mirabiliter serviat; quid causæ est, ut non credamus, ante inobedientiæ peccatum, corruptionisque supplicium, ad propagandam prolem sine ulla libidine servire voluntati humanæ humana membra potuisse?* Jure igitur, ac merito bonam fidem desideramus in Auctore operis *de Arte cogitandi*, sive Arnaldus, sive quisquis alius ille fuerit qui p. 1. c. 6. præfatum exemplum ex Augustino depromsit ad probandum universim, nos dolorem non sentire, cum mens vehementi applicatione alias distrahitur.

(2) Neque, ut quidem arbitramur, umquam fiet: nam quod ajunt, ita posse contingere ex lege à Deo posita, ut excitatis in corpore quibusdam motibus, similes in anima perceptiones excitentur, petitio est principii, quandoquidem hoc est quod quærimus, an revera posita hujusmodi lex sit. Præterea cum ad id quod potuit Deus facere juniores Philosophi se vertunt, nonne ad sacram anchoram confugiunt? quod tamen scholasticis exprobrant. Rursus ex eo quod potuit Deus ita facere, quisnam concludet, ita fecisse, nisi regularum Dialecticæ sit plane ignarus? Itaque probandum hisce Philosophis remanet, qua ratione anima attendat ad motum fibræ in cerebro, hoc est, qua ratione ex motu corporali fiat in substantia spirituali animæ perceptio spiritualis.

dum moveretur extrema pars fibræ in cerebro, non posset quis dolorem in pede, vel in manu sentire (1), sed dolor esset tantum in anima percipiente motum fibræ. Quis autem, nisi omnem omnino sensum exuerit, dixerit, infirmum podagra, aut chiragra laborantem, non pedibus, vel manibus, sed anima extremas partes fibræ motas percipiente dolere (2)? Pos-

---

Quid vero si ne propagari quidem motus exacte possit per nervos usque ad cerebrum? Kenelmi Digbyi verba referam: » Probabile non est, » *inquit*, impressione ad sensum delata, eam inde ad cerebrum deri- » vari, vel destinatum fuisse à natura nervum tamquam instrumentum » determinato cuipiam motui continendo idoneum. Nam si expendas » modum, quo fidiculæ, alterive id generis medio impressi motus ab » iisdem propagentur, videbis, ut id sonore ac perfecte fiat, debere fi- » diculam illam, seu medium ad justam longitudinem cum firmitate » quadam intendi. Nervorum autem in corpore situs rectus non est, » sed inflexus: laxiores item sunt & flaccidi, nisi cum spiritibus eò in- » fluentibus intumescunt: carni item aliisque corporis partibus alligan- » tur, quæ cum ex facili cedant, ictum necesse est hebetent, nec per- » mittant procul devehi. Denique nervi proprio cuidam ac naturali » dilatationis ac contractionis motui identidem obnoxii sunt: quæ sane » dispositio parum apta est corpori in vehiculum simplicis cujusdam » motus destinato, quod nempe alta quiete frui deberet, apices omnes, » ac veluti momenta deferendi motus exacte recepturum, & scrupulo- » se, ut ita dicam, observaturum. Itaque, quod ad me attinet, non » possum mihi persuadere, nervorum ministerium ad hujusmodi effectus » productionem à natura destinatum fuisse. "

(1) Quoniam in S. Augustini auctoritate præsidium ponit Auctor *de Arte cogitandi* p. 1. c. 9. audiat eumdem Augustinum scribentem l. 21. de Civ. c. 3. n. 2. » Animæ est dolere, non corporis, etiam quando ei » dolendi causa existit à corpore, *cum in eo loco dolet*, ubi læditur » corpus..... Dolet itaque anima cum corpore *in eo loco ejus*, ubi ali- » quid contingit, ut doleat. " Ex Augustino igitur anima dolet in pede, si pes lædatur, non vero in cerebro, dum movetur extrema pars fibræ, cujus alia extrema pars reperitur in pede.

(2) Idem Auctor loc. cit. putat, ex iis quæ statuit de sensu doloris, intelligi facile posse, quomodo anima à corpore separata torqueatur igne inferni, vel Purgatorii, imo eumdem dolorem sentiat, quo quis afficeretur, si admoto igne ureretur; quia videlicet dolor ustionis, cum anima unita erat corpori, in ipsa erat, non in corpore, dolorque ille nihil erat aliud, quam animæ tristitia ob ea quæ in corpore agebantur. Verum si ita se res haberet: 1. quilibet dolor tristitia foret; ideoque male S. Augustinus dixisset l. 21. de Civ. c. 3. n. 2. *Dolet anima cum corpore in eo loco ejus, ubi aliquid contingit, ut doleat. Dolet & sola, quamvis in corpore, cum aliqua causa etiam invisibili tristis est ipsa,*

tremo fieri posset, ut alicui manus, aut pes doleret, tametsi manus, vel pes amputatus ei fuisset (1). Itaque licet fateamur cum S. Thoma (2), operationes sensuum perfici in cerebro, à quo omnes nervi originem ducunt; nihilominus sicut spiritus animales à cerebro per nervos usque ad extremas fibrarum partes perveniunt; ita sensatio, quæ fit per spiritus animales, à cerebro extenditur ad easdem extremas partes (3). Quamvis ergo cognitio sensitiva perficiatur in cerebro ex motibus fibrarum, quarum extremæ partes sunt in cerebro (4); non omnis tamen sensatio in cerebro fit.

253. Ad quintum neg. ant. Nam cognitio sensitiva fit quidem per organa corporalia (5); est vero ab anima tamquam à radice, ut dictum est (6): anima autem neque extensa est, neque divisibilis.

---

corpore incolumi. Dolet etiam non in corpore constituta. 2. Nihil esset mirum in eo quod substantiæ incorporeæ patiantur ab igne corporeo; non enim revera paterentur ab igne, sed ipsæ sibi essent causa tristitiæ. Augustinus autem lib. cit. c. 10. docet: *quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi.* 3. Si tristitia illa unice constitueret in animabus separatis dolorem ustionis ex igne corporeo, nihil damnatis accederet pœnæ post animarum unionem cum corpore; neque enim ex combustione corporali quidquam amplius doloris paterentur, propterea quod dolor ustionis nullo modo in eorum corporibus, sed in animabus dumtaxat esset. Vide S. Thom. Suppl. 3. p. q. 70. a. 3.

(1) Minime dubitat idem Auctor loc. cit. adserere, posse illi manus dolere, qui manibus caret. Tanta est præjudicatarum opinionum vis. Reliquum erit, ut ambulare etiam possit, qui pedibus caret. Videlicet Auctor ille tam acute perspexit, ut distinguere nequiverit, quid intersit inter dolorem, & imaginationem, aut perceptionem doloris. Quod enim illi cui manus sunt amputatæ, videantur manus dolere, contingit ex idea doloris manuum, quam habet in cerebro, non ex ipso dolore, quem revera sentiat ex motu partis cerebri, cujus fibræ ad manus extendebantur.

(2) 5. Metaph. lect. 1. & Quodl. 4. a. 3.

(3) Vide S. Th. 3. p. q. 8. a. 6. (4) Consule S. Th. 1. p. q. 78. a. 4.

(5) Vide ibidem. (6) §. 248.

ARTICULUS IV.

Utrum perceptio sit actio, vel passio.

254. Cartesius (1) omnes perceptionum, sive cogitationum species passiones vocat, quemadmodum actiones animæ appellat omnes animæ volitiones. Idipsum affirmat Malebrancius (2). Lockius autem etsi adfirmet, mentem agere, dum sibi ex ideis simplicibus alias ideas format; nihilominus arbitratur, mentem pati duntaxat in perceptionibus idearum simplicium (3).

---

(1) De Passion. ani. 1. p. art. 17. *Quædam sunt*, inquit, *Actiones animæ, aliæ ejus Passiones sive Affectus. Quas ejus Actiones voco, sunt omnes nostræ voluntates.... Sicut è contrario possunt in genere vocari ejus passiones omnes species perceptionum, sive cognitionum, quæ in nobis reperiuntur.* Nimirum *affectus* animi non amplius ad voluntatem, sed ad mentem percipientem, sive cogitantem erunt deinceps referendi, ut Cartesio morem geramus.

(2) L. 1. de inquisit. verit. c. 1. §. 1. quo loco scribit: *Nihil aliud per intellectum designo præter facultatem illam mentis passivam, qua mens ipsa varias excipit modificationes; jam autem illo existendi modo affici, & dolorem ipsum percipere, menti perinde est.* Vide autem quam sibi constet Malebrancius: nam l. 2. c. 1. §. 1. agnoscit in mente *facultatem sibi efformandi imagines rerum objectarum*; quasi efformatio harum imaginum possit esse à facultate omnino passiva.

(3) Lockius Essai intend. hum. l. 2. c. 12. §. 1. Ipse tamen ib. c. 9. §. 1. » La Perception, *inquit*, est la premiére faculté de l' Ame qui est » occupée de nos idées. C' est aussi la premiére, & la plus simple idée » que nous recevons par le moyen de la Reflexion.... Dans ce qu' on » nomme simplement Perception, l' Esprit est, pour l' ordinaire, pure» ment passif, ne pouvant éviter d' appercevoir ce qu' il apperçoit actuel» lement.'' *Perceptio est prima facultas animæ, quæ circa nostras ideas versatur. Est etiam prima, & simplicior idea, quam recipimus per reflexionem.... In eo quod simpliciter nominamus Perceptionem, Spiritus plerumque passive se habet; cum vitare non possit, quin percipiat, quod actu percipit.* Mitto quam apte perceptio vocetur *facultas animæ*. Intelligi sane non potest, quomodo spiritus *mere passive* se habeat in percipiendo, si idea perceptionis accipitur per reflexionem: nam reflexio, ut eam definit Lockius ib. c. 1. §. 4. est *la connoissance que l' ame prend de ses différentes operations. Cognitio, quam accipit anima suarum diversarum operationum.* Oportet autem, active se habere animam, dum suas diversas operationes cognoscit; tunc enim sibi ex ideis simplicibus alias ideas format.

255. Videtur autem ita dicendum: I. Quia, ut docet S. Thomas (1), *sicut motus prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio; ita origo ipsius motus secundum quod incipit ab alio & terminatur in id quod movetur, vocatur actio.* Sed perceptio tunc habetur, cum mens recipit species rerum ex rebus per illas representatis. Ergo res ipsæ sunt quæ agunt immittendo species, mens autem solummodo patitur, illas recipiendo.

256. II. Si perceptio esset actio, non passio, intellectus esset potentia activa, non passiva. Sed ex D. Thoma (2) intellectus est potentia passiva. Ergo.

257. III. Non est in potestate mentis, ut non percipiat id quod actu percipit. Igitur mens cum percipit, mere passive se habet.

Propositio. *Perceptio est vera mentis actio.*

258. Prob. Mens actu percipiens actu vivit; percipere enim non est, nisi rei viventis. Atqui proprium est viventis se movere. Igitur mens cum actu percipit, actu se movet. Sed actu se movere est agere; quod enim patitur, non se movet, sed movetur. Mens igitur agit, cum percipit. Perceptio ergo est vera mentis actio, non passio (3).

259. Ad primum neg. min. ut enim mens percipiat, non sufficit recepisse ideas rerum percipiendarum, sed requiritur etiam, ut ipsa se applicet ad eas percipiendas; quemadmodum, ut voluntas prosequatur bonum, satis non est, ut ei bonum ostendatur, sed requiritur etiam ejus actio, qua bonum velit (4).

260. Ad secundum distinguitur min. intellectus est potentia passiva, quatenus recipit species intelligibiles; conc. quatenus percipit, nego. Quia intellectus humanus, ut infra di-

---

(1) 1. p. q. 41. a. 1. ad 2. (2) Ib. q. 79. a. 1.

(3) Vide S. Thom. q. de ani. a. 3. & q. de Spirit. creat. a. 9. & Opusc. 16.

(4) Eadem ratione qua Cartesius loc. cit. in actibus animæ volitiones habet, eadem & perceptiones habendæ sunt. Mirandum vero, quod idem Cartesius, qui art. cit. docuerat, *omnes species perceptionum passiones vocari*: ibidem art. 19. statuat: *Perceptiones nostræ sunt etiam duarum specierum; & quædam animam pro causa habent, aliæ corpus.* Si anima est causa aliquarum perceptionum; igitur aliquæ saltem perceptiones actiones sunt, non omnes sunt passiones.

cemus, infimus est in ordine intellectuum, nullam ex se ipso habet speciem intelligibilem; ideoque determinatus actu non est ad aliquod intelligibile, sed est in potentia ad omnia intelligibilia. Quare merito S. Thomas docet, intellectum esse potentiam passivam, qua ratione recipit species intelligibiles, quia, ut ipse observat (1), *dicitur aliquis pati communiter ex hoc solo, quod id quod est in potentia, recipit illud, ad quod erat in potentia.* Postquam autem intellectus receptis speciebus intelligibilibus, est factus in actu, tunc *efficimur intelligentes in actu*, ut ipse loquitur S. Thomas (2), non tantum per ipsas species intelligibiles, sed etiam per ipsum percipiendi actum, quo intellectus ex non intelligente in actu, transit ad intelligendum actu.

261. Ad tertium neg. cons. nam si valeret illatio Lockii, cum neque in potestate voluntatis sit, ut nolit id, quod actu vult, vellet enim simul & nollet; etiam voluntas esset passiva, atque ita perimeretur libertas.

QUÆSTIO IV.

De existentia, & distinctione Idearum.

262. Cum perceptio pendeat ab ideis, ut supra dictum est, (3), ut magis explicetur natura perceptionis, progredimur ad ideas (4). Ideæ autem considerari possunt: 1. in seipsis: 2. relatæ ad earum objecta: 3 relatæ ad intellectum: 4. relatæ ad earum signa, seu voces. De ideis in seipsis: 1. consideranda est earum existentia, & diversitas: 2. ipsarum origo.

(1) 1. p. q. 79. a. 2. (2) Loc. cit. (3) §. 211.

(4) Fatemur, multa, quæ de ideis trademus, pertinere etiam ad Physicam, & Metaphysicam. Vide S. Thom. 2. con. Gent. c. 75. Verum quia fieri vix potest, ut actus mentis accurate dirigantur, ideis ignoratis; quare S. Augustinus q. 46. ex 83. tantam in ideis vim posuit, ut dixerit, neminem, nisi illis intellectis, sapientem esse posse; visum est de ideis hic agere. Nec recedimus à S. Thoma; is enim probaturus, ideas seu species intelligibiles non esse id quod primum intelligitur, sed quo mens intelligit, inquit 3. de ani. lect. 8. » Manifestum est, quod scientiæ » sunt de his quæ intellectus intelligit: sunt autem scientiæ de rebus, non » autem de speciebus, vel intentionibus, nisi sola scientia rationalis."

ARTICULUS I.

Utrum ideæ existant.

263. *Quam Græci ideam, nos recte speciem dicere possumus*, ait Cicero (1); & idcirco S. Thomas (2) ideas mentis sæpe vocat species intelligibiles. *Idea* etiam Græce, Latine *forma* dicitur (3). Hæ formæ aliæ sunt sensibiles, hoc est, imagines objectorum sensibilium in sensibus sive internis, sive externis (4), de quibus modo non disputamus. Aliæ sunt intellectuales, quarum aliæ dicuntur *impressæ*, aliæ *expressæ* (5).

264. Idea *impressa*, est imago rei, qua mens determinatur ad rem illam cognoscendam; & propterea dicitur *principium cognitionis*. Idea *expressa* est conceptus rei, quem mens format, dum cognoscit objectum, & dicitur *terminus cognitionis*, & verbum mentis, ut supra dictum est (6); quod quidem verbum mentis vox exprimit (7). De utrisque quærimus, an existant.

265. Videntur autem reipsa non existere: I. Quia quod habet esse tantum in intellectu, reipsa non existit, sed est ens rationis, ut dictum est (8). Sed ideæ intellectuales habent esse tantum in intellectu; quippe non existunt extra intellectum. Ergo.

266. II. Ideæ si existerent, essent quædam rerum ima-

---

(1) L. 1. Tusc. (2) 1. p. q. 84. & alibi. (3) S. Th. ib. q. 15. a. 1.

(4) Cicero Top. 30. *In divisione*, inquit, *formæ, sunt quas Græci ἰδέας vocant.*

(5) Antonius Genuensis Art. Log. Crit. edit. an. 1755. l. 2. c. 1. §. 2. » Scholastici philosophi, *ait*, ideam materialem vocant *impressam speciem*, intellectualem vero *speciem expressam.* Utrumque, quod mireris, propriissime.“ Tam scilicet egregie versatus iste homo erat in libris, doctrinisque Scholasticorum, ut illos ne à limine quidem salutasse videatur.

(6) §. 181.

(7) Extat & idea quæ dicitur *forma exemplaris* rei faciendæ; eamque mens ipsa conficit, ut aliquod opus efficiat; cujusmodi est idea domus construendæ, quam Architector mente facit, & ad imitandum sibi proponit, cum domum construit. Quo sensu S. Augustinus de Verbo Divino agens scribit ser. 117. al. 38. de verb. Dom. *Est forma quædam, forma non formata, sed forma omnium formarum.* Vide S. Thom. 1. p. q. 15. a. 1.

(8) §. 162.

gines. Sed rerum imagines non sunt res, sicut imago hominis non est homo. Ergo.

267. III. Si ad res cognoscendas requirerentur ideæ, rursus ad cognoscendas ideas requirerentur aliæ ideæ, & ita porro in infinitum: quod esse non potest. Ergo.

268. IV. Imagine non est opus, ubi prototypum est præsens. Atqui multa sunt menti præsentia per seipsa, ut mens ipsa, ejus perceptiones, & volitiones; Deus item, qui omnibus rebus est intime præsens. Ergo saltem harum rerum nullæ sunt ideæ.

Propositio. *Existunt ideæ* I. *cum impressæ:*
II. *tum expressæ.*

269. Prob. 1. p. Ad percipiendum duo necessario requiruntur, mens percipiens, & unio rei percipiendæ cum mente; perceptio enim est actio immanens, id est, manens in ipsa mente, ideoque esse non potest, nisi res percipienda, sit in percipiente. Atqui res percipienda non semper est per sui substantiam in mente percipiente (1); cum enim percipio lapidem, substantia lapidis non est in mea mente. Res igitur percipienda debet esse in mente per sui imaginem. Hæc imago est ipsa idea impressa, ut dictum est (2). Existunt ergo ideæ impressæ (3).

270. Prob. 2. p. Existit verbum mentis; nisi enim existeret, nihil significaremus verbo oris (4). Sed species expressæ, sunt ipsum verbum mentis, ut dictum est (5). Existunt igitur species expressæ (6).

---

(1) S. August. in Psalm. 139. n. 15. » Quod dicimus eos in corde » habere, de quibus cogitamus: secundum quamdam imaginem dicimus, » quam de illis habemus *impressam*. Nam si omnino intus ipsi essent, » scirent utique quid in corde nostro esset; atque ita ut eis loquere- » mur, opus non esset. " Jam perspicis, imaginem, sive *speciem impressam* Augustino probari.

(2) §. 264. Vide S. Thom. 1. p. q. 79. a. 3.

(3) S. Thom. ib. q. 12. a. 2.

(4) Quare S. Augustinus l. 9. de Trin. c. 7. scribit: *Conceptam rerum veracem notitiam tamquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus dicimus, nec à nobis dicendo discedit. Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti ministerium vocis adhibemus, aut alicujus signi corporalis, ut per talem commemorationem sensibilem tale aliquid fiat etiam in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit.*

(5) §. 264.

(6) Idem Augustinus l. 9. de Trin. c. 12. explicans quid sit notitia,

271. Ad primum dist. maj. Quod habet esse duntaxat objectivum in intellectu, est ens rationis, conc. quod habet esse reale in intellectu, nego. Non omne quod est in intellectu & ab ipso fit, est ens rationis, sed id tantummodo, quod ideo est, quia objicitur considerationi intellectus. Ideæ autem etsi sint in intellectu, nec extra ipsum esse possint; nihilominus in intellectu habent esse reale; sunt enim etiam cum intellectus actu illas non percipit (1); conservantur quippe in nobis, eisque, cum libet uti possumus.

272. Ad secundum dist. min. Ideæ rerum non sunt res repræsentatæ, conc. repræsentantes, nego. Etiam imagines rerum sunt quædam res, quamquam sint res repræsentantes prototypa, non ipsa prototypa (2).

273. Ad tertium neg. ant. Nam ut observat S. Thomas (3), species intellectuales non se habent ad intellectum nostrum ut id quod intelligitur, sed ut id quo intelligimus. Quia tamen mens nostra reflectit supra seipsam ut dictum est (4), per actum reflexum intelligit & suum intelligere, & speciem qua intelligit: sic autem species est id, quod secundario intelligitur. Neque propterea requiritur alia species qua intelligatur; ipsa enim species est ratio cognoscendi seipsam (5).

---

seu verbum mentis, & quare dicatur proles mentis, inquit: » Inquisi-» tio est appetitus inveniendi, quod idem valet, si dicas reperiendi. » Quæ autem reperiuntur, quasi pariuntur. Unde proli similia sunt, » nisi in ipsa notitia? Ibi enim quasi *expressa* formantur. " Vide quam antiqua sit notio *speciei expressæ* significantis mentis verbum.

(1) Consule S. Augustinum Epist. 147. al. 112. c. 16. ubi de mente humana scribit: *Incorporeas similitudines corporum incorporaliter commendat memoriæ, unde cum voluerit, & potuerit, velut de custodia productas, atque in conspectum cogitationis exhibitas judicet.*

(2) Vide S. Augustinum l. 2. de Div. quæst. ad Simplicianum q. 6. n. 2. *Solent*, inquit, *imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt..... Quis est enim, qui hominem pictum dubitet vocare hominem? Quandoquidem & singulorum quorumque picturam cum adspicimus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus: velut cum intuentes tabulam, aut parietem dicimus: Ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud nihil sint, quam pictæ imagines.*

(3) 1. p. q. 85. a. 2. (4) §. 170.

(5) Quemadmodum, ut S. Augustinus ait Tract. 35. in Joan. n. 4. *lumen & alia demonstrat, & seipsum.... Lucerna quippe ardens idonea est, & alia quæ tenebris operiebantur nudare, & seipsam tuis oculis demonstrare.*

274. Ad quartum dist. min. multa sunt menti præsentia per seipsa quoad eorum esse, conc. in ratione objecti, nego. Fatemur cum S. Thoma (1), tripliciter aliquid posse cognosci; uno modo per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, ut lux videtur in oculo (2). Alio modo per præsentiam suæ similitudinis in cognoscente, ut lapis videtur per ejus imaginem in oculo. Tertio modo cum similitudo rei, non accipitur immediate ab ipsa re, sed ab alia re, in qua resultat, sicut videmus hominem in speculo. Verum ut aliqua res cognosci possit per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, satis non est, ut res illa sit præsens quoad suum esse tantum; alioquin clare videremus Divinam essentiam, quæ est nobis intime presens; sed requiritur etiam, ut essentia sit præsens in ratione objecti. Sic autem nequit esse præsens, nisi proportionem habeat cum intellectu cognoscente; nam inter objectum immediatum potentiæ, & ipsam potentiam proportio esse debet; qua quidem ratione neque visus odorem, neque olfactus colorem sentire possunt, quia sicut odor ad visum, ita color, ad olfactum nullam habent proportionem. Hæc proportio si desit, res, utut intime præsens, non cognoscitur per suam essentiam, sed vel per imaginem resultantem ab ipsa re, vel per ejus similitudinem resultantem ab alia re. Substantiæ autem immateriales, cujusmodi est Deus, & hominis anima, pro hoc statu conjunctionis ejusdem animæ cum corpore, proportionem non habent cum intellectu hominis, ut cognoscantur, prout sunt in seipsis, nec cognoscuntur per imagines ab eis immediate progedientes: quod quidem intimo sensu deprehendimus; nam quo magis conamur Deum, & animam cognoscere, prout sunt in seipsis, eo minus adsequi valemus (3). Relinquitur ergo, ut Deum, animam, & ejus operationes cognoscamus per imagines aliarum rerum, quarum cognitio menti nostræ conjunctæ cum corpore proportionem habet (4).

---

(1) 1. p. q. 56. a. 3. (2) Vide S. Thom. q. 10. de ver. a. 8. ad 10.

(3) Ac de anima quidem S. Augustinus l. 7. de Gen. ad litt. c. 21. n. 30. scribit: *Quid sit autem, non dicitur melius, quam anima, vel spiritus vitæ..... ut jam non possit inveniri nomen, quo proprie distinguatur ista natura, quæ nec corpus, nec Deus est, nec vita sine sensu, qualis potest credi in arboribus, nec vita sine rationali mente, qualis est in pecoribus, sed vita nunc minor quam Angelorum, & futura quod Angelorum, si ex præcepto sui Creatoris hic vixerit.*

(4) » Intellectus (inquit S. Thomas in 3. dist. 22. q. 1. a. 2. ad 3.) » sicut alia, cognoscit seipsum, quia scilicet per speciem, non quidem

ARTICULUS II.

Utrum ideæ intellectuales distinguantur à perceptionibus.

275. Hac de re magnum fuit certamen inter Arnaldum, & Malebrancium. Is enim contendebat (1) ideas rerum corporalium distingui debere à perceptionibus. Arnaldus econtra affirmabat (2), ideas quascumque non alia ratione à perceptionibus esse distinctas, nisi penes duplicem respectum, ita ut eadem cognitio relata ad mentem dicatur perceptio, relata ad objectum dicatur idea. Idipsum tenet & Lockius (3).

276. Videtur autem ita dicendum I. quia cum Deus ani-

» sui, sed objecti, quæ est forma ejus, ex qua cognoscit actus sui na-
» turam, & ex natura actus naturam potentiæ cognoscentis, & ex natu-
» ra potentiæ naturam essentiæ; & per consequens aliarum potentiarum;
» non quod habeat de omnibus his diversas similitudines, sed quia in
» objecto suo non solum cognoscit rationem veri, secundum quam est
» ejus objectum, sed omnem rationem quæ in eo est, unde & ratio-
» nem boni: & ideo consequenter per illam eamdem speciem cognos-
» cit actum voluntatis, & similiter etiam alias potentias animæ, &
» actus earum. "

(1) L. 3. de inquisit. verit. p. 2. c. 1. sqq.

(2) L. de veris, & falsis ideis.

(3) *Essai* &c. l. 2. c. 10. §. 2. Quam autem loquatur inconsequenter, plane constat ex eodem lib. c. 12. n. 1. sic enim scribit: » Quoique
» l' Esprit soit purement passif dans la reception de toutes ses idées sim-
» ples, il produit néanmoins de lui même plusieurs actes par lesquels
» il forme d' autres idées, fondées sur les idées simples." Hoc est, *Quamquam spiritus sit mere passivus in receptione omnium suarum idearum simplicium; nihilominus producit ex seipso plures actus, quibus format alias ideas fundatas in ideis simplicibus.* Porro si spiritus producit plures actus, quibus format diversas ideas fundatas in ideis simplicibus, intelligi nequit, quomodo ideæ saltem compositæ indistinctæ sint à perceptionibus; effectus enim sicut distinguitur à causa, cujus est effectus, ita distinguitur ab actione, per quam à causa producitur. Sane quod producitur non afficit, sed afficitur: actio autem non est id, quod afficitur, sed id quo causa afficit: non potest autem idem simul afficere, & affici. Ad rem Clemens Alex. Strom. 8. pag. 786. *Causa quidem certe agit, & affieit, quod à causa factum est, patitur, & afficitur: Non potest autem idem à seipso sumptum operari simul & affici, neque esse filius, & pater.*

mam corpori conjunxerit, verisimile valde est, illi dedisse facultatem cognoscendi via simpliciori, ac breviori. Atqui simplicior & brevior est via cognoscendi res sine ideis à perceptionibus distinctis. Ergo.

277. II. Inutilis esset idea distincta à perceptionibus, nisi mens illam perciperet. Ergo ut circulum v. g. cognoscerem duplici opus esset perceptione, una qua circulum, altera qua ideam circuli perciperem : quod falsum est.

278. III. Idea à perceptione distincta nulli usui esse posset, nisi mens sciret, hanc esse ideam hujus objecti. Sed id scire mens numquam posset ; idea enim etsi repræsentaret objectum, non tamen hanc suam repræsentationem repræsentaret. Ergo.

279. IV. Si res extra animam cognosceremus per ideas distinctas à perceptionibus, revera non cognosceremus res ; sicut qui videt picturam, non videt rem ipsam. Quapropter S. Thomas (1) adversus ideas à rebus separatas agens scribit : *Derisibile videtur, ut dum rerum notitiam quærimus, alia entia in medium adferamus, quæ non possunt esse eorum substantiæ, cum ab eis differant secundum esse ; & sic illis substantiis separatis cognitis, non propter hoc de istis sensibilibus judicare possemus.* Quod idem verum habet, si admitantur ideæ tamquam entia distincta à perceptionibus.

280. V. Si nihil positum extra animam per seipsum cognoscimus, sed tantummodo per ejus ideam, jam non possumus esse certi de existentia cujusquam rei extra animam. Id autem est inducere idealismum, id est, errorem eorum (2) qui rejecta, vel in dubium revocata reali existentia corporum, idealem dumtaxat eorumdem corporum existentiam in mente agnoscunt.

Propositio. *Ideæ intellectuales à perceptionibus reipsa distinguntur.*

281. I. Ratio. Ideæ intellectuales sunt ipsa objecta perceptionum in esse intelligibili (3) ; substituuntur enim loco

(1) 1. p. q. 84. a. 1.

(2) Inter quos Georgius Berckeleius, qui idealismum propugnavit in Dial. inter Hylam, & Philonoum.

(3) Id non negabit Lockius, qui in Prol. sui Operis de intell. hum. §. 8. ait, *nomen ideæ significare omne id quod est objectum intellectus nostri, dum cogitamus.*

objectorum, ut dictum est (1). Atqui perceptiones distinguntur realiter ab objectis, alioquin objecta perceptionum essent ipsæ perceptiones, nec aliud cognosceremus præter perceptiones. Ergo (2).

282. II. Ratio. Perceptiones tunc solum in mente sunt, cum illas mens actu elicit, si ab iis eliciendis mens supersedeat, actu in mente non sunt. Atqui ideæ actu in mente sunt, etiam cum mens actu non percipit, ut dictum est (3). Geometra v. g. non idirco amittit scientiam Geometriæ, omnesque ideas ad eam pertinentes, quia illas actu non percipit. Ideæ igitur non consistunt in actuali perceptione, sed ab ipsa realiter distinguuntur (4).

183. III. Ratio. Perceptio aliquando reflexa est, ut supra

---

(1) §. 269.

(2) Vide S. Thom. quodl. 8. a. 4. Neque sufficit distinctio objecti *interni*, & *externi* à Buffierio excogitata Log. 2 n. 358. ita ut objectum internum sit ipsa idea, hæc vero perceptio dicatur, ut relata ad objectum externum. Id enim quod mens percipiens immediate respicit, non est objectum externum, alioquin mens percipiendo, extra se exiret, quod esse non potest, ut dictum est §. 269. Itaque objectum internum, seu idea, est id quod mens percipiens immediate respicit. Si autem hoc objectum non differret realiter à perceptione; jam perceptio nihil aliud esset quam perceptio perceptionis; sicque nihil aliud perciperemus præter perceptiones.

(3) §. 271. Consule S. Agustinum l. 12. de Gen. ad litt. c. 16. num. 33. idipsum exemplo confirmantem: » In auditu, nisi auribus per» ceptæ vocis imaginem continuo spiritus in seipso formaret, ac memo» ria retineret, ignoraretur secunda syllaba, utrum secunda esset, cum » jam prima utique nulla esset, quæ percussa aure transiisset: ac sic om» nis locutionis usus, omnis cantandi suavitas, omnis postremo in acti» bus nostris corporalis motus dilapsus occideret, neque ullum progres» sum nanciscetur, si transactos corporis motus memoriter spiritus non » teneret, quibus consequentes in agendo connecteret. Quos utique non » tenet, nisi imaginaliter à se factos in se." Quæ ratio æque probat de perceptionibus, quæ cum sint actus mentis, nequeunt plures esse simul, sed una præcedit aliam; ideoque cum quælibet syllaba percipi debeat, ut integra percipiatur locutio, numquam integram locutionem perciperemus, quia jam transisset perceptio primæ syllabæ, cum perciperemus secundam syllabam, neque prior perceptio quæ tunc nulla esset, conjungi posset cum posteriori.

(4) Mirum est, quam hæc ratio torqueat Lockium. Ut ab ea se liberet, ait c. 10. §. 2. l. 2. de intell. hum. memoriam nihil aliud esse, quam potestatem animæ ad excitandas perceptiones quas jam habuit,

diximus (1) : tunc autem objectum immediatum perceptionis reflexæ est perceptio directa ; v. g. dum cognosco me cognoscere, objectum immediatum hujus cognitionis, qua cognosco me cognoscere, est ipsa cognitio quam habui de aliqua re. Ergo si idea reipsa non distingueretur à perceptione, jam perceptio reflexa, & directa essent unum & idem. Sunt autem perceptio reflexa, & directa duæ operationes intellectus reipsa distinctæ ; etenim perceptio directa desinit esse statim atque intellectus rem cognovit (2). Idea igitur saltem perceptionis reflexæ reipsa distinguitur à perceptione reflexa (3).

284 Ad primum neg. min. Nam via qua incedunt Arnaldus, & Lockius non modo neque expeditior, neque simplicior est, sed plane repugnans naturæ mentis humanæ; hæc enim si objecta externa perciperet absque ideis distinctis, extra perciperet, ideoque perceptio non esset actio immanens : quod esse non potest, ut dictum est (4). Præterea cum mens sit indiferens ad omnes perceptiones, requiritur, ut determinetur ad hanc potius perceptionem, quam aliam : determinatur au-

---

Verum si ita se res habet, inquirendum restat undenam sit in anima potestas ad has potius, quam alias perceptiones excitandas; nam perceptiones illæ jam præcesserunt, nec amplius actu sunt. Nisi ergo aliquid reliquerint in mente quod actu sit, nulla erit hujusmodi potestas; quemadmodum nec in sigillo ulla est potestas ad exprimendam imaginem, si hæc in illo sit prorsus obliterata. Præterea hæc potestas animæ sæpe ita exilis est, & attenuata, ut vix recordari possimus eorum quæ cognovimus; aliquando etiam res cognitæ ita è memoria excidunt, ut nos earum oblivio omnino capiat. Si nihil aliud in anima relictum fuit ex perceptionibus quas habuit, præter solam potestatem excitandi easdem perceptiones, cur alias facillime, alias difficillime, alias nullo modo excitare anima potest? Audiat Lockius S. Augustinum scribentem l. 11. de Trin. c. 7. » Acies animi (id est potestas), quæ formatur ex » memoria, cum recordando aliquid cogitamus, non ex ea specie pro» cedit quam meminimus visam ; quandoquidem eorum meminisse » non possemus, nisi vidissemus : acies autem animi quæ reminiscendo » formatur, erat etiam prius quam corpus, quod meminimus, videre» mus, quanto magis prius quam id memoriæ mandaremus? "

(1) §. 218.

(2) Quod & ipse fatetur Lockius loc. cit. ubi de perceptionibus scribit : » Les perceptions cesent d' être quelque chose dés qu' elles ne sont » point actuellement apperçues, " *Perceptiones desinunt esse aliquid, cum actu non sunt perceptæ.*

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 87. al. 3. ad 2.

(4) §. 269.

tem per ideam impressam, quam propterea diximus (1) esse principium cognitionis (2). Quare perceptio consequitur speciem intelligibilem, sicut effectus suam causam (3). Proinde si idea non distingueretur à perceptione, esset causa sui ipsius.

285 Ad secundum dist. ant. nisi mens illam percipiat eodem actu, quo percipit objectum, conc. diverso actu, subdist. cum eam percipit reflexe, conc. cum eam percipit directe, nego. Ut observat S. Thomas (4), duplex est motus animæ in imaginem: unus in ipsam imaginem, ut est res quædam; alter in imaginem, ut est alterius repræsentatio. Prior est motus diversus à motu in rem ipsam; posterior est idem ac motus in rem repræsentatam (5). Hac ratione sacris Imaginibus, ut sunt res quædam, puta lignum, aurum &c. nullus exhiberi cultus potest; exhibetur vero illis, ut sunt imagines, quia cultus refertur in Sanctos, quorum sunt imagines. Sic ergo ideæ ut imagines objectorum percipiuntur eodem actu directo, quo percipiuntur objecta: ut autem sunt res quædam, percipiuntur diverso actu; sed tunc perceptio est reflexa.

286 Ad tertium neg. min. Nam sicut mens lumine quo est perfusa, cognoscit, unum objectum esse distinctum ab alio; ita eodem lumine cognoscit, hanc ideam esse hujus potius, quam alterius objecti; cum idea sit ipsum objectum in esse intelligibili, ut dictum est (6). Neque propterea oportet, ut idea seorsim repræsentet suam repræsentationem; nam eo ipso quod natura sua est imago, sive repræsentatio objecti, statim atque

---

(1) §. 264.

(2) Nec sufficit recurrere ad legem commercii, ut mens determinetur ad hanc potius, quam ad illam perceptionem ex determinatis motionibus cerebri; primum quidem, quia hujusmodi lex nulla ratione nititur, ut alibi ostendemus. Deinde quia non explicat, quomodo mens determinari possit ad percipiendas res abstractas, & universales ex motionibus cerebri, quæ sunt circa res singulares. Postremo quia nulla reperitur proportio inter motiones cerebri quæ sunt corporales, & perceptionem quæ est actio immaterialis.

(3) S. Thom. q. 8. de ver. a. 6. » Intelligens, *ait*, & intellectum, » prout ex eis est effectum unum quid, quod est intellectus in actu, » sunt unum principium hujus actus, qui est intelligere. «

(4) 3. p. q. 25. a. 3.

(5) S. Basilius l. 2. adv. Eunom. n. 17. » Ex affini affine solet cognosci. Sic in sigillo inspicitur ejus qui se expressit effigies, & per imaginem » exemplar cognoscitur, si videlicet comparemus nos eam, quæ in utro» que est identitatem. «

(6) §. 281.

repræsentat objectum, repræsentat quoque seipsam, & suam repræsentationem; siquidem, ut est dictum (1), quatenus est imago, cognoscitur eodem actu, quo cognoscitur objectum. Itaque ut nemo visum instruit ad percipiendos colores, ita nec mens instrui à quopiam debet ad distinguenda objecta in eorum ideis, sive imaginibus. Ut enim S. Thomas advertit (2), *anima per intellectum cognoscit corpora cognitione immateriali, universali, & necessaria.* In iis autem quæ necessaria sunt, docemur à Deo per lumen naturale menti perfusum (3).

287 Ad quartum dist. maj. revera non cognosceremus res extra animam, eo modo quo sunt extra animam, conc. diverso modo, nego. Utique mens cognoscit res corporeas, sed non modo corporeo, bene vero modo incorporeo, & immateriali, cum ipsa sit incorporea & immaterialis (4); quemadmodum qui picturam intuetur, non videt quidem rem pictam eo modo quo est in seipsa, videt tamen eamdem rem, ut est repræsentata per picturam. Quod autem additur ex D. Thoma, ad rem non facit: nam ibi S. Doctor agit adversus Platonem, qui, ut infra ostendemus, excogitavit ideas quasdam à rebus separatas, quarum participatione mens intelligeret; idque affirmabat propterea quod *credidit, quod forma cogniti ex necessitate sit in cognoscente, eo modo quo est in cognito.* Adversus hanc positionem Angelicus insurgit, ostenditque id esse non posse, quia cum ideæ illæ separatæ non essent substantiæ rerum sensibilium,

---

(1) §. 285. (2) 1. p. q. 84. a. 2.

(3) Consule S. Basilium Epist. 8. al. 141. n. 12. » Naturalia judicia, » *inquit*, documenti expertia à conditore nostro Deo indita fuerunt. » Visum enim nemo edocet ut percipiat colores, aut figuras: neque » auditum, ut sonos, & voces: neque olfactum, ut bene, & male » olentium rerum vapores: neque gustum, ut sapores, ac succos: ne» que tactum, ut mollia, & dura, aut calida, aut frigida. Neque sa» ne quisquam mentem docebit intelligibilia adsequi.“

(4) » Intellectus (inquit S. Thomas 1. p. q. 84. a. 1.) species corpo» rum, quæ sunt materiales, & mobiles, recipit immaterialiter, & » immobiliter, secundum modum suum: nam receptum est in reci» piente ad modum recipientis.“ Idipsum docet S. Augustinus l. 8. de » Civ. c. 6. Nulla est, *inquit*, pulchritudo corporalis, sive in statu » corporis, sicut est figura, sive in motu, sicut est cantilena, de qua » non animus judicet. Quod profecto non posset, nisi melior in ipso es» set hæc species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio, » vel loci, vel temporis.“ Et l. 12. de Gen. ad litt. c. 16. n. 33. » Præs» tantior est imago corporis in spiritu, quam ipsum corpus in substan» tia sua.“

per illas nullo modo possemus judicare de sensibilibus, semel atque forma rei cognitæ deberet esse in cognoscente eo modo quo est in cognito (1). Hoc autem in systemate S. Thomæ locum non habet, qui expresse statuit (2), necesse non esse, ut *forma cogniti sit in cognoscente eo modo quo est in cognito.*

288 Ad quintum neg. maj. nam ideæ, per quas cognoscimus res extra animam, sunt acceptæ ab ipsis rebus ministerio sensuum; ideoque nullum est periculum: ne idealismus inducatur.

ARTICULUS III.

Utrum ideæ impressæ distinguantur ab expressis.

289 Videntur non distingui, I. quia idem est objectum in utraque repræsentatum. Ergo eadem est idea repræsentans.

290 II. Eadem est actio qua mens intelligit, & qua dicit, seu format verbum: nam ut ait S. Thomas (3), *intellectus intelligendo concipit, & format verbum.* Ergo eadem quoque erit species impressa, qua mens intelligit, & expressa, quæ est ipsum verbum productum.

Propositio. *Ideæ impressæ distinguuntur ab expressis.*

291 Prob. Ideæ impressæ sunt principium cognitionis, & repræsentant objectum per modum intelligibilis; ideæ expressæ sunt terminus cognitionis, & repræsentant objectum per modum rei intellectæ, ut dictum est (4). Sed nequit idem esse principium, & simul terminus cognitionis: nequit idem repræsenta-

(1) Spagnius qui de Ideis p. 2. §. 109. præfatum argumentum objicit, hæc animadvertisset, si articulum S. Thomæ vel oscitanter legisset: quod facere debuisset, antequam S. Doctorem traduceret, veluti pugnantia loquutum.

(2) art. cit. (3) 4. con. Gen. c. 2.

(4) §. 264. Consule S. August. l. 15. de Trin. c. 10. n. 19. »Neces» se est, *inquit*, cum verum loquimur, id est quod scimus loquimur, ex » ipsa scientia quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod ejus» modi sit omnino, cujusmodi est, illa scientia de qua nascitur.“ Et l. 9. de Trin. c. 12. »Liquido tenendum est, quod omnis res, quam » cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui.“ Hæc autem notitia est ipsa species expressa. Vide §. 269. cum not. S. August. & §. 270. not. idem August.

re objectum ut intelligibile, & ut intellectum. Ideæ igitur impressæ distinguuntur ab expressis (1).

292 Ad primum dist. ant. est idem objectum repræsentatum eodem modo, nego; diverso modo, concedo. Responsio patet ex dictis (2).

293 Ad secundum neg. cons. Nam dicere, & intelligere sunt in eodem genere actionis. At species impressa est in genere principii; expressa in genere termini intellectionis, ut dictum est (3).

QUÆSTIO V.

De Idearum origine.

294 Constituta idearum existentia, & distinctione, progredimur ad earum originem, quam ad examen revocaturi (4),

---

(1) Quapropter S. Thomas q. 8. de pot. a. 1. ait: » Intelligens in in» telligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet, ad rem quæ » intelligitur, ad speciem intelligibilem, ad suum intelligere, & ad » conceptionem intellectus; quæ quidem conceptio à tribus prædictis » differt."

(2) §. 291.

(3) Addimus, etiam intelligere, & dicere aliquo modo differre: nam ut ait S. Thom. q. 4. de ver. a. 2. ad 5. » In nobis dicere non solum » significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est ex se exprime» re aliquam conceptionem." Et 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. » Dicere, & in» telligere differunt: nam intelligere importat solam habitudinem intel» ligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur ... » sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; » nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum: sed mediante » verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo pro» lato manifestatur intelligenti."

(4) Investigatio originis idearum opus est magnæ difficultatis. Quare S. Augustinus Epist. 162. al. 101. n. 4. » Cum eas, *inquit*, coguntur » intueri, si recte adverterint, atque compererint non eas esse corpo» reas, sed corporum simillimas, rationem tamen de his non conti» nuo valent reddere, quibus causis, & quemadmodum fiant, qua de» nique natura sua subsistant, vel in quo subjecto sint: utrum ita in » animo fiant ut in membrana ex atramento litteræ, ubi utraque subs» tantia est, membrana scilicet, & atramentum: an sicut sigillum in ce» ra, vel figura quælibet, cui cera subjectum est, illa in subjecto: an » utroque modo fiant ista in spiritu nostro, aliquando sic, aliquando » autem sic."

opiniones Philosophorum referemus, & quæ sint à veritate alienæ, quæ ad veritatem proprius accedant, ostendemus. Itaque 1. quæremus, an ideæ sint corporum effluxiones. 2. an sint modificationes materiæ. 3. an sint formæ separatæ. 4. an Plato istas formas admiserit. 5. an ideæ sint menti inditæ, 6. an indita sit idea Dei. 7. an omnia cognoscamus in Deo. 8. an vero in idea totius Universi. 9. an mens sibi ideas formet. 10. an ideæ fiant per sensationem. 11. an earum origo sufficienter explicetur à S. Thoma.

ARTICULUS I.

Utrum ideæ intellectuales sint corporum effluxiones.

295 Hæc senserunt Democritici, & Epicurei, ut supra dictum est (1), commenti, quasdam in mundo extare tenuissimas concretiunculas, sive contexturas atomorum, id est, corpusculorum indivisibilium, quas *idola*, *typos*, *imagines*, *simulacra*, *effigies* dixerunt, atque ex eis sensationem, & intellectionem fieri (2).

296 Videtur autem ita dicendum, I. quia omne simile simili cognoscitur. Sed mens cognoscit corpora. Ergo nonnisi per similia corpora.

297 II. Diodorus Siculus refert (3), in quibusdam Africæ Regionibus fuisse conspecta per aerem volitantia quædam concrementa, formas animalium omnis generis referentia. Atqui hæ formæ si subtiliores sint, possunt penetrare usque ad cerebrum. Ergo in eis objecta percipi possunt.

298 III. Negari nequit, varias ex corporibus emitti particulas, maxime ex animalibus objectationem multam, & calorem (4). Hæ autem particulæ referunt corporum figuras, & simulacra. Igitur si in animum incurrant, erunt causæ perceptionum.

---

(1) §. 211.

(2) Vide Plutar. l. 4. de plac. c. 8. & Sympos. l. 8. q. 10. Tullium l. 1. de nat. deor. & l. 1. de fin. & S. Thom. 1. de ani. lect. 5.

(3) Apud Gassend. Animad. in Epic. Physiol. p. 236.

(4) Lucretius l. 4. *Dico igitur rerum effigias, tenuesque figuras*
Mittier ab rebus summo de cortice earum,
Quæ quasi membrana, vel cortex nominanda est,
Quod speciem, ac formam similem gerit ejus imago,
Quojuscumque cluet de corpore fusa vagari.

Propositio. *Ideæ intellectuales nequeunt esse corporum effluxiones.*

299 I. Ratio. Si ideæ intellectuales essent effluxiones corporum, nulla corpora diutius durarent, tot imaginum emissione. Quod est contra experientiam.

300 II. Ratio. Si perciperemus per hujusmodi imagines è corporibus emissas, non haberemus, nisi ideas illarum rerum, quas videmus. Multa autem percipimus, quæ numquam vidimus (1), nec videre potuimus (2).

301 III. Ratio est S. Augustini (3): *Quæro*, inquit, *utrum etiam ab ipsis atomis affluant imagines? Si affluunt, quomodo jam sunt atomi, à quibus aliqua corpora separantur? Si non affluunt, aut potest aliquid sine imaginibus cogitari, quod vehementer nolunt (Epicurei); aut unde norunt atomos, quas nec cogitare potuerunt?*

302 Ad primum dist. min. mens cognoscit corpora modo immateriali, concedo, materiali, nego. Cum enim mens sit immaterialis, cognoscit quidem corpora, sed immaterialiter, ut dictum, est (4), quippe cognoscit in corporibus communem rationem corporis, ut supra diximus (5), proindeque in ideis immaterialibus, in quibus ea communis ratio repræsentatur: sic autem simile simili cognoscitur.

---

(1) Cicero l. 1. de nat. deor. »Quid est, *inquit*, quod minus pro»bari possit, quam omnium in me incidere imagines? Homeri, Ar»chilochi, Numæ ... Quid quod ejusdem hominis in meum aliæ, aliæ »in tuum? Quid quod earum rerum, quæ numquam omnino fuerunt, »neque esse potuerunt, ut Scyllæ, ut Chimeræ? Quid quod hominum, »locorum, urbium earum, quas numquam vidimus? Quid quod simul »ac mihi collibitum est, præsto est imago?"

(2) Vidit hujus rationis vim vel ipse Lucretius; nam l. 4. quæstione proposita, subjicit:

An-ne voluntatem nostram simulacra tuentur,
Et simul ac volumus, nobis occurrit imago?
Si mare, si terram cordi est, si denique cœlum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas,
Omnia sub verbo-ne creat natura, paratque?
Quam præsertim aliis eadem in regione, locoque
Longe dissimiles animus res cogitet omnis.

(3) Epist. 118. al. 56. n. 31. (4) §. 287. (5) §. 220.

303 Ad secundum, omissa maj. neg. min. Nam ut concederemus, formas illas extare, nec esse positas, quemadmodum iris, in refractione radiorum solarium; qui fieri posset, ut ejusmodi concrementa, ita permanerent, & absque ulla confusione conservarentur, ut inconfusa penetrare possent usque ad cerebrum, & animum cogitantis, ejusque imperio ac voluntati præsto esse (1)?

304 Ad tertium neg. min. Quis enim persuadere sibi poterit, particulas è corporibus emissas referre eorumdem corporum imagines (2); multoque minus, easdem particulas ferire animum posse (3)?

ARTICULUS II.

Utrum ideæ intellectuales sint modificationes materiæ.

305 Rursus cum Hobbesio, & Lockio manus conserimus, qui cum perceptiones ab ideis minime distinguant, arbitrantur

(1) Eustathius apud Macrobium l. 7. Saturn. c. 14. Epicurum interrogat: *An tunc imagines è rebus avolant, cum est, qui velit videre? an & cum nullus adspicit, emicant undique simulacra? Nam si quod primum dixi, teneat; quæro, cujus imperio simulacra præsto sint intuenti, & quotiens quis voluerit ora convertere, totiens se & illa convertant? Sin secundo inhæreat, ut dicat, perpetuo fluore rerum omnium manare simulacra; quæro, quandiu cohærentia permanent, nullo coagulo juncta ad permanendum? ... Quis potest in animum inducere, simul atque oculos verteris, incurrere imagines cœli, maris, littoris, prati, navium, pecudum, & innumerabilium præterea rerum, quas uno oculorum jactu videmus: cum sit pupilla quæ visu pollet, oppido parva? Et quonam modo totus exercitus visitur? An de singulis militibus profecta simulacra se congerunt, atque ita collecta tot millia penetrant oculos intuentis?*

(2) Alexander in l. de sensu, & sens. c. 3. » Quomodo, *inquit*, » parietes leves, in quibus nihil eminet, simulacra reddere cum figura» tione apparente possunt? Quomodo specula, & aquæ, cum in ipsis quo» que sit lævor? Quomodo possunt ex simulacro existente in speculo tot » rursus alia defluere? Quomodo illud adeo est crassum, ut tanto de» fluxui sufficiat?"

(3) Hinc Cicero l. 15. Fam. Epist. 16. *His autem spectris*, ait, *etiamsi oculi possent feriri; animus qui possit, ego non video. Doceas tu me oportebit, cum salvus veneris, in meane potestate sit spectrum tuum, ut simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neque solum de te qui mihi hæres in medullis: sed si insulam Britanniam cæpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus.*

Hobbesius quidem, ideas reipsa esse modificationes materiæ (1); Lockius vero, quod tales non sint, demonstrari haud posse.

306 Videntur autem ideæ esse modificationes materiæ, I. quia qui in acutis meditationibus vehementius versantur, experiuntur commoveri partes cerebri. Signum est igitur, ideas ad quas illi advertunt, in modificationibus materiæ cerebri esse positas.

307 II. Ideæ sunt repræsentationes rerum, quæ in nobis, vel extra nos sunt. Atqui partes materiæ diversimode modificatæ possunt res in nobis, & extra nos repræsentare: sicut speculum planum repræsentat objecta in se, speculum concavum extra se. Ergo.

308 III. Ex eo quod imago Cæsaris in auro sculpta, possit percipi sine auro, non sequitur, eam imaginem non esse modificationem auri. Ergo ex eo quod ideæ abstractæ à materia possint percipi sine materia, non sequitur, illas non esse modificationes materiæ.

Propositio. *Ideæ intellectuales esse non possunt modificationes materiæ.*

309 I. Ratio. Ideæ intellectuales sunt principium cognitionis intellectivæ, ut dictum est (2). Sed si essent modificationes materiæ, non possent esse principium intellectivæ cognitionis. Ergo. Prob. min. Principium cognitionis intellectivæ debet esse immateriale (3); quandoquidem, ut supra demonstratum est (4),

(1) Cum Hobbesio idipsum sentiunt impii Tolandus, Collinsius, Covvardus, Helvetius, Voltaire, aliique increduli, ac libertini, qui animi spiritualitatem, & immortalitatem impugnant. Nam si ideæ mentis nihil aliud sunt quam configurationes materiæ, nihil præterea habemus, quod non cum bestiis commune sit. Vide lib. inscriptum *Oracle des nouveaux philos. Convers.* 5.

(2) §. 264.

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 14. a. 1. & S. August. l. 12. de Gen. ad litt. c. 16. n. 33. ubi scribit: » Omni modo præstantior est, qui fa» cit, ea re de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius » est corpus; immo perspicuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo » prius videamus aliquod corpus, quod antea non videramus, atque in» de incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, quo illud, cum absens » fuerit, recordemur: tamen eamdem ejus imaginem non corpus in spi» ritu, sed ipse spiritus in seipso facit.«

(4) §. 215. sqq.

perceptio est operatio immaterialis, nec potest consistere in motu, sive in modificatione materiæ: si autem principium cognitionis intellectivæ esset materiale, jam effectus excederet suam causam; quod esse non potest, cum perfectio effectus contineatur in sua causa. Ideæ autem intellectivæ essent materiales, si forent modificationes materiæ. Igitur esse non possent principium intellectivæ cognitionis.

310 II. Ratio. Modificatio materiæ nihil est aliud, quam diversa dispositio, & configuratio partium materiæ diversimode motæ, ut adversariis placet. Atqui materiæ partes quacumque ratione disponantur, configurentur, ac moveantur, esse nequeunt principium cognitionis intellectivæ (1), Lockio ipso fatente (2). Ergo cum ideæ sint principium cognitionis intellec-

---

(1) Vide S. Thom. in 2. d. 3. q. 1. a. 1.

(2) Sic enim scribit Essai &c. l. 4. c. 10. §. 10. » la Matiére qui est » un Etre *non-pensant*, & le Mouvement, ne sauroient jamais faire » naître la Pensée, quelques changemens que le Mouvement puisse pro» duire tant à l' égard de la figure qu' à l' égard de la grosseur des » parties de la Matiére. Il sera toujours autant au-dessus des for» ces du Mouvement & de la Matiére de produire de la connois» sance, qu' il est au-dessus des forces du Néant de produire la Ma» tiére... Divisez la Matiére en autant de petites parties qu' il vous plaî» ra (ce que nous sommes portés à regarder comme un moyen de la » *spiritualiser* & d' en faire une chose *pensante*) donnez-lui, dis-je, » toutes les figures & tous les différens mouvemens que vous voudrez; » faites-en un Globe, ut Cube, ut Cone, un Prisme, un Cylindre, » &c. dont les diamétres ne soient que la 1000000. partie d' un *Gry*; » cette particule de Matiére n' agira pas autrement sur d' autres Corps » d' une grosseur qui lui soit proportionnée, que sur des Corps qui ont un » pouce, ou un pied de diamétre, & vous pouvez espérer avec autant de » raison de produire du sentiment, des pensées & de la connoissance, en » joignant ensemble de grosses parties de Matiére qui ayent une cer» taine figure, & un certain mouvement, que par le moyen des plus » petites parties de Matiére, qu' il y ait au Monde. Ses dernieres se » heurtent, se poussent, & résistent l' une à l' autre, justement com» me les plus grosses parties: & c' est-là tout ce, qu' elles peuvent fai» re." *Materia quæ est ens minime cogitans, & motus, numquam possent producere cogitationem, quæcumque esset variatio, quam motus producere posset tam respectu figuræ, quam respectu crassitudinis partium materiæ. Tam erit semper supra vires motus, & materiæ productio cognitionis, quàm est supra vires nihili productio materiæ... Dividatur materia in quaslibet minimas partes (qui quidem modus videtur esse materiam spiritualem efficiendi, exque ea formandi rem*

tivæ, fieri nullatenus potest, ut sint modificationes materiæ.

311 III. Ratio. Si ideæ consisterent in certo materiæ motu, jam ideæ oppositæ consisterent in motibus oppositis. Reperiuntur autem in nobis simul ideæ oppositæ, v. g. caloris, & frigoris; nisi enim in nobis reperirentur, ignoraremus, quid per illas significaretur, nec possemus unam ab altera distinguere. Ergo reperirentur simul in nobis motus oppositi: quod esse non potest (1).

312 IV. Ratio. Multa percipimus per ideas complexas, ut cum percipimus chiliogonum, id est, figuram constantem mille lateribus. Possumus etiam in chiliogono demonstrare, omnes angulos esse æquales 1996. angulis rectis. Tunc vero si ideæ essent

---

cogitantem) *ipsi tribuantur omnes figuræ, omnesque diversi motus, quos lubet; conformetur ut globus, ut cubus, ut conus, ut prisma, ut cylindrus &c. quorum diameter non excedat* 1000000. *partem* $\frac{1}{10}$ *lineæ* (hanc Lockius novo nomine vocat *Gry*); *hæc materiæ particula non aliter aget in alia corpora crassiciei ipsi proportionatæ, quam in corpora quæ habent pollicem, aut pedem diametri; eodemque jure fas vobis erit sperare, ut sensus, cogitatio, cognitio producatur ex conjunctione majorum materiæ partium habentium certam figuram, & certum motum, quam per minimas materiæ partes extantes in mundo. Hæ postremæ similiter sese impellunt, & urgent, atque invicem resistunt, perinde atque majores partes: quod est id omne, quod possunt efficere.* Itaque ex Lockio materia, & motus cognitionem producere numquam possunt; tamque excedit ea productio vim motus & materiæ, quantum productio materiæ excedit vim nihili: nam partes materiæ, quacumque demum ratione dividantur, ac moveantur, possunt quidem se invicem urgere, impellere, sibique resistere, sed nihil præterea efficere queunt. Hæc autem cum Lockius scribit, manifeste sibi contradicit: nam si ideæ possent esse modificationes materiæ, materia aliquando posset ita moveri, ut ex diversitate motuum cognitio gigneretur.

(1) Hanc rationem desumpsimus ex S. Thoma *7.* Metaph. lect. *6.* sic scribente: „Contrariorum formæ in materia sunt diversæ, & contra„riæ; in anima autem est quodammodo una species contrariorum: & „hoc ideo, quia formæ in materia sunt propter esse rerum formata„rum: formæ autem in anima sunt secundum modum cognoscibilem, „& intelligibilem. Esse autem unius contrarii tollitur per esse alte„rius. Sed cognitio unius oppositi non tollitur per cognitionem alte„rius, sed magis juvatur. Unde formæ oppositorum in anima non sunt „oppositæ.“

modificationes sive motiones materiæ, ut chiliogonum percipe-rem (1), ejusque angulos, tot deberent esse motiones in mea anima, quot sunt anguli, & latera chiliogoni, immo quot sunt ejus partes, quæ omnes moveri deberent. Cum autem motus in instanti esse non possit, est enim transitus de loco ad locum, qui transitus in instanti fieri nequit; sequeretur, chiliogonum percipi non posse nisi per partes, numquam vero totum simul posse percipi. Ideæ igitur in anima spirituales sunt (2).

313 Ad primum neg. cons. Nam quod partes cerebri commoveantur in iis qui acute, vehementiusque meditantur, non id provenit ex eo quod ideæ sint modificationes materiæ cerebri, sed quia, ut dictum est (3), ad actum intellectus requiruntur actiones virium corporearum utentium organis corporeis. Nam si ideæ in motibus organorum consisterent, sequeretur, intellectum, postquam vehementius meditatus fuit, esse minus aptum ad intelligendum: quod falsum est (4).

314 Ad secundum neg. min. si sermo sit de repræsenta-

---

(1) Idem dic de quolibet numero, præsertim pari: nam, ut advertit Angelicus 1. Metaph. lect. 8. » Numeri impares per ordinem si» bi additi, semper retinent figuram quadrati, pares autem figuram va» riant. Ternarius enim unitati, quæ est principium numerorum, ad» ditus, facit quaternarium, qui est primus quadratus: nam bis duo » quatuor sunt. Rursus quaternario quinarius additus, qui est impar, » novenarium constituit, qui est etiam quadratus, & sic de aliis. Si ve» ro binarius, qui est primus par, unitati addatur, triangularem nume» rum constituit, scilicet ternarium. Cui si addatur quaternarius, qui » est secundus par, constituit heptangulum numerum, qui est septena» rius. Et sic deinceps numeri pares sibi invicem additi, figuram non » eamdem servant."

(2) De numerorum æqualitate agens S. Augustinus, secundum quam de inæqualibus numeris judicamus, scribit l. 6. de Musica c. 12. *Æqualitatem illam, quam insensibilibus numeris non reperiebamus certam, & manentem, sed tamen adumbratam, & prætereuntem agnoscebamus, nusquam profecto appeteret animus, nisi alicubi nota esset: hoc autem alicubi non in spatiis locorum, & temporum; nam illa tument, & ista prætereunt*, &c.

(3) §. 119.

(4) *Excellentia sensibilium*, inquit S. Thomas 1. p. q. 75. a. 3. ad 2. *corrumpit sensum, quod in intellectu non contingit. Nam intellectus intelligens maxima intelligibilium, magis potest postmodum intelligere minora. Si vero in intelligendo fatigetur corpus, hoc est per accidens, in quantum intellectus indiget operatione virium sensitivarum, per quas ei phantasmata præparantur.*

tione activa, quo modo ideæ intellectuales repræsentant, sunt enim principium cognitionis, ut dictum est (1). Conceditur autem minor, si sermo sit de repræsentatione mere passiva, cujusmodi est repræsentatio rerum in speculis; nam ut docet S. Thomas (2), *formæ in speculo videntur ex quadam reflexione visualium radiorum, vel etiam formarum visualium ... reflexio autem fit ad loca determinata secundum proportionem corporum, ad quæ fit reflexio.* Et quia hæc proportio non est eadem in speculis planis, & concavis, ideo non est eadem reflexio; quæcumque autem sit, semper est passiva, quia formæ sive imagines non sunt à speculis, sed resultant in speculis, ut idem S. Thomas animadvertit (3).

315 Ad tertium neg. suppositum antecedentis, in quo supponitur, imaginem Cæsaris, dum percipitur, esse illam eamdem, & eodem modo, quo reperitur in auro sculpta: quod à veritate quam procul distat; qua enim via hæc imago sculpta penetrare in animum potest? Est igitur in anima imago Cæsaris alia ratione ab ea qua est in auro sculpta, ideoque nihil mirum, quod percipi possit sine auro (4).

ARTICULUS III.

Utrum ideæ sint formæ separatæ.

316 Plato cum animadvertisset, universa corporalia mobilia, proindeque incerta esse, statuit, præter corporalia quæ motu cientur, esse aliud genus entium, quæ ideas appellavit, quarum participatione & sensibilia constituerentur, & mens perciperet (5). An Plato hujusmodi ideas posuerit à Deo, &

---

(1) §. 264. (2) 2. de Cælo lect. 12. (3) ib.

(4) Accipere species sine materia non uni tantum convenit intellectui, sed etiam sensibus. *Sensus*, inquit S. Thomas 2. de ani. lect. 24. *est suspectivus specierum sine materia, sicut cera recipit signum annuli sine ferro, & auro .... Non enim eadem dispositio est ceræ ad imaginem, quæ erat in ferro, & auro. Assimilatur enim cera aureo sigillo, quantum ad imaginem, sed non quantum ad dispositionem auri. Et similiter sensus patitur à sensibili habente colorem, aut humorem, idest, saporem, aut sonum, sed non in quantum unumquodque illorum dicitur, id est, non patitur à lapide colorato, inquantum lapis, neque à melle dulci, in quantum mel ... Assimilatur enim sensus sensibili secundum formam, sed non secundum dispositionem materiæ.*

(5) Vide S. Thom. 1. p. q. 84. a. 1.

à rebus separatas, quæremus in sequenti articulo. Nunc autem quærimus, an reipsa sint.

317 Videntur autem esse, I. Quia si nulla est idea separata à rebus sensibilibus, hæ omnes erunt motui subjectæ. Nulla igitur de iisdem erit scientia, quæ debet esse de rebus immobilibus, & necessariis.

318 II. Essentiæ rerum sunt æternæ, & immutabiles. Sed tales non sunt, ut existunt in singularibus, in quibus sicut cœperunt esse, ita desinere possunt. Sunt igitur æternæ, & immutabiles in seipsis.

319 III. Omne quod est participatum, causatur ab eo, quod est per se tale. Sed anima intelligens participat intelligibilia. Ergo intellectio in anima causatur ab iis quæ sunt per se intellecta. Hæc autem sunt separata à materia. Existunt igitur ideæ separatæ.

Propositio. *Nullæ possunt esse ideæ per se existentes, à Deo, & à rebus separatæ.*

320 Prob. ratione S. Thomæ (1). Si hujusmodi extarent ideæ, forent substantiæ communes pluribus: substantiæ quidem, quia quod per se existit, & non in alio, substantia est, ut infra dicemus; communes vero, quia à pluribus participatæ. Atqui substantia communis pluribus, separata existere non potest (2). Si enim existeret, vel esset substantia omnium quæ sub ea continentur, vel unius duntaxat. Fieri autem non potest, ut sit substantia omnium, quia unum non potest esse substantia pluribus, quandoquidem plura sunt ea, quorum substantiæ sunt plures, & diversæ. Si autem sit substantia unius eorum, quæ sub ipsa continentur, jam non erit substantia comunis pluribus, sed singularis. Nullæ ergo possunt esse ideæ per se existentes, à Deo, & à rebus separatæ.

---

(1) 7. Metaph. lect. 13.

(2) Hac vel unica ratione evertitur totum impium systema Benedicti Spinozæ, cæterorumque Pantheistarum, qui nonnisi unam substantiam dari, aut concipi posse ajunt. Quare impudens est calumnia Antonii Genuensis cum Metaph. 1. p. c. 7. §. 58. edit. an. 1751. & prop. 94. edit. an. 1774. commentus, materiam primam ex Aristotele, nihil aliud esse, quam infinitam extensionem incorpoream, cujus principium activum sit ipsa actio Dei materiam pervadens; in doctrina Aristotelis, ejusque veteris Scholæ purum Spinozismum agnoscit. Sed hac de re alias.

321 Ad primum dist. ant. erunt motui subjectæ, & tamen sunt in eis habitudines immobiles, conc. secus, nego. *Rerum mutabilium*, inquit S. Thomas (1), *sunt immobiles habitudines: sicut Sortes, etsi non semper sedeat, tamen immobiliter est verum, quod quando sedet, in uno loco manet. Et propter hoc nihil prohibet, de rebus mobilibus immobilem scientiam habere.*

322 Ad secundum dist. maj. sunt æternæ in mente Divina, conc. extra mentem Divinam, subdist. sunt æternæ negative, conc. positive, nego. Cum enim essentiæ rerum creatarum sint quædam participata similitudo Divinæ essentiæ: hæc autem similitudo in Deo nihil aliud sit, quam Dei essentia ut imitabilis à creaturis; sequitur essentias rerum non esse positive æternas, nisi tantum in mente Divina (2). Quare sicut nulla creata veritas est positive æterna, nisi relate ad intellectum Divinum, nec ulla veritas esset positive æterna, si nullus esset intellectus æternus (3); ita nulla essentia rerum creatarum est positive æterna, nisi relate ad essentiam Divinam, nec ulla esset earum essentia, si nulla esset essentia æterna. Sane essentiæ rerum creatarum nihil aliud sunt, quam rationes, quibus res creatæ constituuntur (4). Hæ autem rationes in mente Divina continentur, earumque participatione est quælibet res, quoqùo modo est. Dum ergo mens considerat easdem rationes, quibus unaquæque res est quidquid est, dicitur essentiam illius rei considerare. Quare necesse non est, ut essentiæ rerum creatarum per se ipsas existant. Dicuntur autem esse in seipsis negative æternæ, quia abstrahunt ab omni tempore.

323 Ad tertium dicimus, mentem, cum intelligit, participare intelligibilia per species intelligibiles, quæ sunt intellectionis principium, ut dictum est: Species autem intelligibiles

---

(1) 1. p. q. 84. a. 1. ad 3.

(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 15. a. 1. & 2. (3) S. Thomas 1. p. q. 16. a. 7.

(4) *Singula* (inquit S. Augustinus. l. 83. quæst. 46. n. 2.) *propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum omnium creandarum, creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum, atque incommutabile potest esse ... non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, & ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut sit quidquid est, quoquo modo est.*

reducuntur in Deum, tamquam in primam causam, à qua est omne quod est. Itaque non oportet *intelligibilia* reducere ad ideas separatas (1).

ARTICULUS IV.

Utrum Plato admiserit ideas per se existentes, à Deo, & à rebus separatas.

324 De Platonis hac in re sententia eruditi viri decertant. Aristoteles (2) separatas illas ideas Platoni attribuit. Similiter S. Thomas (3), Scaligerus (4), aliique Critici juniores. Contra Atticus (5), Eugubinus (6), Ficinus (7), cum aliis ideas Platonis accipiunt pro ipsis rerum archetypis in mente Divina existentibus, ut dictum est (8).

325 Videtur autem Plato hoc sensu ideas accepisse; nam I. describens mundi generationem, ait (9): *Si pulcher est hic mundus, & Opifex mundi bonus, sempiternum certe exemplum maluit imitari.* Sed hoc exemplum est ipsa idea exemplaris mundi in Deo existens, antequam mundus conderetur. Ergo ideæ Platonis sunt exemplaria rerum in mente Divina existentia.

326 II. S. Augustinus (10) postquam docuit, ideas rerum esse rationes quæ in mente Divina continentur, subdit: *Has rerum rationes principales appellat ideas Plato.* Igitur ex mente Platonis ideæ sunt rationes in Deo existentes.

327 III. Quod autem Aristoteles aliter illas ideas acceperit, id evenit, vel quia imminuere voluit gloriam Magistri sui, vel quia ejus mentem non est assequutus, vel quia ita verba Platonis præseferre videbantur (11).

---

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 16. a. 1. ad 3. & q. 84. a. 4. ad 1.
(2) 1. Metaph. & alibi. (3) 1. p. q. 79. a. 3. (4) Exer. 6. n. 4.
(5) Apud Euseb. l. 15. Præp. c. 12. (6) l. 1. peren. Phil. c. 12.
(7) Epist. 44. (8) §. 322. (9) in Timæo. (10) l. 83. quæst. 46. n. 2.
(11) Nam, ut advertit S. Thomas 1. de ani. lect. 8. » Aristoteles » plerumque, quando reprobat opiniones Platonis, non reprobat eas » quantum ad intentionem Platonis, sed quantum ad sonum verbo» rum ejus.“ Siquidem Plato symbolico loquendi genere sæpe utitur, ut post Laërtium l. 3. idem Angelicus observat loc. cit.

Propositio. *Plato ideas, sive naturas quasdam admisit per se subsistentes, à Deo, & à rebus separatas.*

328 Ita S. Thomas (1) veteres Ecclesiæ Patres sequutus (2). Prob. ejusdem Platonis verbis, qui in Phædone, ut ostendat, animas hominum extitisse ante corpora, & seorsim à corporibus intellexisse, sic scribit: *Si quidem sunt ea quæ quotidie prædicamus* (3), *pulchrum, scilicet, quiddam, atque bonum, & omnis ejusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus; necesse est, ita ut ipsa sunt, nostram quoque animam, prius etiam quam nasceremur, extitisse.* Ex Platone igitur essentiæ, seu ideæ rerum perinde existunt, atque anima existebat priusquam nasceremur. Sed ipso Platone docente, anima, antequam nasceremur, existebat à Deo, à corpore, & ab aliis rebus separata, eratque per se subsistens; quod multis ille in eodem *Phædone* probare nititur. Igitur ex Platone ideæ sunt per se subsistentes, à Deo, & à rebus separatæ; alioquin ejus ratio nihil concluderet.

329 Ad primum dicimus, exemplar de quo Plato loquitur, esse à Deo distinctum. Nam ut S. Thomas (4) post S. Ambrosium (5), & Alcinoum (6) animadvertit, Plato tria rerum principia posuit, materiam, Deum, & ideam. Quorum principiorum unum non erat alterius causa, sed per illa mundus, &

---

(1) 1. p. q. 79. a. 3. & alibi.

(2) Vide Tertull. l. de anima c. 8. ubi conqueritur, *in ideis Platonicis Gnosticorum semina relucere.* Ex eodem capite S. Irenæus l. 2. adv. hær. c. 16. & 19. Gnosticos arguit, quod Platonem sequuti dixerint, æones suos imagines esse eorum quæ sunt. Justinus quoque utroque superior idipsum luculenter adserit scribens in Cohortat. ad Græc. n. 6. *Existimavit* (Plato) *formam ante id quod sensibus subjectum est, separatim existere.* Conferri etiam possunt Nazianzenus Orat. 2. de Theol. Ambrosius l. 1. Hexam. c. 1. n. 1. & l. 4. de Fide c. 4. n. 46. & S. Cyrillus Alex. l. 2. adv. Julian. ubi insuper advertit, Platonem circa ideas non sibi constitisse: nam *interdum substantias illas esse, ac per se subsistentes affirmat; aliàs Dei notiones esse definit.*

(3) Hæc verba indicant, totum systema Platonicum niti doctrina idearum separatarum.

(4) In 2. d. 1. q. 1. a. 1. (5) L. 1. Hexam. c. 1. n. 1.

(6) Cap. 9.

ea quibus mundus constat, efficiebantur; ideoque materia ex Platonis sententia ingenita erat, & Deo coæterna (1). Quod ergo ait, Deum condendo mundum fuisse imitatum sempiternum exemplar, de exemplari intelligitur existente extra Deum.

330 Ad secundum dicimus, Platonem à S. Augustino fuisse emendatum (2), & loco idearum separatarum ideas in mente Divina fuisse positas (3).

331 Ad tertium negamus, Aristotelem voluisse Platonis gloriam imminuere, ipsi affingendo absurdam sententiam (4); nam Aristoteles de Platone honorifice loquitur, tunc præsertim cum de ideis agit (5). Negamus insuper quod additur de Aristotele mentem Platonis non assequuto; quis enim credet, acutum Philosophum, qui viginti annorum spatio (6) Platonem docentem audierat, quid is diceret, minime intellexisse? Quod vero subjicitur de reprobatis ab Aristotele Platonis verbis, non sententiis, id verum habet in aliis plerisque opinionibus; nam in ea quam versamus, tantum abest, ut verum sit, quin sæpe S. Thom. ostendit, totum Platonis systema illa contineri.

ARTICULUS V.

Utrum ideæ intellectuales menti sint concreatæ, sive, ut ajunt, innatæ.

332 Jam obsoleverat Platonis opinio, cum illam Renatus Cartesius aliqua ex parte restituere aggressus fuit. Rejectis igitur ideis separatis, ideas posuit alias *adventitias*, alias *factitias*, alias *innatas* (7). Adventitias appellavit, quæ à rebus procedunt

---

(1) Vide S. Iren. l. 2. adv. hær. c. 19. Justin. in Cohort. ad Græc. & Theoph. l. 2. ad Autolyc.

(2) Ex regula quam tradit idem Augustinus l. 2. de Doctr. Christ. c. 40. » Habent doctrinæ omnes Gentilium simulata, & superstitiosa » figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris, quæ unusquisque » nostrum, duce Christo, de societate gentilium exiens debet abomina» ri, atque devitare. «

(3) Ita S. Thomas 1. p. q. 84. a. 5.

(4) » Quasi vero (inquit Scaligerus Exerc. 6. n. 4.) iis ea tempo» ribus scripserit (Aristoteles), quæ non ab omnibus recepta Platonici » publice profiterentur. « Hi sane magno tunc numero erant, mendaciumque deprehendere facile potuissent.

(5) 1. Ethic. c. 4. ubi de ideis *quæstionem lubricam sane, atque arduam* appellat, *propterea quod homines amici ideas introduxerunt.*

(6) Idem Aristoteles 1. Metaph. c. 6. (7) Medit. 3.

extra non positis, ut idea solis. Factitias, quæ à mente fiunt, conjungendo ideas adventitias; ut idea hippocentauri. Innatas, quæ habentur ab ipsa natura, suntque nobiscum creatæ, ut idea veritatis (1).

333 Videntur autem dari hujusmodi ideæ innatæ: I. quia in mente sunt ideæ universalium. Sed hæ proficisci à sensibus nequeunt, cum sensus sint circa singularia. Quare S. Augustinus (2) de ideis rerum abstractarum loquens, ait: *Unde ad me intraverint, dicant, si possunt. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio, qua earum ingressæ sint.* Extant igitur ideæ innatæ.

334 II. Cum veritatem, sapientiam, justitiam cogitamus nihil est earum quod per sensus transierit, ut S. Augustinus animadvertit (3). Idem dicendum de potentiis animæ, earumque operationibus, ac de ipsa anima. Ideæ igitur harum, & similium rerum sunt menti concreatæ.

335 III. Menti insunt principia naturaliter nota, ut omne totum est majus sua parte. Sunt igitur innatæ ideæ horum principiorum.

336 IV. Si ideæ mentis essent acceptæ à sensibus, mens à sensibus penderet, adeoque à corpore in sua præcipua operatione, quæ est intelligere. Penderet igitur à corpore etiam in esse, ac proinde corporea foret.

Propositio. I. *Nullæ in nobis extant ideæ intellectuales nobiscum creatæ.* II. *Neque ullas in nobis Deus producit, cum illis indigemus.*

337 In hac propositione habemus consentientes Gassendum (4), & Lockium (5) ipsumque Malebrancium (6).

---

(1) Hæc Cartesius non facile sibi credidit: nam ibid. ait.: » Fortasse etiam omnes adventitias possum putare, vel omnes innatas, vel » omnes factas; nondum enim veram illarum originem clare perspexi. " Qua in re prudentius se gessit, quam ii qui universas mentis ideas innatas dixerunt; nullamque à sensibus proficisci, nisi per occasionem, quia videlicet motus in cerebro excitati excitandis in mente ideis deserviunt. (2) L. 10. Confess. c. 10.

(3) Enar. in Psal. 41. n. 7. ubi scribit: » Dicatur mihi, quem colorem habet sapientia? Cum cogitamus justitiam, ejusque intus in » ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid sonat ad aures? quid » tamquam vaporeum surgit ad nares? quid ori infertur? quid manu » tractatur, ac delectat? " (4) Inst. Log. p. 1. can. 2.

(5) De intellect. hum. l. 2. c. 1. (6) De inquis. ver. p. 2. c. 4.

338 Prob. 1. p. Si quæ in nobis essent ideæ nobiscum creatæ, non posset anima ob unionem cum corpore omnino impediri, ne illis ideis uteretur statim atque incipit esse, ideoque statim intelligeret : Sed oppositum experiendo deprehendimus (1) : Nullæ sunt igitur ideæ nobiscum creatæ. Prob. maj. ratione S. Thom (2). Anima corpori naturaliter unitur; est enim forma corporis hominem constituens (3) : intelligere autem est operatio naturalis animæ intellectivæ (4). Atqui naturalis operatio alicujus rei nequit omnino impediri per id quod est illi secundum naturam. Anima igitur intellectiva ob unionem cum corpore non posset omnino impediri, ne ab initio statim intelligeret, si quas ideas innatas haberet.

339 Præterea fieri non potest, ut res aliqua naturaliter inclinet in id, quo impeditur à sua operatione, præsertim

---

(1) Nam si anima statim à creatione ideis innatis fuisset usa, intellexissetque; maxime se novisset, cum nihil animæ tam præsto esset, quam ipsa sibi. Quis autem credet, mentem infantium se ipsam noscere? » In alios corporis sensus (inquit S. Augustinus l. 15. de Trin. » c. 5.) quantum sinit illa ætas, intentione se quasi coarctant animæ » parvulorum, ut quidquid per carnem offendit, aut allicit, hoc solum » abhorreant vehementer, aut appetant : sua vero interiora non cogi» tent, nec possint admoneri, ut hoc faciant; quia nondum admo» nentis signa noverunt, ubi præcipuum locum verba obtinent, quæ si» cut alia prorsus nesciunt. "

(2) 1. p. q. 84. a. 3.

(3) Ita definitum fuit in Concilio Viennensi, & habetur in Clement. 1. de Sum. Trin. *Doctrinam omnem, seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ, vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam Fidei, prædicto Sacro approbante Concilio reprobamus : Definientes ... quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.* Idipsum jam ante adfirmatum habemus in Epist. S. Cyrilli Alex. ad Monachos Ægypti, quæ refertur 1. p. Act. Conc. Ephesini Tom. 3. Conc. edit. Paris. an. 1671. Sic enim in illa n. 12. *Hominis anima, licet natura à corpore quod informat, diversa intelligatur & sit sua propria ratione, una tamen cum suo corpore oritur, & velut unum quippiam cum ipso censetur.* An hæc congruant cum systemate causarum occasionalium, vel armoniæ præstabilitæ, dicemus alibi.

(4) Est enim propria operatio hominis, quatenus est homo. Vide S. Thom. 1. Metaph. lect. 1.

præcipua : operatio enim est perfectio operantis : unaquæque autem res naturaliter inclinat in suam perfectionem , refugit vero omne id , per quod ab assequenda sui perfectione prohibetur. Positis autem ideis nobiscum creatis , quibus anima uti non posset ob unionem cum corpore , jam anima ob eam unionem retardaretur ab intellectione , quæ est præcipua naturalis ejus operatio. Itaque naturaliter non inclinaret in unionem cum corpore ; neque proinde talis unio esset illi secundum naturam.

340 Insuper potestas animæ intellectivæ ad intelligendum est quodammodo infinita , ut dictum est (1) ; possumus enim cogitare species numerorum , figurarum , proportionum in infinitum (2). Atqui nihil possumus intelligere , nisi per ideas, ut supra diximus (3). Si igitur ideæ essent nobiscum creatæ, haberemus nobiscum infinitas ideas , scilicet , ideæ infinitæ essent in mente finita (4). Nec dici potest , infinitas species numerorum

---

(1) §. 231.

(2) Consule S. August. l. 12. de Civ. c. 18. de numeris scribentem: *Eos infinitos esse , certissimum est : quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris , idem ipse , non dico uno addito augeri, sed quamlibet sit magnus , & quamlibet ingentem multitudinem continens in ipsa ratione , atque scientia numerorum , non solum duplicari , sed etiam multiplicari potest* , &c.

(3) §. 269.

(4) Id magis urget , si per ideas innatas Cartesius intelligat facultatem cogitandi , ut intelligere videtur , cum scribit in not. ad art. 12. program. Belgici. » Numquam scripsi , vel judicavi , mentem indigere » ideis innatis , quæ sint aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi. » Quod istæ ideæ sint actuales , vel quod sint species , nescio quæ , à » cogitandi facultate diversæ , nec umquam scripsi , nec cogitavi. « Cum enim facultas cogitandi non sit ex Cartesio aliquid distinctum ab anima , oporteret , animam esse in seipsa infinitam , ut potens esset intelligere species numerorum in infinitum. Sed vide , quam constans sibi fuerit Cartesius , & quantus Philosophus ; nam statim subdit ibidem: » Sed cum adverterem , quasdam in me esse cogitationes , quæ non » ab objectis externis , nec à voluntatis meæ determinatione procedebant , sed à sola facultate cogitandi , quæ in me est , ut ideas , sive » notiones , quæ sunt istarum cogitationum formæ , ab aliis adventitiis, » aut factitiis distinguerem , illas innatas vocavi. « Cartesius igitur affirmat , ideas innatas *non esse quid diversum à facultate cogitandi*, & nihilominus *procedere à facultate cogitandi* , *& esse cogitationum formas*. Hæc autem aperte invicem pugnant ; nam si ideæ innatæ, procedunt à facultate cogitandi , quomodo non sunt quid diversum à

à nobis cognosci per unam ideam generalem. Cum enim mens nostra sit infima in ordine intellectivo, nequit per unam ideam generalem distincte cognoscere species peculiares (1).

341 Accedit, quod illi qui aliquo sensu sunt destituti, omni quoque destituuntur scientia illarum rerum, quæ per eum sensum percipiuntur (2): quod non contingeret, si ideæ rerum essent nobiscum creatæ (3).

342 Ad hæc, per adversarios potest mens sibi formare ideas

---

facultate cogitandi? anne facultas cogitandi poterit à seipsa procedere? Si autem ideæ innatæ procedunt à facultate cogitandi; igitur innatæ non sunt; quod enim est innatum cum facultate cogitandi, ab ipsa non procedit; nam quod procedit ut effectus, posterius est eo à quo procedit, adeoque non est cum illo innatum. Præterea si ideæ innatæ sunt formæ cogitationum, jam non sunt ipsæ cogitationes, multoque minus facultas ipsa cogitandi: nam quod format, distinguitur ab eo quod formatur, ut anima, quæ est forma corporis, distinguitur à corpore, cujus est forma. Insuper quæri potest, an ideæ adventitiæ, & factitiæ sint formæ cogitationum? quod videtur à Cartesio negari non posse. Quæ est enim forma cogitationis meæ, dum Solem concipio, nisi idea Solis, quæ per Cartesium adventitia est? Igitur male distinguit Cartesius ideas innatas ab adventitiis, & factitiis, ex eo quod innatæ sunt cogitationum formæ. Rursus si idea innata, v. g. Dei, esset facultas cogitandi de Deo, etiam ideæ aliarum rerum essent facultas cogitandi de illis; facultas autem cogitandi una est, ad quascumque res adhibeatur. Igitur una tantum esset idea omnium rerum, & nugatoria esset distinctio idearum in innatas, adventitias, & factitias. Vide Huetium Cens. Phil. Cartes. c. 3. §. 9.

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 85. a. 3. & 2. con. Gent. c. 49.

(2) Sic cæcus à nativitate nullam habere potest ideam coloris. Sic surdus à nativitate nullam habere potest ideam sonorum, atque adeo vocum; quo fit ut surdi à nativitate sint etiam muti. Hinc S. Thomas de sensu, & sens. lect. 2. » Omnis, *inquit*, surdus à nativitate ex necessi» tate mutus est. Non enim potest addiscere formare sermones significati» vos, qui significant ad placitum. Unde sic se habet ad locutionem » totius humani generis, sicut ille qui numquam audivit aliquam linguam » ad imaginandum illam. "

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 84. a. 3. Cartesius autem in respons. ad quintas object. pag. 64. hujus rationis vi pressus à Gassendo, nihil habens quod responderet ait: » Qui scis nullam esse ideam coloris in cæco » nato? cum interdum in nobis, etsi claudamus oculos nihilominus sen» sus lucis, & coloris excitentur. " Cui non hæc stomachum moveant? Satis est quempiam cæcum natum interrogare, qui ingenue fatebitur, nullam sibi inesse coloris ideam. Quod autem in nobis clausis oculis excitetur sensus lucis, & coloris, id si de sensu visus intelligatur,

adventitias (1) rerum sensibilium occasione impressionum, quæ fiunt in sensibus. Ergo multo magis poterit sibi formare ideas rerum insensibilium occassione idearum rerum sensibilium, quas jam formavit; major enim proportio est inter ideas rerum sensibilium ab anima formatas, & ipsam animam, quam inter animam, & impressiones sensuum; hæ siquidem sunt corporeæ, illæ autem incorporeæ.

343 Prob. 2. p. ratione S. Thomæ (2), quæ priorem etiam partem confirmat. Si Deus in nobis produceret ideas, cum illis indigemus, assignari non posset ratio sufficiens unionis animæ cum corpore : nam anima intellectiva non unitur corpori propter corpus (3), alioquin forma esset propter materiam, & motor propter mobile : quod esse non potest; numquam enim perfectius est propter imperfectum, sed econtra, ut ordo in rebus consistat. Unitur ergo anima intellectiva corpori, non propter corpus, sed propter seipsam. Non autem sic unitur, ut sit; quandoquidem esse animæ intellectivæ non pendet á corpore, alioquin corporea foret. Unitur er-

---

contradictorium est; videremus enim simul, & non videremus. Si autem accipiatur de imaginatione lucis, & coloris, verum est; attamen præcessit visio, quæ in cæco nato præcedere numquam potuit.

(1) Cartesius sibimet contradicit; nam postquam ideas adventitias admisit, haustas scilicet ex sensibus, tandem negat illas dari, nec alias agnoscit præter innatas. Sic enim scribit in Notis ad art. 12. Program. Belgici p. 185. » Nihil ab objectis externis ad mentem nos» tram per organa sensuum accedit præter motus quosdam corporeos (explicare debuisset, quomodo hi motus ad mentem accedant, quod tamen non fecit) » sed ne quidem ipsi motus, nec figuræ ex iis or» tæ à nobis concipiuntur, quales in organis sensuum fiunt, ut fuse » in Dioptrica explicui; unde sequitur, ipsas motuum, & figurarum » ideas esse nobis innatas. " Si nihil præter motus quosdam pervenit ad animam ab objectis externis; ideæ autem eorumdem motuum sunt innatæ; nulla igitur est idea adventitia accepta ex sensibus, neque proinde ulla est idea factitia, quæ coalescit ex ideis adventitiis. Ludit ergo Cartesius, cum ideas dividit in adventitias, factitias, & innatas. Quid est autem, quod *ibidem* agens Cartesius de ideis rerum extra nos positarum, ait, mentem occasione sensuum determinari ad illas *efformandas*? Nam si tales ideæ à mente efformantur, procul dubio non sunt innatæ.

(2) 1. p. q. 84. a. 4.

(3) » Infra te (inquit S. Augustinus Ser. de utilit. jejunii) est caro » tua, supra te est Deus tuus : cum vis ut serviat tibi caro tua, admo» neris quomodo te oporteat servire Deo tuo. "

go corpori, ut operetur; nulla enim alia hujus unionis assignari ratio potest (1). Atqui operatio propria animæ intellectivæ est intellectio. Corpori ergo anima unitur, ut intelligat. Sed necesse non haberet uniri corpori ad intelligendum, si Deus in ipsa produceret ideas, cum illis indigeret, multoque minus si ab initio produxisset cum ea omnium rerum ideas. Ergo anima intellectiva frustra uniretur corpori (2).

344 Ad primum dist. min. ideæ rerum universalium à sensibus proficisci non possunt immediate, concedo, mediate, nego. Qui fieri possit, ut ideæ universalium à sensibus proficiscantur, facile intelligitur (3). Etenim in rebus singularibus, quæ sub sensibus cadunt, quædam sunt, in quibus singularia conveniunt, quædam in quibus differunt. Singuli homines in eo conveniunt, quod quisque sentit, & ratione pollet. Differunt, quia non idem corpus, non eamdem figuram, colorem &c. habent. Si hæc in quibus singuli differunt, se-

---

(1) Damnata est enim ab Ecclesia sententia Origenis adfirmantis animas intellectivas relegari in corpus tamquam in carcerem ob leviores culpas in cœlo contractas. Qua de re consule S. Thom. Opusc. 15. c. 12. S. Epiphanium Epist. quæ est 60. inter Epist. Hieronymi, ipsumque S. Hieronymum Epist. 59. & S. Augustinum l. 11. de Civ. c. 23. & hæresi 43. ubi sententiam Origenis vanissimam impietatem appellat.

(2) Quod si dicatur, sensus esse causas excitantes mentem ad ea consideranda, quorum ideas Deus in mente producit, nec etiam assignatur ratio sufficiens unionis. Excitatio enim illa esset ad tollendum impedimentum ob unionem animæ cum corpore, adeoque animam supponeret unitam corpori. Remaneret ergo assignanda ratio unionis animæ cum corpore. *Mortalis natura*, inquit Lactantius l. 3. Inst. c. 3. *non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus. Idcirco enim oculos, & aures, & cæteros sensus patefecit in corpore divina solertia, ut per eos aditus scientiæ permaneret ad mentem.*

(3) Cartesius ipse 1. p. Princip. §. 59. explicans, quomodo fiant universalia: *Fiunt hæc universalia*, inquit, *ex eo tantum, quod una, & eadem idea utamur ad omnia individua, quæ inter se simillia sunt, cogitanda..... Ita cum videmus duos lapides, nec ad ipsorum naturam, sed ad hoc tantum quod duo sunt attendimus, formamus ideam ejus numeri, quem vocamus binarium..... Eodemque modo cum spectamus figuram tribus lineis comprehensam, quandam ejus ideam formamus, quam vocamus ideam trianguli; & eadem postea ut universali utimur ad omnes alias figuras tribus lineis comprehensas animo nostro exhibendas.* Hæc autem quisque videt, quam sint consentanea iis, quæ ipse Cartesius docet, statuens, ideas figurarum esse innatas. Vide not. 1. pag. 199.

cernantur, reliquum erit id, in quo singuli conveniunt, hoc est, essentia, sive natura. Hæc autem est universalis, cum sit una communis pluribus. Itaque & ideæ universalium à sensibus proficiscuntur (1). Numquam enim mens secrevisset id in quo singuli homines conveniunt, ab eo in quo singuli differunt, nisi singulares homines attigisset : illos autem per sensus attigit. Similiter explicanda sunt verba S. Augustini, qui si rerum abstractarum notitias, nullo modo proficisci à sensibus existimasset, nequaquam scripsisset (2), *mentem corporearum rerum notitias* (quæ utique abstractæ sunt) *per sensus corporis colligere.*

345 Ad secundum eodem modo dist. ant. Cum enim veritas nihil sit aliud, quam conformitas rei cum ratione, *veritatem intelligimus*, inquit S. Thomas (3), *ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur.* Ideæ autem rerum etiam universalium à sensibus sunt acceptæ, ut dictum est (4). Itaque & idea veritatis à sensibus quodammodo proficiscitur (5). Idem dicendum de bonitate, quæ est conformitas rei cum voluntate.

346 Similiter cognoscimus sapientiam, justitiam, cæterasque virtutes cum intellectuales, tum morales; habitus enim, ut alibi ostendemus, accipiunt speciem ab actibus, & objectis, & per ea cognoscuntur : objecta autem á sensibus pendent (6). Verba au-

---

(1) *Animus* (inquit Huetius Cens. Phil. Cartes. c. 3. §. 9.) *in rebus multis idem quidpiam animadvertens, excerpit illud è multis, in quibus fuerat dispersum, & in unum colligit, atque inde ideam universalem conflat. Velut in Petro, & Joanne, aliisque hominibus singulis deprehendens, eos esse animalia ratione prædita, jam neque Petrum, neque Joannem, neque ullum singularem hominem spectans educit illud, & componit in unum, quod multiplex fuerat, ac generalem illam & universalem conflat, & confingit ideam, sibique commendat, omnem hominem esse animal rationale.*

(2) L. 6. de Trin. c. 3. (3) 1. p. q. 84. a. 7. (4) §. 344.

(5) »Non alia est idea veritatis (ait Gassendus Dubit. 2. in 3. Cart. Medit.) »quam idea rei quatenus rei conformis est, seu quate» nus ipsam repræsentat cujusmodi est, adeo proinde, ut si idea rei non » innata, sed adventitia sit, idea quoque veritatis adventitia sit, non » innata."

(6) Non ideo tamen assentimur Joanni Clerico adserenti Pneumatol. sect. 1. c. 5. §. 23. *ideas virtutis, & vitii non esse innatas, quod exemplis, & institutione eas à parentibus, magistris, iisque quibuscum vivimus habeamus.* Etsi enim exempla, & institutio plurimum ad virtutes morales cognoscendas, comparandasque conferant; nihilominus non ex iis dumtaxat fontibus earum ideæ profluunt; alioquin

tem S. Augustini intelligenda sunt de sapientia, & justitia in seipsis, quæ cum sint spirituales habitus, per sensus immediate transire non possunt (1).

347 Idem esto judicium de potentiis animæ spiritualibus, quæ cognoscuntur per proprios actus, qui pendent ab objectis. Eodem modo cognoscimus animæ operationes. Ut enim cognoscam me cognoscere, opus est actu reflexo : is autem supponit actum directum : actus autem directus est circa objectum: objectum vero per sensus transiit modo explicato; igitur & operationes animæ sin immediate, mediate tamen cognoscuntur per sensus (2). Pari modo animam cognoscimus per proprium actum (3) : actus vero animæ ab objecto dependet.

348 Ad tertium dist. ant. menti insunt principia naturaliter nota, quoad ad lumen rationis, quo statim cognoscitur

---

si homo esset, qui nec aliorum exempla virtutis vidisset, neque institutus umquam fuisset à quopiam; is nullam moralis virtutis, ac vitii ideam haberet, adeoque nec ullam ideam legis naturalis; quare nec facere posset ea quæ legis naturæ sunt, neque contra illam peccare; neque Apostolus Rom. 2. v. 14. sq. scripsisset: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibuis suis* &c. Dicimus ergo, ideas virtutum, & vitiorum acquiri per sensus, quatenus objecta eorum per sensus acquiruntur; v. g. objectum justitiæ est *justum*, quod ponitur, cum unicuique redditur quod suum est; reddere autem unicuique quod suum est, actio exterior est, quæ in sensus cadit : lumine autem rationis signato super nos cognoscimus, hanc actionem esse conformem legi Dei æternæ; adeoque cognoscimus etiam debere esse aliquam virtutem, quæ ad hanc actionem peragendam inclinet, & sic acquirimus ideam justitiæ. Sufficit ergo lumen naturale rationis ad acquirendas ideas virtutum moralium, etiamsi nulla sint exempla, nullaque externa institutio. Vide S. Thom. 1. 2. q. 94. a. 3. sq.

(1) Quod sapientia acquiri possit per sensus, idem S. Augustinus affirmat l. 2. de Gen. ad litt. c. 8. n. 17. scribens: *Neque sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent.*

(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 87. a. 3.

(3) Ut S. Thomas advertit q. cit. a. 1. dupliciter anima potest se cognoscere per actum suum, uno modo *particulariter*, cum scilicet quis *percipit se habere animam intellectivam ex hoc quod percipit se intelligere. Alio modo in universali, secundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus consideramus.* Addit porro, *judicium, & efficaciam hujus cognitionis, per quam naturam animæ cognoscimus, competere nobis secundum derivationem luminis intellectus nostri à*

eorum veritas, conc. quoad determinationem specierum, nego. Principia tam speculativa, quam practica, partim cum anima creata sunt, scilicet, quantum ad lumen rationis, quo statim cognoscimus veritates manifestas; partim à sensibus proficiscuntur, nempe, quantum ad determinationem idearum. Cum enim principia exponantur per propositiones, hæ autem constent tribus saltem ideis, nimirum subjecti, prædicati, & copulæ; evidens est, ut Lockius animadvertit (1), nulla esse principia innata, si nullæ sunt ideæ innatæ, ut est probatum, nullas esse (2).

349 Ad quartum respondet S. Thomas (3): *Corpus requiritur ad actionem intellectus non sicut organum, quo talis actio exerceatur, sed ratione objecti: phantasma enim comparatur ad intellectum, sicut color ad visum. Sic autem indigere corpore, non removet, intellectum esse subsistentem; alioquin animal non esset aliquid subsistens, cum indigeat exterioribus sensibilibus ad sentiendum.*

ARTICULUS VI.

Utrum idea Dei sit nobiscum creata.

350 Ex hactenus dictis constare jam satis posset, ideam Dei non esse nobis innatam. Verum quia Cartesius (4) arbitratur, tam splendide, tamque insigniter ab unoquoque deprehendi in seipso ideam cujusdam rei infinitæ, summeque perfectæ, ut inde queat demonstrari existentia idearum innatarum; abs re non erit, de illa speciatim agere.

---

veritate divina, in qua rationes omnium rerum continentur. Differunt tamen prædicti modi cognoscendi animam, quia ad priorem *sufficit ipsa præsentia animæ, quæ est principium actus, ex quo mens percipit seipsam; & ideo dicitur se cognoscere per suam præsentiam. Sed ad secundam cognitionem de mente habendam non sufficit ejus præsentia, sed requiritur diligens, & subtilis inquisitio.*

(1) De intellect. hum. l. 1. c. 3.

(2) Idipsum docet S. Thom. 1. 2. q. 51. a. 1. » Ex ipsa natura ani» mæ intellectualis convenit homini, quod statim cognito, quid est to» tum, & quid est pars, cognoscat, quod omne totum est majus sua » parte: & simile est in cæteris. Sed quid sit totum, & quid sit pars, » cognoscere non potest, nisi per species intelligibiles à phantasmatibus » acceptas. "

(3) 1. p. q. 75. a. 2. ad 3. (4) Medit. 5.

251 Videtur autem esse innata idea Dei : I. quia idea entis summè perfecti, ut est Deus, oriri non potest à rebus imperfectis, cujusmodi sunt res extra Deum (1). Ergo.

352 II. Ex sola visione colorum non possumus devenire in notitiam sonorum. Ergo multo minus ex rebus finitis cognoscere possumus Deum infinitum (2).

353 III. Realitas objectiva ideæ Dei requirit aliquam causam, in qua contineatur non solum objective, sed etiam formaliter, vel eminenter. Sed hæc realitas in nobis nullo modo continetur, alioquin esset in nobis infinita perfectio, quæ in illa realitate relucet. Non potest ergo esse à nobis, sed requirit Deum pro causa (3).

354 IV. Idea Dei est omnibus communis, & perpetua. Sed talis non esset, si ab hominibus fieret ; esset enim diversa pro hominum diversitate. Est igitur innata (4). Quare Tertulianus (5) notitiam Dei vocat *animæ à primordio dotem*; & S. Hieronymus (6) ait, illam *natura omnibus inesse.*

355 V. Tantum abest, ut ex rebus creatis Deum cognoscamus, quin res creatas cognoscere minime possemus, nisi præcederet in nobis idea Entis summè perfecti. Nam res creatæ, sunt aliæ magis, aliæ minus perfectæ : magis autem, & minus perfecta dicuntur ea quæ diversimode apropinquant illi, quod est maxime tale, ut docet S. Thomas (7). Quapropter S. Augustinus (8) ait : *Undè qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur longe plurimum differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur* (9) ?

Propositio. *Idea Dei, quam in hac vita habemus, non est nobiscum creata, sed à rebus sensibilibus accepta.*

Prob. 1. ex Sacris Litteris. Sap. 13. reprehenduntur impii homines, in quibus *non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est.* Illis autem non esse ignoscendum dicitur, non quia ad ideam innatam Dei animum non adverterunt, sed quia *si tantum potuerunt scire, ut pos-*

(1) Ibid. (2) Cartes. in resp. ad secundas object.
(3) Cartes. in resp. ad 2. object. more geometr. dispositis prop. 2.
(4) Idem in resp. ad 2. object. (5) L. 1. con. Marc. c. 10.
(6) In c. 1. Epist. ad Galat.
(7) 1. p. q. 2. a. 3. (8) L. de vera Relig. c. 30.
(9) Cartes. Medit. 3. & Malebr. de inquis. ver. p. 2. c. 6.

sent æstimare sæculum : quomodo hujus Dominum non facilius inveneruni ? Igitur cognitio Dei non ex sola ejus naturæ consideratione (1), neque ex sola ejus idea, quæ in nobis sit (2), neque ex nostra tantum existentia (3) haberi potest, sed maxime ex rebus visibilibus.

357 Prob. 2. ex Patribus, & Philosophis. Immensus forem, si singulos commemorare vellem. Ex Philosophis videri possunt Sextus Empyricus (4), Epictetus (5) Asclepius (6), Dio Chrysostomus (7), Plotinus (8), Plutarchus (9). Ex Pa-

(1) Cartesius in Respon. ad 2. object. prop. 1. scribit : *Dei existentiam ex* SOLA *ejus naturæ consideratione cognosci.*

(2) Idem Cartesius ib. prop. 2. statuit. *Dei existentiam ex eo* SOLO, *quod ejus idea sit in nobis à posteriori demonstrari.* Quasi existentia Dei demonstrari possit à priori ex ejus naturæ consideratione : Quod tamen Patres communiter negant. Vide Nazianzenum Orat. 34. & 42. Basilium l. 1. con. Eunom. Nissenum Orat. 32. con. Eunom. & Chrysostomum Hom. 2. de incomprehensibili Dei natura.

(3) Sic Cartesius ib. prop. 3. probat Dei existentiam *etiam ex eo quod nos ipsi habentes ejus ideam existamus.*

(4) L. 8. adv. Mathemat. » Qui primi, *inquit*, cœlum intuiti sunt, » ac solem contemplati ab ortu in ocasum cursum suum velut in sta» dio conficientem : stellarum vero quasdam velut ordine procedentes » choreas, pulcherrimæ hujus ordinationis artificem inquisierunt ; cum » eam minime fortuito evenire conjicerent, sed à præstantissima qua» dam, incorruptaque natura quæ quidem Deus est. »

(5) Apud Arrianum l. 1. c. 6. » ex apparatu ipso operum solerti, » & artificioso pronunciare solemus, effectorem esse artificem aliquem, » nec temere, & casu evenisse ista. Ergo horum quidvis suum nobis » declarat artificem ; adspectabilia vero illa in mundo corpora, inspec» tiones etiam, & oculis undique lumen offusum, Opificem suum non » testabuntur ? "

(6) In 1. Metaph. » Cum in cœlum oculos sustulissent, (homines) & » ordinem qui illic est, & inexplicabilem pulchritudinem contemplati » essent, ad Conditoris intelligentiam pervenerunt. "

(7) Orat. 12. » Quomodo ignorantes manere poterant, nullamque » habere opinionem de eo qui ipsos & seminasset, & plantasset, ser» varetque, & enutriret, undique impleti Divina natura, perque vi» sum, perque auditum, perque universos plane sensus ? "

(8) Ennead. 6. l. 7. c. 35. ubi cognitionem divinorum operum ordinisque inferiorum ad superiora, scalam esse dicit, per quam ascendimus ad Deum.

(9) Qui l. de tranquillitate animi, mundum vocat templum quoddam, in quo divinæ laudes concinantur. Vide etiam Laërtium in vita Zenonis l. 7. & Tullium in lib. de Nat. Deor. & l. 1. Tuscul.

tribus idipsum docent Athenagoras (1), Theophilus Anthiochenus (2), Chrysostomus (3), Basilius (4), Nazianzenus (5), Nysenus (6) Augustinus (7). Quid ad hæc Cartesius? Respondebitne, se plus illis vidisse (8)? Nam illorum nemo, ut probaret Dei existentiam, ad innatam ejus ideam confugit.

358 Impugnatur modo opinio Cartesii ex ejus principiis, Idcirco Cartesius statuit, ideam Dei esse innatam, quia cum sit idea Entis infiniti oriri non potest neque à nobis, qui finiti sumus, neque à rebus exterioribus, quæ etiam sunt finitæ (9). Quæro autem, an idea innata Entis infiniti sit finita, vel infinita? Infinita esse non potest; nam Cartesius ponit illam men-

---

(1) Legat. pro Christ. ubi mundum appellat *musicum Dei organum.*

(2) L. 1. ad Autolycum n. 5. » Rex terrenus, *inquit*, existere creditur, quamvis ab omnibus non videatur: sed ex legibus suis, & edictis, & potestatibus, & copiis, & imaginibus cognoscitur: Deum autem non vis intelligere ex ejus operibus, & potestatibus? "

(3) Hom. 3. in Epist. ad Rom. » Undenam liquet, quod ipsis (gentilibus) indidit Deus sui cognitionem, ô Paule? Propterea quod, inquit, quod de eo cognosci potest, manifestum est in illis. Hoc ipsum vero sententia est, non demonstratio. Tu porro mihi adstruito, probato, ac declarato, quod cognitio de Deo illis manifesta fuerit: (Intelligat Cartesius, demonstrationem existentiæ Dei hîc à Chrysostomo quæri, audiatque, quænam illa sit) Undenam igitur manifesta erat? (Cartesius respondebit, ex idea innata Entis summè perfecti. At non ita respondet Chrysostomus) Vocem, *inquit*, à supernis immisit illis Deus? Nequaquam. Sed quod illos voce validius illicere poterat, id fecit, mundi creatione in medium proposita, ut possit sapiens, rudis, Scytha, barbarus, ex ipso adspectu eorum, quæ oculis subjecta sunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere. "

(4) Hom. 11. in Hexam.

(5) Orat. 34. (6) Dial. de anima.

(7) In Psalm. 73. ita Atheos perstringit: » Unde scio, quia vivis, cujus animam non video? Unde scio? Respondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnosco ventem, ex operibus creaturæ non potes agnoscere Creatorem? "

(8) Nam in Epist. ad Facultatem Paris. præmissa Cartesii meditationibus, Cartesius ipse asserere non dubitat, rationes quibus utitur ad probandam Dei existentiam, *tales esse, ut non putet, ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri umquam possint.* Et in Præfat. ad easd. Medit. ait, se *viam sequi parum tritam, atque ab usu communi remotam.*

(9) Medit. 3.

ti *impressam* (1) : repugnat, autem rem infinitam esse impressam menti finitæ. Itaque idea Dei innata, si daretur, esset finita. Nulla est igitur ratio Cattesii, quare illa debeat esse innata : nam idea finita proficisci potest à rebus finitis (2). Si

(1) Ait enim ibid. Deum *me creando ideam illam mihi indidisse, ut esset tamquam nota artificis operi suo impressa.*

(2) Nec valet Cartesii effugium, ideam nempe illam esse *subjective* finitam, *objective* infinitam. Nam I. negamus, ens *subjective* finitum posse positive repræsentare ens infinitum ; nulla est enim proportio inter finitum, & infinitum. (Vide S. Thom. 1. p. q. 12. a. 2.) II. Si idea innata *subjective* finita posset repræsentare Deum infinitum ; cur non item possent res creatæ ? III. *Realitas objectiva*, quam Cartesius comminiscitur in idea innata Dei, vel esset realitas ipsius Dei, vel esset realitas intrinseca ideæ innatæ Dei. Si esset realitas ipsius Dei, explicandum foret, quomodo hæc realitas infinita esset in idea finita ; si enim nullo modo in idea esset, nullo modo idea repræsentaret. Si autem esset intrinseca ideæ Dei innatæ, ut Cartesius videtur fateri, cum scribit Medit. 3. de eadem idea : *plus profecto realitatis objectivæ* IN SE *habet, quam illæ, per quas finitæ substantiæ exhibentur* ; realitas ipsa *objectiva* finita esset ; nam quidquid est intrinsecum subjecto finito, finitum est. IV. Cum ideam dico, significo formam, quæ repræsentat ; igitur realitas *objectiva*, seu ipsa repræsentatio objecti, non est aliquid distinctum ab ipsa idea ; adeoque si idea finita est, & realitas *objectiva* finita erit. V. Ipse Cartesius explicans, quid sit esse *objective* in intellectu, in responsione ad secundas object. ait, id significare, *in intellectu eo modo esse, quo solent ejus objecta, adeo ut idea solis sit sol ipse in intellectu existens, non quidem formaliter, ut in cœlo, sed objective, hoc est, eo modo quo objecta in intellectu esse solent, qui sane essendi modus longe imperfectior est, quam ille, quo res extra intellectum existunt ; sed non idcirco plane nihil est.* Igitur ex Cartesio realitas *objectiva* ideæ Dei erit modus quidam essendi ipsius Dei in intellectu, sed longe imperfectior, quam ille, quo Deus est extra intellectum. Deus autem in seipso extra intellectum est infinitus. Modus igitur quo Deus erit *objective* in intellectu per ideam, etiamsi hæc sit innata, erit finitus ; adeoque realitas objectiva ideæ Dei finita erit. Quod si hæc realitas finita est, jam nihil concludit argumentum Cartesii Medit. 3. » Non esset idea substantiæ infinitæ, » cum sim finitus, nisi ab aliqua substantia quæ revera est infinita, » procederet. " Quod enim est finitum, potest procedere à causa finita. Falsum quoque est, quod ibid. addit » ideam Dei esse maxime » claram, & distinctam, & totum in ea contineri quidquid perfectio- » nem aliquam importat. " Nam quomodo ens infinitum poterit clare, & distincte cognosci per ideam finitam ? quomodo in ente finito contineri poterit quidquid perfectionem aliquam importat ? VI. Carte-

autem idea Dei innata finita est, explicandum remanet Cartesio, quomodo per eam cognoscatur Ens infinitum. Sane plus distat finitum ab infinito, quam corpus à mente. Sed per ideam corporis cognosci mens non potest, ut Cartesius docet. Ergo multo minus per ideam finitam etiam innatam Deus infinitus. Itaque ex ipsis principiis Cartesii destruitur ejus opinio de idea innata Entis infiniti (1).

---

sius in respons. ad secund. object. defin. 3. ait: » Per realitatem objecti-» vam intelligo entitatem rei repræsentatæ per ideam, quatenus est » idea. « Igitur realitas objectiva ideæ Dei erit entitas ipsius Dei repræsentati per ideam Dei, quatenus est idea Dei. Jam vero si hæc realitas est ipsa entitas Dei, qua ratione dici potest, ideam Dei requirere Deum pro causa, ut Cartesius statuit ibid. prop. 2.? Anne Deus erit causa suæmet entitatis? VII. Hæc idea repræsentans entitatem Dei, vel esset ipse Deus, vel aliquid distinctum à Deo. Si esset ipse Deus, jam cognosceremus Deum in ipso Deo, nec ulla esset idea innata Dei; nequit enim dici, Deum sub ratione ideæ esse menti innatum. Si autem esset aliquid distinctum à Deo, jam esset finitum; nihil enim præter Deum est infinitum. Denique realitas illa *objectiva* ideæ innatæ vel esset ad repræsentandum, quod Deus sit, vel quid Deus sit. Inutilis autem foret ad repræsentandum, quod Deus sit; nam ad cognoscendam Dei existentiam sufficiunt res creatæ, quæ cum sint effectus Dei, evidenter demonstrant Deum esse. Fieri autem non potest, ut lumine naturali cognoscamus quid sit Deus, ut S. Thomas demonstrat. 1. p. q. 12. a. 2. & habetur in Clement. *Ad nostrum*, de Hæreticis, ubi damnatur error Beguardorum, *quod anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.*

(1) Quod S. Augustinus scribit l. de Mor. Eccl. Cath. c. 7. n. 11. » Ubi ad Divina perventum est, avertit sese (ratio): intueri non potest... » reverberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum, » non electione, sed fatigatione convertitur. Quam hic formidandum » est, quam tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecil-» litatem. « Id plane contigit Cartesio, qui cum ad Divina propius accedere tentaverit, tam fuit defatigatus, tamque ad tenebrarum suarum familiaritatem conversus est, ut magna animi imbecillitate concepta, in manifestas contradictiones sit prolapsus. Nam aliquando affirmat, ideam Dei esse innatam, quia fieri non potest, nisi à Deo, Sic Medit. 3. » Superest, ut examinem, qua ratione ideam istam à Deo accepi; ne-» que enim illam sensibus hausi.... nec etiam à me efficta est; nam nihil » ab ea detrahere, nihil illi superaddere plane possum; ac proinde su-» perest, ut mihi sit innata. « Aliquando aperte docet, ideam Dei non aliunde esse, quam à mente nostra, à qua formatur. Ita in respons. ad secundas object. » Cum dicitis, in nobis ipsis sufficiens reperiri fundamentum ad ideam Dei formandam, nihil à mea opinione diversum

359 Si autem quæras, quomodo mens cum corpore conjuncta formet sibi ideam Dei, respondemus cum S. Thoma (1), *nos cognoscere Deum in via per similitudinem ejus in Creaturis resultantem, secundum illud Rom.* 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: unde & dicimur Deum videre in speculo* (2). Dei igitur ideam formamus nobis per effectus; qua quidem idea non cognoscimus quid sit Deus; id enim esse nullo modo potest, ut dictum est (3); sed cognoscimus,

» affertis: ipse enim expresse dixi ad finem tertiæ Meditationis, hanc » ideam mihi esse innatam, sive NON ALIUNDE, QUAM A MEIPSO MIHI » ADVENIRE." Itaque per Cartesium idea Dei à *meipso effingi non potest*, quia in ipsa continetur omnis perfectio; quapropter innata est, & solum Deum agnoscit auctorem. Rursus per eumdem Cartesium, ideam Dei esse innatam nihil est aliud quam illam *non aliunde quam à meipso mihi advenire.* Si à meipso advenit, quomodo à meipso effingi non potest? quomodo Deum solummodo auctorem habet? quomodo erit innata? Eritne mihi innatum, quod à meipso fit, quod mihi ipsi advenit; si mihi advenit? igitur ante non erat. Si autem ante non erat, ego vero ipse eram, quomodo mihi erat innatum? Quid hæc sunt aliud, quam simul affirmare, & negare ideam Dei esse innatam?

(1) 1. p. q. 56. a. 3.

(2) Quare non assentimur Lockio, qui l. 1. Essai concer. l' Entend. hum. c. 3. n. 8. ex eo probare aggreditur, nullam esse Dei ideam innatam, quia novissimis hisce sæculis integræ repertæ sunt Nationes, quibus nulla inerat Dei idea. Id autem falsum omnino esse, alibi ostendemus. Videri potest Valsechius *De' Fondamenti della Religione* l. 1. c. 9. ubi hac de re erudite disserit. Interea sufficiat laudasse Plutarchum, qui l. adv. Colotem ita scribit: » Si terras obeas, invenire possis urbes » muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gym» nasiorum, & theatrorum nescias: urbem templis, diisque carentem, » quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum cau» sa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo umquam vidit. » Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de diis » penitus sublata civitatem coire, aut constare." Quod Cicero confirmat l. 1. de leg. cum scribit: *Nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum debeat, tamen habendum sciat.* Cujus rationem ibid. assignat Tullius addens: *Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat Deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur, ac noscat.* Quod sane ignorare nemo potest.

(3) §. 358. not. *Nec valet.* Vide Chrysostomum Hom. 2. de incomprehensibili Dei natura: » Quis, *inquit*, postulet argumentum, quo amen» tiam intelligat, & furorem eorum, qui Deum quid sit, se scire au» tumant? Cæli quod quotidie cernis, naturam reddere nequis, & in» visibilis Dei substantiam scire indubie profiteris?" Similiter docet

ut ait S. Thomas (1), *quia Deus est, & quod causa aliorum est, & ab omnibus remotus* (2). Hoc igitur modo devenimus in cognitionem Dei. Principio per res sensibiles cognoscimus, Deum esse, & earum esse causam; cum enim cœperint esse, oportet, ut ab aliqua causa sint, quæ dat omnibus esse (3). Postquam vero cognovimus, Deum esse, & omnium esse primam Causam: cum omnis perfectio, quæ continetur in effectis, eminentiori modo contineri debeat in Causa prima; conamur, ex perfectionibus, quas videmus in rebus creatis multis imperfectionibus admixtas, removere imperfectiones illas (4). Sic ex eo quod sunt substantiæ corporeæ, removemus à Deo rationem corporis. Ex eo quod substantiæ creatæ sunt mutationi obnoxiæ, removemus à Deo mutabilitatem. Ex quo illæ sunt tempori addictæ, removemus à Deo omnem temporis differentiam (5). Dicimus autem, Deum esse substantiam incorpo-

---

Nazianzenus Orat. 34. » Quid tandem Deus natura sua, & essentia sit, » nec hominum quisquam umquam invenit, nec invenire potest."

(1) 3. con. Gent. c. 49.

(2) Egregie id explicat S. Augustinus Tract. 23. in Joan. n. 8. sq. » Dicis filio tuo, verbo dicis: verbum quod sonat, nec tu es, nec » filius tuus ... Nutu ostende quod vis ... unde nutum facis? de cor- » pore, scilicet, labiis, superciliis, oculis, manibus. Hæc omnia non » sunt quod animus tuus ... sed totum quod corpore agis, infra ani- » mum tuum est, & infra animum filii tui; nec potest cognoscere ani- » mum tuum filius tuus, nisi dederis ei signa de corpore ... Nunc si » non potestis comprehendere quid sit Deus, vel hoc comprehendite, » quid non sit Deus ... Non est Deus corpus, non terra, non cælum, » non luna, non sol, non stellæ, non corporalia ista, &c.

(3) Nam ut advertit Damascenus l. 2. de Fide c. 3. » Ecquis hoc » nobis non assentiatur, omnia quæ sunt, mutabilia esse? ... Cum er- » go mutabilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata, haud » dubie, quin ab aliquo opifice sint condita. Atqui Creatorem increa- » tum esse necessum est. Nam si ipse quoque creatus est, à quodam » profecto creatus erit, sicque donec ad aliquod increatum venerimus." Hac igitur via ex rebus sensibilibus in cognitionem existentiæ Dei devenimus.

(4) Damascenus l. 1. de Fide c. 4. » De Deo, *inquit*, impossibile est, » quidnam essentia sua ac natura sit enuntiare: aptiusque est ex omnium » remotione, & negatione sermonem de eo facere ... Quæcumque au- » tem de Deo per affirmationem dicimus, non Dei naturam, sed quæ » circa naturam illius sunt, ostendunt."

(5) S. Augustinus ser. 241. al. de temp. 143. explicans Apostoli verba: *Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

ream, immutabilem, æternam. Deinde perfectiones rerum creatarum extendentes, illas Deo attribuimus, non ut sunt in rebus ipsis creatis, imperfectionibus admixtæ, sed ut conveniunt primæ Causæ (1). Sic cognita sapientia, justitia, bonitate in creaturis eo quem diximus (2) modo, illas quam maxime possumus, extendimus, & Deum infinite sapientem, justum, bonum dicimus; profitentes, has quidem perfectiones in Deo esse positive infinitas, quia prima Causa, cum sit à seipsa, infinitæ perfectionis esse debet; verum nesciri à nobis, quid in seipsa sit hæc infinitas (3), nec aliter explicari, aut concipi posse,

---

c. 2. sic scribit. *Unde cognoscentes? Ex his quæ fecit. Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati, & diffusi aëris, interroga pulchritudinem cæli, interroga ordinem siderum ... interroga animalia quæ moventur in aquis, quæ morantur in terris, quæ volitant in aëre; latentes animas, perspicua corpora: visibilia regenda invisibiles regentes; interroga ista. Respondent tibi omnia: Ecce vide, pulchra sumus. Pulchritudo eorum confessio eorum. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher! In ipso denique homine interrogaverunt hæc duo ... corpus quod videtur, animam quæ non videtur: & invenerunt melius esse illud quod non videtur, quam illud quod videtur; meliorem animam latentem, deteriorem carnem apparentem. Viderunt ista, intuiti sunt, discusserunt utrumque, & invenerunt utrumque mutabile in ipso homine. Mutabile corpus per ætates, per corruptiones, per alimenta, per refectiones, per defectiones, per vitam, per mortem. Transierunt ad animam ... invenerunt & ipsam mutabilem; modo velle, modo nolle; modo scire, modo nescire ... transierunt & ipsam: quæsierunt enim aliquid immutabile. Sic ergo pervenerunt ad cognoscendum Deum qui fecit, per ista quæ fecit.*

(1) Præclare S. Augustinus l. 8. de Trin. c. 3. » Bona est terra al-» titudine montium, & temperamento collium, & planitie camporum; » & bonum prædium amœnum ac fertile; & bona domus paribus membris » disposita & ampla, & lucida; & bona animalia animata corpora; & » bonus aër modestus & salubris; & bonus cibus suavis atque aptus » veletudini; & bona valetudo sine doloribus, & lassitudine ... Quid » plura & plura? Bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc & illud, » & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono » bonum, sed bonum omnis boni ... Si ergo potueris illis detractis, per » seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum."

(2) §. 346.

(3) » Quodcumque de Deo dixeris (inquit Chrysostomus in Psal. » 8.) est longe illa substantia inferius, & ad dimissionem, ad audi-» torumque captum se accommodant. Quid vis enim dicere, Magnus » Deus? Atqui hoc est parvum, si de Deo dicatur. Magnum enim

quam per negationem ; ideoque existentiæ quidem Dei habere nos claram ideam à creaturis acceptam, sed prorsus ignorare ejus essentiam in seipsa ; ejusdem vero essentiæ, ut ex creaturis colligi potest, habere ideam obscuram, & per remotionem dumtaxat (1).

360 Ad primum dist. ant. Idea Entis summe perfecti, ut est in seipso, proficisci non potest à rebus imperfectis, conc. ut à nobis cognoscitur lumine rationis, nego. Responsio patet ex dictis (2).

361 Ad secundum neg. cons. Sensus enim externi, ut supra dictum est (3), feruntur in res præsentes, adeoque attingunt res in seipsis. Deus autem à nobis per creaturas non cognoscitur in seipso. Addimus, nullam esse relationem inter colores, & sonos, qua possimus ex coloribus cognoscere sonos. At res creatæ referuntur ad Deum tamquam effectus ad causam ; quare possumus ex illis cognoscere Deum earum causam (4).

362 Ad tertium neg. suppositum majoris ; repugnat enim realitas objectiva ideæ finitæ ad representandum Deum infinitum in seipso, ut dictum est (5).

263 Ad quartum dist. min. non esset omnibus communis, & perpetua, si penderet ex voluntatis arbitrio, conc. si ex naturali lumine rationis, nego. Quæ pendent ex naturalibus principiis, sunt omnibus communia (6), & perpetua : hujusmodi est autem cognitio existentiæ Dei ex creaturis (7) ; adeo est pers-

---

» quantumvis sit magnum, est finitum : sed Deus est infinitus. Et hoc » etiam parvum est, si de Deo dicatur. Quod enim finem non habet » scio : sed quid sit, aut ubi sit, nescio."

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 12. a. 12. (2) §. 359.

(3) §. 237. (4) S. Thom. 1. p. q. 2. a. 2.

(5) Not. *Nec valet.* §. 358.

(6) Sane Cartesius Medit. 3. ponit, non innatas, sed adventitias esse ideas solis, ignis, fragoris ; inquit enim : *Quod nunc strepitum audiam, solem videam, ignem sentiam, à rebus quibusdam extra me positis procedere hactenus judicavi.* Contendetne, hujusmodi ideas esse diversas pro hominum diversitate, quia innatæ non sunt ?

(7) Cicero l. 2. de nat. Deor. Quid, *inquit*, potest esse tam aper- » tum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque con- » templati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, » quo hæc regantur ? ... Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur » non idem, sol sit, aut nullus sit, dubitare possit : quid enim est » hoc illo evidentius ? Quod nisi cognitum, comprehensumque animis » haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur

picuum existere primam Causam ex eo quod res creatæ existunt, ut nemo ratione utens negare id possit (1). Hac ratione cognitio existentiæ Dei dicitur omnibus hominibus indita, quippe omnibus inditum est rationis lumen, quo facillime possint ex creaturis Deum cognoscere (2).

364 Ad quintum respon. 1. retorquendo argumentum. Nam Cartesius statuit, cogitationum nostrarum omnium primam, omniumque verissimam, etiamsi mens in cæteris deciperetur, esse illam, *Ego cogito*; *ego sum* (3). Potest igitur esse in nobis aliqua cognitio omnino certa, quin eam præcedat cognitio Entis summe

---

» diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum » inveterare potuisset ... opinionum enim commenta debet dies, natu» ræ judicia confirmat."

(1) Ipse Baelius Tom. 3. Opp. par. 1. Continuat. *des Pensées diver.* §. 20. ait: » Quilibet vel omnino rudis, atque stupiditate plenus, per» suasionem habet, quod effectus sine causa esse non possit ... Datur » una prima causa, universalis, æterna, quæ necessario existit, & Deus » appellari debet. In hoc omnes consentiunt."

(2) Ita S. Thomas q. 10. de ver. a. 12. ad 1. » Cognitio existentiæ » Dei dicitur omnibus naturaliter inserta, quia omnibus naturaliter in» sertum est aliquid (*scilicet lumen rationis*), unde potest pervenire » ad cognoscendum Deum."

(3) Sic enim scribit Medit. 2. » Quod ego sim, qui dubitem, qui » intelligam, qui velim, tam manifestum est, ut nihil occurrat, per » quod evidentius explicetur." Si nihil evidentius occurrit; igitur ut cognoscam, me intelligere, non oportet, ut præcedat idea entis summe perfecti. Verum Cartesius passus memoriæ lapsum, nihilque amplius cogitans de eo quod scripserat *loc. cit.* ac sibi plane repugnans, ait Medit. 3. » Qua ratione intelligerem, me dubitare, me cupere, hoc » est, aliquid mihi deesse, & me non esse omnino perfectum, si nul» la idea entis perfectioris in me esset?" Si *nihil occurrit per quod evi» dentius explicetur, quod ego sim, qui dubitem, qui intelligam, qui velim; quomodo intelligere non possum, me dubitare, me cupere, si nulla in me sit idea entis perfectioris?* Si autem hæc idea in me esse debet, ut possim intelligere, me dubitare, me cupere; igitur aliquid occurrit evidentius, per quod explicetur, quod ego sim qui dubitem, qui intelligam, qui velim. Non ergo cognitio omnium prima est illa, *ego cogito*; *ego sum*, sed prima omnium erit cognitio Entis summe perfecti. Corruit ergo totum Cartesii systema; ipse enim, ut præjudicia dubitando exueret, sibi constituit Medit. 2. hoc primum esse pronunciatum necessario verum, *ego sum*; *ego existo*. Et Medit. 3. antequam demonstret Deum existere, supponit, se *non adhuc quidem satis scire, utrum sit aliquis Deus.*

perfecti. 2. Respondemus, satis esse ad discernendum inter magis, & minus perfectum, comparare unam rem cum alia: sic comparando hominem cum bellua, cognoscimus, hominem esse bellua perfectiorem. Ex eo vero quo datur magis, & minus perfectum, colligimus dari debere Ens summe perfectum; quippe lumine rationis cognoscimus, magis & minus perfectum esse non posse, nisi detur maxime perfectum; id autem demonstrando colligimus, & quidem ex effectis, in quibus majorem vel minorem perfectionem deprehendimus.

365 Ad S. Augustini auctoritatem respondemus, S. D. ibi

Ut ab his nodis se liberet Cartesius, in respons. ad secundas object. ait: » Ubi dixi, nihil nos certo posse scire, nisi prius, Deum » existere cognoscamus, expresis verbis testatus sum, me non loqui, » nisi de scientia earum conclusionum, quarum memoria potest recur- » rere, cum non amplius attendimus ad rationes, ex quibus ipsas de- » duximus. Principiorum enim notitia non solet à Dialecticis scientia » appellari. Cum autem advertimus, nos esse res cogitantes, prima » quædam notio est, quæ ex nullo syllogismo concluditur.“ Ubi id expressis verbis testatus sit Cartesius, nescimus: nam Medit. 3. ubi de hoc argumento disserit, indefinite ait, *priorem quodammodo in me esse perceptionem infiniti, quam finiti, hoc est, Dei, quam mei ipsius.* Testatus id tamen sit: ipso fatente, saltem principiorum notitia haberi potest, quin præcedat cognitio Entis summe perfecti. Quotus autem quisque erit, qui permittat Cartesio, notitiam principiorum non pendere ex cognitione Entis summe perfecti, pendere vero scientiam conclusionum? Negabitne Cartesius, conclusiones contineri in principiis, & scientiam conclusionum necessario sequi ex notitia principiorum? Sed inquit, loqui se de scientia earum conclusionum, quarum memoria recurrit, cum non attendimus ad rationes, ex quibus eas deduximus. Mirum! Ecquænam sunt rationes illæ, nisi principia? si autem ad principia non attendimus, quomodo habebimus scientiam conclusionum? nam scientia conclusionum in demonstratione, sive in earum illatione ex principiis posita est. Quid autem conferet cognitio Entis summe perfecti ad scientiam conclusionum, cum non attendimus ad earum rationes, sive principia? Scilicet, ex eo quod cognosco, Deum esse, scientiam habebo, hoc est, demonstrare sciam, angulos trianguli esse æquales duobus rectis, etiamsi non attendam ad propositiones, quas Euclides tamquam principia ponit ad id demonstrandum. Ita Cartesius desipuit. Nos autem cum S. Thom. q. 22. de ver. a. 2. ad 1. etsi negemus, notitiam Dei explicite requiri ad cætera cognoscenda, affirmamus tamen, Deum implicite cognosci in quolibet cognito. *Sicut enim nihil habet rationem appetibilis, nisi per similitudinem primæ bonitatis; ita nihil est cognoscibile, nisi per similitudinem primæ veritatis.*

non loqui de idea Dei (1), sed de idea abstracta æqualitatis, secundum quam judicamus de similitudine parium partium, & de gradatione disparium. Et certe, ut ipse ibid. animadvertit, cum corpora sint mutabilia, non possemus de eorum æqualitate, vel inæqualitate certum judicium habere, nisi haberemus ideam abstractam æqualitatis; quemadmodum artifex (estque ipsum S. D. exemplum) non posset certum de opere judicium ferre, nisi haberet ideam abstractam artis in mente. At quomodo hæc idea abstracta sive artis, sive æqualitatis formetur, ibi S. D. non explicat. Nos autem ex iis quæ diximus (2) affirmamus, fieri ex collatione rerum sensibilium eo modo quo cæteræ ideæ abstractæ.

ARTICULUS VII.

Expenditur Malebrancii systema de idearum origine.

366 NIcolaus Malebrancius cum animadvertisset, fieri non posse, ut Deus in seipso repræsentetur per ideam à se distinctam aliam viam ingressus est ad explicandam originem idearum. Statuit porro 1. nos omnia in Deo videre (3). 2. ponit quatuor diversas rationes videndi res (4), scilicet, per seipsas, per ipsarum ideas, per conscientiam, sive sensum intimum, & per conjecturam. 3. docet, Deum per se ipsum à nobis videri visu immediato, & directo (5). 4. res corporeas cognosci à nobis

(1) Cum enim de ipsa scribit l. 8. de Civ. c. 6. sic habet: » Quod » recipit magis, & minus, sine dubitatione mutabile est. Unde inge» niosi, & docti, & in his exercitati homines collegerunt, non esse in » iis rebus primam speciem " (si inde *collegerunt*, utique non præcessit in ipsis *prima species* Entis summe perfecti) » Viderunt esse ali» quid, ubi prima esset incommutabilis species, & ideo non compara» bilis: atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod » factum non esset, & ex quo facta cuncta essent. Ita *quod notum est* » *Dei*, *ipse manifestavit eis*, cum ab eis invisibilia ejus per ea quæ fac» ta sunt intellecta conspecta sunt." Intelligat Cartesius, quæ sit interpretatio verborum Apostoli, desinatque sibi arrogare potestatem illa interpretandi, quam sibi adsumit in Epist. ad Facultatem Parisiens. ubi ait: *Per hæc verba.* Quod notum est Dei, manifestum est in illis, *videmur admoneri, ea omnia, quæ de Deo sciri possunt, rationibus non aliunde petitis, quam ab ipsamet nostra mente posse ostendi.*

(2) §. 344. (3) De inquis. verit. p. 2. l. 3. c. 6. (4) ib. c. 7. (5) ib.

in Deo per ideas earum, quæ in Deo reperiuntur (1). 5. mentem nostram à nobis cognosci non per ideam suam, nec in Deo (2), sed per conscientiam (3). Denique aliorum hominum mentes, & puras intelligentias, sive Angelos nec etiam in Deo cognosci, sed per conjecturam (4).

367 Videtur autem ita dicendum, I. quia Deus numquam facit per vias difficiles, quod fieri potest per simplicissimas, & facillimas. Atqui simplicissima, & facillima via est, ut Deum per seipsum, alia vero in ipso cognoscamus. Ergo.

368 II. Deus arctissimo vinculo conjunctus est cum mente nostra, eamque illuminat immediate; quapropter S. Augustinus (5) ait: *Inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem, & Veritatem, id est, lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est.* Deum ergo immediate per seipsum, cætera in Deo cognoscimus.

369 III. Ideæ in mentem agunt. Sed nonnisi Deus in mentem agere potest. Ergo.

370 IV. Dum de aliqua re cogitamus, primum sese offert idea generalis omnium entium. Sed omnia entia menti adesse nequeunt, nisi quia præsens est Deus, qui omnia complectitur, Ergo.

371 V. Mens nostra concipit infinitum. Sed nulla res creata infinitum repræsentare potest, ut dictum est (6). Ergo infinitum repræsentatur per aliquod infinitum, quod est Deus.

372 VI. S. Augustinus (7): *Si ambo*, inquit, *videmus, verum esse quod dico, ubi quæso id videmus? Non ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate.*

373 VII. De mente nostra nihil aliud scimus, quam quod sentimus agi in nobis, minime autem cognoscimus omnes ejus proprietates. Alios homines, & Angelos non aliter cognoscere possumus; quam existimando, ipsos similibus ac nos proprietatibus affici. Ergo mentem nostram per sensum intimum; alios homines, & Angelos cognoscimus per conjecturam.

---

(1) ib.

(2) Vide quam consequenter: nam si omnia in Deo videmus, cur non mentem nostram? Quod si non hanc, quomodo omnia videmus in Deo?

(3) loc. cit. (4) ib. (5) l. de vera Relig. c. 55. n. 113.

(6) §. 358. (7) l. 12. Confess. c. 25.

Propositio. *I. Repugnat, mentem humanam naturaliter Deum cognoscere immediate per seipsum; II. alia vero in Deo videre.*

374 P. Rob. 1. p. Nequit Deus immediate cognosci per seipsum, nisi videatur per suam essentiam; essentia enim Dei est ipse Deus (1). Atqui repugnat, essentiam Dei naturaliter cognosci (2). Repugnat igitur, Deum naturaliter cognosci per seipsum (3) immediate.

375 Nec dici potest, Deum in hac vita per seipsum imperfecte videri: nam hoc est quod plane repugnat, videre, scilicet, Deum immediate per seipsum, & imperfecte videre. Non enim Deus ita perfecte videri potest, ut adæquate cognoscatur, id est, comprehendatur (4). Igitur videre Deum per-

(1) Hinc S. Augustinus l. 7. de Trin. c. 5. docet, *fortasse solum Deum dici oporteret essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est.*

(2) Quod Malebrancius ipse non negat, cum loc. cit. c. 6. animadverti vult, *non inde inferendum esse, mentes videre essentiam Dei ex eo quod omnia in Deo videant.* Mira est autem Malebrancii inconstantia, cum id negat, & simul affirmat ib. c. 7. Deum à nobis videri *visu immediato, & directo*, mentemque illuminare *per propriam substantiam.* Nam quid est aliud *propia Dei substantia*, quam ejus essentia? nisi forte Malebrancius velit, substantiam Dei ad ejus essentiam non pertinere. Suspicari autem quis posset, illum novisse id quidem, sed ne videretur impugnasse Ecclesiæ definitionem, qua error Beguardorum damnatus fuit de homine non indigente lumine gloriæ ad Deum videndum, ut supra diximus not. *Nec valet*, §. 358 negasse quidem, Dei essentiam naturaliter videri, sed tamen adfirmasse, Deum immediate videri per seipsum, & mentes illuminare per propriam substantiam. Scimus, Malebrancium, cum hoc argumento premeretur, dixisse, non semel à se negatum, Deum à nobis videri in hac vita. Sed cum non semel id quoque affirmaverit, ut ortendit Arnaldus l. de veris, & falsis ideis c. 7. & apertis verbis ipse Malebrancius scribit loc. cit. de inquis. ver. c. 7. cum ait §. 2. *Deus solus per seipsum cognoscitur ... ipse solus in mentem agere, ac sese ipsi aperire potest. Deum solum videmus visu immediato, & directo. Ipse solus potest illuminare mentem per propriam substantiam*; consequitur, illum, ut non infrequens est juniorum Philosophorum mos, contradictoria fuisse loquutum.

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 12. a. 4.

(4) Nam ut S. Augustinus advertit l. 12. de Civ. c. 18. *Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* Vide S. Thom. q. cit. a. 7.

fecte, eo modo quo á mente creata videri potest, est videre ipsum per essentiam suam. Proinde idem est dicere, Deum in hac vita imperfecte videri, ac dicere, non videri per suam susbtantiam, sed per speculum in ænigmate, sive per creaturas (1).

376 Prob. idipsum ratione S. Thomæ (2). Quod mens nostra magis elevatur ad incorporalia contemplanda, eo magis abstrahitur à sensibilibus; quare divinæ revelationes magis percipiuntur, cum alienata mens est à corporis sensibus (3). Atqui Deus, ut est in seipso, est ultimus teminus, quò contemplatio pertingere potest (4). Mens igitur, ut Deum immediate per seipsum cognoscat, debet esse omnino abstracta à corporis sensibus. Sed ita abstracta esse non potest, nisi aut per mortem, aut per aliquem raptum, qui quidem non est animæ naturalis (5). Igitur fieri non potest, ut anima in hac vita naturaliter Deum cognoscat immediate per seipsum.

377 Prob. 2. p. Si omnia videremus in Deo, potissimum detegeret nobis Deus in seipso, ea, quæ ad revelationem pertinent; ab his enim nostra pendet æterna salus; nec ratio adferri posset, quare Deus noluisset res adeo necessarias in seipso

---

(1) » Cum legis (inquit S. Augustinus Epist. 92. al. 6. n. 4.) *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: » intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc » per speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis » munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo, & ænigmate, sive in illa patria, cum » per speciem contemplabimur: pro qua visione positum est, *facie ad faciem.*"

(2) 3. con. Gen. c. 48.

(3) S. Augustinus l. 12. de Gen. ad litt. c. 26. » Cum rapitur anima, *ait*, in ea visa, quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, ita » ut omnino à sensibus corporis avertatur amplius quam in somno solet, sed minus quam in morte, jam divinæ admonitionis est, & adjutorii, ut se non corpora, sed visa corporum similia spiritualiter noverit cernere ... Ibi si etiam videntur futura, ita ut omnino futura » noscantur, quorum imagines præsentes videntur ... magna revelatio » est."

(4) Idem S. Augustinus l. 1. de Trin. c. 8. n. 17. » Quod dixit famulo suo Moysi, *Ego sum qui sum: hæc dices filiis Israël, Qui est » misit me ad vos*, hoc contemplabimur, cum vivemus in æternum."

(5) Vide S. August. not. 1. huj. pag. Et rursus l. 12. de Gen. ad litt. c. 27. » Eum, *inquit*, nemo videns vivet vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisque

ostendere, abjectissimas vero, id est, corporales, quarum cognitio nihili refert, in seipso patefecisse. Si autem illas in seipso detegeret, jam externa revelatio esset inutilis, & locus daretur spiritui privato. Quod si Malebrancius fateatur, ut fateri quidem debet, rerum quæ ad revelationem pertinent, cognitionem nos habere per sensus; *Fides* enim *ex auditu*, ut ait Apostolus (1); cur universim statuit (2), *nos omnia in Deo videre* (3)? Cur id confirmat (4) verbis Joannis (5) *lux vera est quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (6)? Cur id rursus probare conatur (7) eo, quod *mentes nostræ in omnibus suis actionibus à Deo pendeant*? Nonne hæc indicant, nos omnia omnino, maximeque dogmata revelata in Deo cognoscere? nam si in aliis quibuscumque actionibus mentes nostræ pendent à Deo, potissimum in cognitione rerum revelatarum.

378 Specialiter modo probatur, corpora à nobis in Deo non cognosci. Ex Malebrancio (8) mentem nostram non cognoscimus in Deo. Ergo multo minus corpora; magis enim cor-

---

» quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aver-
» sus, & alienatus à carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apos-
» tolus ait, utrum in corpore, an extra corpus sit, cum in illam ra-
» pitur, & subvehitur visionem.“ Consule etiam eumdem Epist. 147. al. 112. c. 13. n. 31.

(1) Rom. 10. v. 17. (2) De inqu. ver. l. 3. c. 6.

(3) Egregius plane dialecticus, qui cum universalem propositionem statuerit, postea negat quod universaliter statuit.

(4) loc. cit. (5) c. 1. v. 9.

(6) Quid ex Joannis verbis colligi possit pro Malebrancii entusiasmo certe non video: nam S. Augustinus illa explicans Tract. 2. in Joan. n. 7. scribit: » Qui saucios habent oculos, idonei sunt videre parietem il-
» luminatum, & illustratum à sole, vel montem, vel arborem, aut ali-
» quid hujuscemodi idonei sunt videre: & in alio illustrato demostra-
» tur illis ortus ille, cui videndo adhuc minus idoneam aciem gerunt.
» Sic ergo illi omnes, ad quos Christus venerat, minus idonei erant eum
» videre: radiavit Joannem; & per illum confitentem se radiatum,
» ac se illuminatum esse, non qui radiaret, & illuminaret, cognitus
» est ille qui illuminat.“ Si per Joannem Christus omnem hominem illuminavit, quid ait Malebrancius, Deum per seipsum à nobis videri, & per seipsum immediate mentes nostras illuminare?

(7) loc. cit.

(8) Ibid. c. 7. §. 4. » Mentem, *inquit*, in Deo non videmus, illam
» tantum *per conscientiam* cognoscimus; & ob hanc causam cognitio
» quam de illa habemus, est imperfecta.“ Mirum! Deus arctissimo

pora, quam mens distant à Deo (1). Similiter ex eodem Malebrancio (2) si in Deo videremus mentem nostram, cognosceremus omnes ejus propietates. Igitur si corpora in Deo videremus, cognosceremus omnes corporum propietates (3): quas nemo sanæ mentis affirmabit se cognoscere.

---

vinculo conjunctus est menti nostræ ipsamque illuminat, ut possit corpora cognoscere in seipso; & nihilominus, ne unum quidem radium lucis menti impertitur, ut possit se ipsam in illo cognoscere!

(1) Neque urget quod Malebrancius ait loc. cit. §. 3. » Cum corpo-» ra non sint intelligibilia per se, ea non possumus videre, nisi in eo qui » ea includit modo intelligibili. " Nam si in Deo possumus videre ea quæ non sunt intelligibilia per se; quare non illa, quæ sunt per se intelligibilia? Eritne Deus minus sollicitus de patefaciendo in seipso res per se intelligibiles, quam res per se minime intelligibiles? Unde quæso, hanc philosophandi rationem Malebrancius didicit? Quis vero ipsi dixit, nullum alium esse modum quo corpora per se minime intelligibilia, fieri intelligibilia possint, ut à mente cognoscantur?

(2) Loc. cit. §. 4. ita ajente: » Si in Deo videremus ideam, quæ men-» ti nostræ responderet, eodem tempore cognosceremus, aut possemus » cognoscere omnes proprietates, quas habere posset. "

(3) Id Malebrancius ib. §. 3. libenter concedit; inquit enim: » In » Deo, & per ideas suas à nobis conspiciuntur corpora cum suis proprie-» tatibus; atque hinc est, quod cognitio, quam de illis habemus, sit per-» fectissima." Cæteri Philosophi hanc perfectissimam corporum, eorumque proprietatum cognitionem se haud habere, non inficiabuntur. Quorsum enim spectant tot in Physicis disciplinis discrepantes opiniones, si in singulis Philosophis perfectissima est cognitio corporum, eorumque proprietatum? nam Physica nonnisi de corporibus, & eorum proprietatibus disserit. Experiamur, an forte Malebrancius palmam tulerit. Loc. cit. c. 8. §. 2. loquens de essentia materiæ, etsi concludat, *extensionem esse essentiam materiæ*; subdit: *Sed in eo sita est difficultas, ut, nempe sciamus, an materia adhuc non habeat alia attributa ab extensione, & iis quæ ab ea dependent, diversa.* Quò abiit perfectissima illa corporum, eorumque proprietatum cognitio, quam Malebrancius se habere jactabat, si adhuc ignorat, an *materia habeat alia attributa ab extensione, & iis quæ ab ea dependent diversa*? Sed immemor Malebrancius eorum quæ paulo ante scripserat, sic paulo post pergit: » Quemadmodum homines nulla certa demonstratione convin-» cuntur, non dari aliquam intelligentiam, aut aliquam entitatem re-» cens creatam in rotis horologii " (oppido acutissime: petere quis posset, num Malebrancius, cum hæc scribebat, deliraret; quis enim nescit, rotas horologii moveri vi elastica calybis, idque posse certa demonstratione convinci?) » Ita nemo potest sine speciali revelatione » asserere tamquam demonstrationem Geometricam, nihil esse in lapi-

379 Ad primum neg. min. nam via per quam Melebrancius incedit, non solum non est facilis, & simplex, sed omnino impervia, ut est demostratum (1).

380 Ad secundum dist. ant. Deus arctisimo vinculo conjunctus est menti, ut causa effectui, conc. ut objectum immediatum potentiæ, nego. Jam supra diximus (2), non quamcumque intimam rei præsentiam sufficere, ut res per seipsam cognosci possit; sed requiri, ut res sit præsens in ratione objecti immediati: quo modo Deus cum mente hominis naturaliter non conjungitur (3). Negamus porrò, Deum immediate illuminare omnes homines; nam de rebus naturalibus mens humana illustratur per lumen rationis, quod est à Deo diversum, cum sit participata similitudo luminis increati (4); de rebus autem supernaturalibus mens illustratur per lumen Fidei, quod etiam est quædam participatio luminis increati. Augustinus autem loquitur de veritate, seu de luce interiori, quæ est nobis primum principium intelligendi, ut paulo post explicabimus, inter quam, & ipsum Deum certe nulla est interposita creatura (5).

381 Ad tertium neg. maj. non enim ideæ in mentem agunt, sed simul cum mente sunt principium cognitionis, ut dictum est (6). Si autem Malebrancius ita velit, Deum tantummodo in

---

» de præter extensionem diversimode configuratam: fieri omnino po» test, ut extensio conjuncta sit cum aliqua alia re quam non concipi» mus, quia nullam illius habemus ideam." Si hæc *aliqua alia res* esset attributum materiæ, quomodo illius nullam haberemus ideam in Deo, in quo Malebrancius statuit nos habere perfectissimam cognitionem corporum, eorumque proprietatum? Quid si quis quærat, an illa *aliqua alia res* sit fortasse cogitatio? Nonne Malebrancius cum Lockio conveniret in adserendo, neminem sine speciali revelatione evincere posse, materiam cogitationis esse incapacem, neque id esse hactenus demonstratum?

(1) §. 374. sqq. (2) §. 274.

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 12. a. 4.

(4) Idem ibid. q. 84. a. 5. Certe dicitur Psalm. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Si *signatum*, igitur participatio est luminis increati.

(5) Idem S. Augustinus l. 22. con. Faustum c. 8. aperte distinguit *inter lucem quæ est ipse Deus, & lucem, quam fecit Deus ... Candor est*, inquit, *lucis æternæ, dictum est de Sapientia Dei, quæ utique facta non est ... & de luce quadam, quæ nonnisi per illam fieri potest, hoc modo ibi dicitur, Tu illuminans lucernam meam.*

(6) §. 264.

mentem agere, ut nec mens ipsa in sese aliquid agat ; videat, ne mentem faciat mere passivam.

382 Ad quartum , sciscitari liceat ex Malebrancio , utrum menti , cum de seipsa cogitare vult , primum sese offerat idea generalis omnium entium : nam si sese offerre dixerit , jam sequitur , mentem à nobis in Deo cognosci : quod Malebrancius negat ; si autem dixerit ideam illam generalem non sese offerre , jam falsa erit propositio adsumpta , illam scilicet sese offerre , cum de aliqua re cogitamus. Si scire cupiat , quare idea entis in universum , prima sit quæ menti se offert cum cogitamus , S. Thomam audiat docentem (1) , intellectum in cognoscendo procedere de potentia ad actum , ideoque prius pervenire ad actum imperfectum , quam ad perfectum : & cum cognitio entis in communi sit omnium imperfectissima, quia est omnium maxime confusa ; idcirco mens ab illa incipit. Ut autem ab illa incipiat , necesse non est , ut habeat ideam generalem omnium entium, sed sufficit ut habeat ideam universalem entis , quæ ab entibus particularibus abstracta est.

382 Ad quintum jam dictum est (2), infinitum à mente cum corpore conjuncta non cognosci , nisi per negationem.

384 Ad sextum explicatur mens S. Augustini: verum videmus in incommutabili veritate tamquam in objeto cognito, nego ; tamquam in primo principio cognitionis (3), concedo.

---

(1) 1. p. q. 85. a. 3. (2) §. 359.

(3) S. Thom. 1. p. q. 84. a. 5. » Aliquid in alio dicitur cognosci » dupliciter : uno modo sicut in objecto cognito , sicut aliquis videt in » speculo ea quorum imagines in speculo resultant : & hoc modo anima » in statu præsentis vitæ non potest videre omnia in rationibus æter- » nis ; sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia Beati , qui Deum » vident , & omnia in ipso. Alio modo dicitur aliquid cognosci in ali- » quo , sicut in principio cognitionis : sicut si dicamus , quod in sole vi- » dentur ea , quæ videntur per solem : & sic necesse est dicere, quod » anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis , per quarum » participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale, » quod est in nobis , nihil est aliud , quam quædam participata simi- » litudo luminis increati , in quo continentur rationes æternæ ... Quod » autem Augustinus non sic intellexerit , omnia cognosci in rationibus » æternis , vel in incommutabili veritate , quasi ipsæ rationes vi- » deantur , patet per hoc quod ipse dicit in l. 83. qq. (46.) quod » *rationalis anima non omnis , & quæcumque , sed quæ sancta,* » *& pura fuerit , asseritur illi visioni* , scilicet , rationum æternarum, » *esse idonea* , sicut sunt animæ Beatorum.“ Antonius Genuensis hanc S. Thomæ doctrinam probat quidem , sed primum contendit Elem.

Metaph. part. 3. prop. 32. edit. an. 1774. Augustini sententiam fuisse, *ideas menti à Deo participari.* Verum interpretatio S. Thomæ non est ad arbitrium conficta, sed perspicuis ejusdem S. Augustini nititur testimoniis, quæ S. Thomas profert. Et licet Augustinus loco idearum separatarum Platonis posuerit ideas in mente divina existentes, ut diximus §. 330. quarum participatione mens perciperet; non inde infertur, mentem percipere in rationibus æternis, nisi quatenus participatæ sunt: hæc autem participatio est ipsum lumen intellectuale. Deinde Genuensis Angelicum Doctorem non veretur reprehendere ib. quod *systemati suo non fuit consentaneus, dum deinde docuit, & cogitationem intellectivam haberi à rebus sensibilibus ope intellectus agentis, & impossibile esse, intellectum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata.* Sed quamobrem S. Thomas systemati suo non fuit consentaneum? quia videlicet docuit, omnia videri in rationibus æternis tamquam *in principio*, non tamquam *in objecto*; & deinde docuit cognitionem haberi à rebus sensibilibus ope intellectus agentis, nec posse haberi in hac vita, nisi per conversionem ad phantasmata. In his autem ecquænam repugnantia est? Contendetne Genuensis, rationis lumen quod est participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ, sufficere ad habendam cognitionem intellectivam, quæcumque illa sit? Si ita esset, sufficeret quoque lux solis ad quæcumque corpora videnda, sive præsentia, sive absentia forent. Itaque præter lumen rationis requiruntur etiam objecta, quæ eo lumine irradientur, ut deprehendi in ipsis veritas possit. Quid ergo docuit S. Thomas sibi minime consentaneus, cum statuit, omnia videri in rationibus æternis tamquam in principio cognitionis, quia rationis lumen est participatio luminis increati; & nihilominus requiri, ut objecta fiant menti conformia, & præsentia ope intellectus agentis, nec posse aliquod objectum à mente in hac vita cognosci, nisi per conversionem ad phantasmata? Vide autem sive fidem, sive diligentiam Antonii Genuensis: nam S. Thomas in eo ipso artic. 5. q. 84. 1. p. quem ille profert, postquam explicavit quomodo possit dici; nos omnia videre in rationibus æternis, sibi maxime consentaneus subdit: » Quia » tamen præter lumen intellectuale in nobis exiguntur species intelli» gibiles à rebus acceptæ ad scientiam de rebus materialibus haben» dam; ideo non per solam participationem rationum æternarum de » rebus materialibus notitiam habemus, sicut Platonici posuerunt. " Quod autem Genuensis addit ibid. Angelicum Doctorem, quem *virum magnum*, & *divinum* vocat in not. c. peripateticum systema de idearum origine tenuisse, quia *consuetudinem verebatur*, ne scilicet susceptis publice Aristotelis opinionibus adversarii videretur; id sane est indignum *viro magno*, & *divino*, qui ut veritatem tueatur, consuetudinem minime veretur, nec procul dubio magnus & pius fuisset

Ita S. Thomas (1) qui ex eodem Augustino id confirmat scribente l. 4. de Trin. c. 16. *Numquid quia Philosophi documentis certissimis persuadent æternis rationibus temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere, vel ex ipsis colligere, quot sint animalium genera, quæ semina singulorum? Nonne ista omnia per locorum, & temporum historiam quæsierunt?* Constat igitur, quo sensu S. Augustinus dixerit, omnia videri in veritate incommutabili.

385 Ad septimum jam dictum est (2), quomodo mens seipsam cognoscat. Natura autem aliorum hominum non per conjecturam, sed per omnimodam certitudinem scimus, quænam sit, scilicet, una eademque specifice cum nostra, eo quod videmus illas perinde ac nos ratione uti. Concedimus autem, Angelos per conjecturam aliquo modo cognosci à nobis posse ex cognitione mentis nostræ, ut S. Thomas (3) animadvertit.

ARTICULUS VIII.

Utrum omnia cognoscamus in idea totius Universi.

386 Accedimus ad systema Leibnitianum de origine idearum. Leibnitius ergo (4), quem sequitur Wolfius Psycol. rat.

Thomas, si falsis opinionibus subscripsisset ob metum contradicendi illis, quia publice susceptæ erant.

(1) Nazianzenus Orat. 21. n. 1. S. Thomæ præcessit scribens: *Quod rebus in sensum cadentibus est Sol, hoc iis quæ animo, & ratione intelliguntur, est Deus ... Ut ille cum & iis quæ oculorum sensu prædita sunt, & iis quæ aspectu sentiuntur, hanc vim tribuat, ut & illa videre, & hæc visu percipi possint, interim tamen ipse omnia quæ oculis subjecta sunt, pulchritudine antecellit: eodem modo Deus, cum tam iis quæ intelligentia utuntur, quam quæ mente, & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, ut & illa intelligant, hæc intelligentia percipiantur; ipse tamen intelligibilium omnium summus est vertex.*

(2) §. 347.

(3) 1. p. q. 88. a. 1. ad 1. » Scientia de anima est principium quoddam ad cognoscendum substantias separatas. Per hoc enim quod anima nostra cognoscit seipsam, pertingit ad cognitionem aliquam habendam de substantiis incorporeis, qualem eam contingit habere, non quod simpliciter, & perfecte eas cognoscat, cognoscendo seipsam."

(4) Ne Leibnitius conqueratur, ut conqueritur Theodicææ p. 1. §.

sect. 1. arbitratur, animam nostram esse automatum quoddam spirituale valens producere in se omnium rerum ideas, quin pendeat à voluntate in earum productione. Sic autem præformatam esse, ut totius Universi idea in ipsa contineatur tamquam in mundo quodam ideali, & naturam universam omnem semper exprimat; perceptiones autem sint confusæ, & paulatim evolvantur, & distinctæ fiant, prout evolvuntur motus qui in corporibus fiunt; seu prout objecta mutationes produ-

---

33. fuisse ei adscriptas opiniones, à quibus longissime abest, ipsa ejus verba referimus. Sic autem scribit Theodicææ part. 3. §. 403. » Quem-» admodum fœtus in animali formatur, quemadmodum alia naturæ mi-» racula sexcenta producuntur per instinctum quendam à Deo rebus in-» ditum." (Bene habet. Jam desinant juniores Philosophi Scholasticis exprobare, aut objicere, quod vocibus utantur obscuris, & ad qualitates occultas sese recipiant) » hoc est, virtute *præformationis di-» vinæ*, quæ admiranda illa automata tam egregios effectus mechanice » producere nata effinxit: ita facile judicatur." (Leibnitius nimirum pro re demonstrata habet, animalia esse automata effectus mechanice producentia. Si autem ita est, cur ipse in *specimine* dinamico in Actis Lipsien. ad an. 1695. admittit *in corporibus principium activum materialibus motionibus superius, & ut sic dicam vitale*? Anne purus erit mechanismus, ubi est intrinsecum principium activum, & vitale?) » animam esse automatum spirituale adhuc mirabilius, & virtu-» te divinæ præformationis elegantes illas ideas producere ... ad quas ars » nostra non valet pertingere. Automatorum spiritualium, sive anima-» rum, operatio non est mechanica, sed quidquid in mechanica pul-» chrum est, eminenter continet: nempe motus qui in corporibus » evolvuntur, per repræsentationem concentrantur in anima, velut in » mundo quodam ideali, mundi actualis leges, earumque effectus ex-» hibente; cum hoc tamen discrimine à mundo ideali perfecto, qui in » Deo est, quod pleræque perceptiones in nobis sunt tantum confu-» sæ. Sciendum enim est, quod omnis substantia simplex Universum » per suas perceptiones confusas, vel sensationes involvat, quodque » perceptionum harum series in qualibet substantia naturæ ipsius spe-» ciali adtemperetur, ita tamen ut naturam universam omnem semper » exprimat: & perceptio quælibet præsens ad perceptionem novam » tendat, uti omnis motus, quem perceptio repræsentat ad alium mo-» tum tendit. Sed impossibile est, ut anima totam suam naturam dis-» tincte cognoscat, videatque quomodo innumerabilis ille perceptionum » minutissimarum numerus, quarum aliæ aliis coacervatæ, vel potius » concentratæ sunt, in se efformetur: ad hoc enim opus esset, ut Uni-» versum omne perceptionibus illis involutum perfecte cognosceret, hoc » est, foret Deus."

cunt in corpore, quod est animæ conjunctum (1). Ideas autem, & perceptiones ita inter se connexas ponit, ut quælibet perceptio præsens ad aliam tendat, sicut omnis motus quem perceptio repræsentat ad alium tendit; atque ita, ut ratio sufficiens posterioris sit in priori (2); quin tamen umquam anima possit videre omnium perceptionum suarum numerum, & quin vel anima dependeat à corpore in suis perceptionibus (3), vel corpus ab anima in suis motionibus (4).

387 Videtur autem ita dicendum I. quia ut Leibnitius ait (5) hoc systema & miracula superflua removet, & Deus illud elegit, quod sit maxime armonicum. Ergo.

288 II. Anima est substantia omnino simplex, in quam nul-

---

(1) Leibnitius Observ. ad recensionem lib. de Fidei, & rationis consensu Thom. 2. Opp. edit Genev. an. 1768. pag. 257. *Deus animæ in creatione dedit ideas confusas, & involutas omnium objectorum Universi, quæ evolvantur, & distinctæ fiant, prout objecta mutationes producunt in eo corpore quod animæ est conjunctum.*

(2) Ex Leibnitio nihil est sine ratione sufficiente; & præcipue ratio sufficiens esse debet inter perceptiones invicem, & motiones, ut sint armonicæ.

(3) Ideo enim Leibnitius armoniam præstabilitam posuit, ut excluderet influxum physicum animæ in corpus, & corporis in animam.

(4) Videbitur fortasse cuiquam Leibnitius systema hoc suum per jocum excogitasse. Ac revera ipse in Epist. ad Pfaffium: »Ita prorsus »est, *inquit*, uti scribis de Theodicæa mea. Rem acu tetigisti, & »miror, neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc meum senserit; »neque enim Philosophorum est rem serio semper agere, qui in fingen»dis hypotesibus, uti bene mones, ingenii sui vires experiuntur.« Putasne, Leibnitium legisse quod Cicero monet l. 3. de nat. deor. *Poëtarum ista sunt: philosophi rerum auctores, non fabularum*? Si autem fabulas fingere, & jocari placebat Leibnitio, cur non festivum aliquod poëma fecit? Cur fabulæ auctor fuit in Theodicææ part. 3. in qua adversus Baelium agit *de bonitate Dei, libertate hominis, & origine mali*? Erantne res adeo graves miscendæ fabulis? Huic tamen Leibnitii declarationi Wolfius non plene assentitur: nam in Actis Lipsien. an. 1728. *Sint*, ait, *Leibnitio lusus ingenii verba, quæ ab eodem adopto: aut igitur alium eisdem tribuit, quem ego sensum, aut si eumdem tribuit, ludendo dixit verum.* Sed quod serio loquutus fuerit Leibnitius, constat ex ejus verbis Theod. p. 1. §. 62. *Non potui non in hoc systema delabi.* Et §. 208. p. 2. *Quamvis systema armoniæ præstabilitæ non aliunde necessarium foret, uti certe est ... Deus illud elegisset, &c.*

(5) Theod. p. 2. §. 208.

la res creata agere potest. Ergo percipere non potest ea quæ fiunt in mundo naturali, nisi ipsa tamquam in mundo ideali contineantur omnes perceptiones.

389 III. Cum Anima sit superior creaturis corporalibus, ejus perceptio eminenter continet quidquid perfectionis est in mechanica. Ergo motus qui in corporibus evolvuntur, contineantur in anima tamquam in mundo ideali (1).

Propositio. *Fictitium, & absurdum est systema Leibnitianum de anima res cognoscente in idea Universi.*

390 Probr. Leibnitius in hoc systemate ponit 1. animam esse automatum spirituale (2), in quo totius Universi idea con-

(1) Ne putet Leibnitius, se primum hac fuisse ratione usum, eique novum aliquod superextruxisse systema, adeat S. Thomam 1. p. q. 84. a. 2. ubi hoc argumentum majori vi sibi objicit tertio loco.

(2) Bilfingerus Tract. Harmon. præstab. sect. 6. §. 124. n. 5. contendit animam humanam propiissime dici automatum. Id non negamus, si derivationem græcam attendimus; est enim αὐτόματον ab αὐτος, *ipse*, & μάω, vel ματέω inquiro, desidero, appeto: anima autem seipsa inquirit, desiderat, appetit. Verum quia vocibus est utendum, ut communiter homines utuntur: Philosophi autem, si Leibnitianos excipias, communiter voce automaton machinas appellant, quarum motus principium est externum, cum tamen videantur seipsis moveri; abstinere Leibnitius debuerat ab appellatione automati, cum de anima loquebatur, ne quis putaret, hominem *puram machinam* ab ipso factum; maxime cum adjunctum *spiritualis* soleat quandoque attribui partibus subtilioribus corporis: unde illud Lucretii:

Spiritus unguenti suavis diffugit in auras.

Præsertim vero Leibnitius ab ea appellatione abstinere debuerat, postquam proposito dubio, an Deus possit facere automatum capax faciendi sine ratione id, quod homo ratione facit, tom. 2. Opp. pag. 99. Edit. Genev. an. 1768. respondet: » Je m'étonne, qu'on prétende de » donner des bornes à la puissance, & à la sagesse de Dieu." *Obstupesco, quempiam esse, qui sibi arroget limitibus coarctare Divinam potentiam, ac sapientiam.* En Leibnitius cum Lockio convenit. Desinant vero Philosophi juniores Scholasticis exprobare, quod quæstiones instituant de possibilibus, nisi forte quis putet, licere ejusmodi quæstiones instituere, cum in eis nutat animi nostri immaterialitas, & immortalitas. Quid igitur Leibnitius reponeret, si quis contenderet, ani-

tinetur tamquam in mundo ideali. 2. naturam universam omnem ab anima semper exprimi, licet non omnes ideæ & perceptiones sint distinctæ. 3. ideas, & perceptiones paulatim evolvi, & distinctas fieri, prout evolvuntur motus qui in corporibus fiunt. 4. perceptiones, & ideas ita esse inter se connexas, ut quælibet præsens ad aliam tendat, quemadmodum unus motus repræsentatus ad alium tendit; rationemque sufficientem posterioris esse in priori. 5. numquam posse animam videre, quomodo immensus ille numerus suarum perceptionum in sese efformetur. 6. animam cum percipit, nullo modo pendere à corpore, nec corpus cum movetur, pendere ab anima. Sed hæc omnia fictitia sunt, & absurda. Ergo.

391 Prob. 1. minoris pars ratione S. Thomæ (1). Si ideæ totius Universi contineretur in anima tamquam in mundo ideali, vel esset distincta ab essentia animæ, vel non esset distincta. Si esset distincta, jam foret innata; non enim esset ex sensibus hausta, alioquin non esset *ex virtute divinæ præformationis*, ut docet Leibnitius. Ostensum est autem supra (2), nullam esse ideam animæ innatam (3). Si autem idea illa non esset distincta ab essentia animæ (4), jam ipsa essentia animæ esset

---

mam esse hujusmodi automatum quod sine ratione faceret, quod ratione fieri debet? Essetne limitibus circumscripta Divina potentia, & sapientia, ne id posset efficere? Wolfius vero tantam in mechanismo humani corporis vim ponit, ut dicat Psycol. ration. §. 637. quod *Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit in libris suis, exposuisset, librosque singulos eodem quo conscripti sunt modo scripsisset, etiamsi ipsi nulla fuisset anima.* Unde concludit, *mechanismo corporis perfici posse, quæ rationis opus sunt, & facultatibus animæ immaterialibus originem debent.* Quæ quomodo componi possint cum animi immaterialitate, alii viderint. Nam si mechanismo corporis perfici possunt exterius opera rationis, cur anima in mechanismo corporis non consistet?

(1) 1. p. q. 84. a. 2. & q. 55. a. 1. (2) §. 338. sqq.

(3) Ideas innatas Leibnitius videtur admittere; nam in Adnot. ad opus Kingii de orig. mali §. 4. scribit: *Merito tuetur, ideas nostras simplices minimum nobis esse innatas.* Et t. 2. Opp. cit. edit. p. 257. *Deus animæ in creatione dedit ideas confussas.* Nihilominus Theod. p. 3. §. 403. ait: » Ideas nostras non ideo quia volumus, efformamus," (scilicet Leibnitius non quia voluit, sibi efformavit ideam Armoniæ præstabilitatæ, sed aliunde habuit acceptam) » In nobis, & à nobis efformantur, non ex vi, & imperio nostræ voluntatis." Si à nobis efformantur, quomodo illas accepimus in creatione? quomodo erunt innatæ?

(4) Hæc videtur esse Leibnitii sententia, cum docet, animam esse

idea totius Universi, & mundus idealis; adeoque omnia per propriam essentiam anima cognosceret. Id autem omnino repugnat; essentia enim animæ est determinata ad certum genus, & ad certam speciem; cum sit enim hominis forma, pertinet ad idem genus, & ad eamdem speciem, ad quam pertinet homo. Nulla autem res determinata ad certum genus, & speciem, potest in sese ita comprehendere omnia quæ sunt in Universo, ut possit per suam essentiam illa repræsentare; hoc enim est proprium Divinæ essentiæ, quæ est infinita, ut omnia in sese comprehendat, & per seipsam omnia cognoscat (1). Fieri ergo non potest, ut idea totius Universi contineatur in anima tamquam in mundo ideali.

392 Altera minoris pars probatur. Anima non continet in seipsa naturam totius Universi, ut dictum est (2). Ergo non potest naturam universam semper exprimere; quod enim exprimitur, debet saltem aliquo modo contineri in eo, à quo exprimitur (3).

393 Prob. tertia min. pars. Si ideæ, & perceptiones pau-

---

mundum idealem, & continere eminenter in sese omnes motus, qui in corporibus evolvuntur. Si autem ideæ non sunt distinctæ ab essentia animæ, rogamus Leibnitium, ut nobis explicet, qui fieri possit, ut anima *elegantes illas ideas producat, ad quas ars nostra non valet pertingere*; nisi forte Leibnitius velit, animam posse producere seipsam.

(1) Nam ut advertit S. Thomas 1. p. q. 14. a. 6. *Cum essentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet essentia cujuscumque rei alterius, & adhuc amplius, Deus in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Propria enim natura uniuscujusque consistit, secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat.*

(2) §. 391.

(3) Nec sufficit reponere ideas repræsentantes naturam universam, esse in anima confusas & involutas. Quod enim confuse, & involute repræsentatur, aliquo modo cognoscitur; si namque nullo modo cognosceretur, nec confuse cognosceretur. Itaque ideas illas confusas, antequam distinctæ fierent, aliquatenus cognosceremus, adeoque & earum aliquando recordaremur; nam ut advertit S. Thomas 1. p. q. 84. a. 3. *nullus homo obliviscitur ea, quæ naturaliter cognoscit.* Quis autem, si bona fide agat, affirmare poterit, se aliquo modo cognovisse aliquando tam multas res, quarum cognitionem successu temporis comparamus? nisi velit Platonis, & Pythagoræ reminiscentiam renovare, de qua confer S. Augustinum l. 12. de Trin. c. 15. Quam quidem reminiscentiam Leibnitius renovasse visus est, cum persuadere conatus fuit, animas ab initio fuisse creatas, & inclusas in corpusculis organicis. Sed hac de re alias. Interea audiamus ipsum Leibnitium ita scribentem *Reflex. sur*

latim evolverentur, & distinctæ fierent, prout evolvuntur motus qui in corporibus fiunt, hæc evolutio necessaria foret, non enim penderet ex voluntatis arbitrio (1). Nulla igitur esset in anima idea, & perceptio distincta, nisi ex necessitate. Ergo nulla perceptio libera. Frustra igitur præciperetur Deuteronomii 15. v. 9. *Cave, ne forte subrepat tibi impia cogitatio* (2). Frustra diceretur Matt. 15. v. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes*, &c. Nec quisquam posset unquam cogitatione peccare (3); cogitatio enim *non subjaceret imperio nostræ voluntatis*, sed *in nobis, & à nobis efformaretur secundum nostram, & rerum ipsarum naturam*, distinctaque fieret, prout evolverentur motus in corporibus.

---

l' essai de l' entendement humain de M. Locke : » Il y a quelque chose » de solide dans ce que Platon appelloit la *rèminiscence* ... Il y a mê. » me quelque chose de plus, car nous n'avons pas seulement une *rèmi-* » *niscence* de toutes nos pensées, mais encore un *pressentiment* de tou- » tes nos pensées." *In eo quod Plato reminiscentiam appellavit, quidpiam solidi inest ... Extat insuper aliquid amplius; non enim reminiscentiam tantum, sed etiam præsensionem habemus omnium nostrarum cogitationum.* Non fuit satis Leibnitio, Platonis *reminiscentiam* probasse, nisi adderet etiam *præsensionem*, quasi quilibet homo non modo omnium præteritarum suarum cogitationum, sed & omnium futurarum sibi sit conscius. Jam de Leibnitio usurpabimus illud Strat. l. 6. Theb.

Interius ductus Phœbejus augur habenis.

(1) Vide §. 393. not. *Immo.*

(2) S. Basilius Hom. in illud, Attende tibi ipsi: *Sumus*, inquit, *nos homines ad peccata cogitationum proclives ... Corporeæ actiones tempore indigent, opportunitate, labore, adjutoribus, denique reliquo commeatu. E diverso animi motus citra temporis moram fiunt, perficiuntur citra lassitudinem, citra negotium ullum consistunt, idoneum ipsis est tempus omne ... Ubi igitur lapsus est repentinus, ibi repentina cavendi facultas fuit nobis tradita.*

(3) Immo nec opere: nam si, ut Leibnitius ait, *ideas nostras non ideo quia volumus efformamus*; multo minus motus qui evolvuntur in corporibus, ideo evolvuntur, quia volumus, ipsos evolvi. Itaque ejusmodi evolutiones in corporibus necessariæ erunt, nec proinde erit in potestate nostra illas impedire. Nam, ut recte Cicero l. de Fato c. 17. » Si causa appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem apetitus est » in nostra potestate."

394 Præterea, si omnes nostræ ideæ, & perceptiones distinctæ, necessariæ forent, non esset in potestate animæ, dum una fit evolutio in motibus corporis, aliam ideam, & perceptionem distinctam habere diversam ab illa quæ tali evolutioni responderet; quomodo enim posset, si evolutio ideæ, & perceptionis, ut distinctæ fierent, unice penderent à reciproca evolutione motus in corpore? Dum igitur perciperem distincte v. g. Solem, quia in corpore evolveretur motus respondens ideæ Solis, non esset in mea potestate percipere distincte Lunam, Martem, Jovem &c. nisi evolventur in corpore motus respondentes ideis Lunæ, Martis, Jovis &c. nec possem imperare evolutiones ejusmodi motuum, quippe quæ non subjacerent meæ voluntatis imperio (1). Hæc autem intimo sensui contraria sunt: nam qua possum facilitate mihi distincte exhibere ideam Solis, eadem & aliorum Planetarum (2). Non ergo ideæ, & perceptiones distinctæ fiunt ex reciproca evolutione motuum in corporibus.

395 Probatur 4. min. pars. Si ideæ & perceptiones ita inter sese connexæ forent, ut quælibet præsens ad aliam tenderet, & ratio sufficiens posterioris esset in priori, numquam possemus res disparatas successive cognoscere. Quis autem id

---

(1) Quin etiam nullo modo ab anima penderent. Tantus est enim humani corporis mechanismus ex Wolfii sententia, qui acerrimus propugnator est systematis Leibnitiani, ut motus corporis, ipso fatente Psycol. ration. §. 616. *eodem quo nunc modo consequerentur, etiamsi anima non existeret.*

(2) Ne autem quis objiciat, non esse in potestate animæ suarum cogitationum objecta, adeundus est S. Thomas 1. 2. q. 17. a. 6. ubi egregie rem totam explicans scribit: *Actus rationis potest considerari dupliciter. Uno modo quantum ad exercitium actus; & sic actus rationis semper imperari potest. Alio modo quantum ad objectum, respectu cujus duo actus rationis attenduntur. Primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat; & hoc non est in potestate nostra: hoc enim contingit per virtutem alicujus luminis vel naturalis, vel supernaturalis ... Alius autem actus rationis est, dum his quæ apprehendit, assentit. Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia; assensus talium vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordene naturæ ... Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam: & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est.*

serio adfirmabit (1)? Possum considerare Leibnitianam evolutionem, deinde me convertere ad contemplandum Solem, post cogitare de intermundiis Epicuri, post de chimæra cerberi, inde triangulum considerare, Deum statim, & Divina contemplari. Quænam, quæso, inter hujusmodi rerum ideas, & perceptiones connexio, & conjunctio, ut una ad aliam tendat, & ratio suficiens posterioris sit in priori (2)? Præterea hac idearum consociatione admissa, nemo certe posset errare, nisi forte Leibnitiani velint, errare illos, qui ideas, & perceptiones tam bene, tamque apte ordinatas habent, ut una ad aliam tendat; sitque prior posteriori ratio sufficiens (3).

---

(1) Gravesandus Introduct. ad Phil. §. 300. *Dicere possumus*, inquit, *hominem, qui distinctam trianguli ideam habet, obscuras habere ideas omnium proprietatum hujus figuræ; quia inter has ultimas, & primas necessarius datur nexus. Non autem simile inter ideas quæ in mente sese mutuo sequuntur, detegitur vinculum. Ubi subito ex ipsis tenebris in lucem transeo, & objectorum numquam antea visorum acquiro ideas; obscuritatis perceptio non ad has deducere videtur.*

(2) Nec etiam in omnibus motibus corporis, cui anima conjuncta est, talem connexionem agnoscit Wolfius, cum scribit Psycol. empir. §. 925. » Motus corporis quos anima vult, & qui ad nutum ejus in » corpore consequuntur, ita comparati sunt, ut corpus ad eos, atque » ad oppositos iisdem æque dispositum deprehendatur.“ Si æque est dispositum corpus ad motus oppositos; non igitur datur inter motus corporum necessaria connexio, nisi forte Wolfius contendat, motus oppositos qui se invicem destruunt, necessario connecti. Sed vide quam sibi ille consentiat; nam ibid. §. 633. statuerat, motus corporis tam esse necessarios, ut *naturaliter diversi esse non possint ab iis, qui actu consequuntur.* Quod si ita necessarii sunt, quomodo corpus erit *æque dispositum ad motus oppositos*?

(3) Wolfius Psycol. rat. §. 618. duo statuit, quæ se invicem destruere videntur. Nam 1. ait » animam producere suas perceptiones, & » appetitiones citra ullam realem à corpore dependentiam; & in cor» pore dari seriem motuum vi solius mechanismi, citra ullam depen» dentiam ipsius corporis ab anima“ 2. ponit » ex modificationibus ani» mæ rationem reddi motuum in corpore, & ex motibus corporis mo» dificationum animæ, sive in anima, & corpore contineri rationem » sufficientem continuitatis temporis, quo perceptiones, & appetitiones » in anima, & utriusque consentientes motus in corpore contingant.“ Hæc autem inter se pugnant: nam si nulla est dependentia animæ à corpore in suis perceptionibus, neque corporis ab anima in suis motibus; quæ erit ratio sufficiens in corpore, cur anima ita operetur; aut quæ sufficiens ratio in anima, cur corpus ita moveatur? Nam unum

396 Quinta min. pars prob. Intelligi nequit, qui possit esse in anima coacervatus, sive concentratus innumerabilis ille perceptionum minutissimarum numerus, quem fingit Leibnitius: perceptiones enim actiones sunt, ut supra ostendimus (1): actiones autem non permanent, sed transeunt. Præterea cum anima sit immortalis, semperque vivere debeat, atque adeo percipere; numerus perceptionum erit successive infinitus. Si ergo perceptionum numerus esset coacervatus in anima, jam substantia animæ contineret infinitas perceptiones: est autem quælibet perceptio quædam perfectio animæ; actus enim vitæ est perfectio viventis. Essent igitur in anima infinitæ perfectiones: quod esse non potest.

397 Denique prob. postrema min. pars. Constitutum à Leibnitio principium de anima percipiente omnino independenter à corpore, favet *idealismo*; nam si anima in suis perceptionibus nullo modo penderet à corpore, jam non posset probari realis existentia corporum, cujus probatio unice nititur sensuum testimonio, à quibus anima in percipiendo minime penderet. Favet etiam omni vitiorum licentiæ: si enim anima nullo modo in suis perceptionibus, & appetitionibus penderet à corpore, neque corpus in suis motibus penderet ab anima; nihil certe mali contingere animæ posset, quamquam sensibus corporis laxarentur frænа; nec quidquam boni contingeret animæ, etiamsi diligentissime cohibere niteretur illorum motus; neque enim anima posset illos cohibere, propterea quod, ut liquitur Wolfius (2), *eodem quo nunc modo in corpore consequerentur, etiamsi anima non existeret* (3). Patet igitur, quam sit

---

non potest esse alteri ratio sufficiens, nisi aliquo saltem modo unum ab altero dependeat. Videant Leibnitiani, ne dum omnia referre student ad principium rationis sufficientis, omni prorsus ratione destituantur; ut enim advertit S. Thomas 1. p. q. 84. a. 4. *secundum hanc positionem sufficiens ratio assignari non posset, quare anima nostra corpori uniretur. Si enim non indigeret corpore ad intelligendum, frustra corpori uniretur.* (1) §. 258. (2) Physcol. rat §. 616.

(3) Hinc vehementer decipitur, ac decipit Wolfius, cum Physcol. rat. not. ad §. 538. scribit, *nullum adeo errorem minori periculo subjacere, quam qui de commercio inter animam, & corpus comittitur, ut adeo vana sint illorum molimina, qui tanta acerbitate contra istiusmodi systema pugnant.* Quod enim gravius nedum esse, sed excogitari periculum potest, quam, aperta vitiis via, æternam animi salutem in certum discrimem, exitiumque vocare? sed de his latius, cum de hujusmodi commercio agemus.

absurdum Leibnitianum systema de origine idearum.

398 Ad primum neg. ant. cum enim anima sit forma corporis, ut dictum est (1), nullum est miraculum, quod percipiat dependenter à corpore. Negamus pariter, systema Leibnitianum esse maxime armonicum; est enim absurdissimum: quod autem ad absurda deducit armonicum esse non potest (2).

399 Ad secundum neg. cons. Cum enim corpus humanum per seipsum non possit agere, nisi moveatur ab anima, cum influit in animam, non influit se solo, sed influit ut motum ab anima; ideoque actio non est solius corporis, sed *conjuncti*, ut loquitur S. Thomas (3). Quare etiam cum corpus agit in animam, anima agit in seipsam, licet medio corpore; vis enim agendi in corpore non est nisi ab anima (4).

400 Ad tertium resp. cum S. Thoma (5), quod *essentia superioris creaturæ, etsi habeat aliquam similitudinem inferioris creaturæ, prout communicant in aliquo genere, non tamen complete habet similitudinem illius, quia determinatur ad aliquam speciem, præter quam est species inferioris creaturæ.* Itaque anima non potest ita eminenter continere perfectiones creaturarum corporalium, ut possit illas repræsentare in seipsa tamquam in mundo ideali.

ARTICULUS IX.

Utrum mens sibi ideas formet, ut Recentioribus placet.

401 Extitere olim quidam Philosophi, qui arbitrati sunt, animam ad sensibilium præsentiam formare in sese similitudines sensibilium (6). Huic sententiæ subscripserunt auctor Ope-

(1) §. 338.

(2) Christianus Kortholtus Disp. de Phil. Leibn. §. xi. & Reinbeckius apud ipsum, censent, *hypothesim Leibnitii non minoribus, quam reliquæ hypotheses ad explicandum inter animam, & corpus unionem, premi difficultatibus.*

(3) De sensu, & sens. lect. 1.

(4) Vide quæ diximus §. 248. (5) 1. p. q. 84. a. 2. ad 3.

(6) Confer S. Thomam q. 10. de ver. a. 6. ubi ait: » Alii dixerunt, » quod anima sibi ipsi est scientiæ causa; non enim à sensibilibus scien» tiam accipit, quasi actione sensibilium aliquo modo similitudines re» rum ad animam perveniant; sed ipsa anima ad præsentiam sensibilium » in se similitudines sensibilium format. »

ris *de Arte cogitandi* (1), Leibnitius (2), & Wolfius qui docet, mentem suas creare ideas.

402 Videtur autem ita dicendum, I. quia entis, & cogitationis ideæ per nullum sensum intrare in animum potuerunt. Ergo mens illarum efficiendarum vim in se habet.

403 II. Præter ideas simplices, multæ sunt ideæ compositæ. Sed hæc compositio nonnisi à mente fit. Ergo extat in mente vis formativa idearum.

404 III. Mens vi sibi congenita appetitiones producit. Ergo etiam rerum ideas; nulla enim apparet ratio, quare illas possit, has non possit producere.

Propositio. *Ideæ non formantur à mente ad præsentiam rerum sensibilium.*

405 Prob. ratione S. Thomæ (3). Nullum agens agit, nisi prout est in actu (4). Ergo si anima ad præsentiam rerum sensibilium formaret in se rerum ideas, deberet actu habere in seipsa ideas rerum earumdem; non posset enim esse in actu ad ideas formandas, nisi per ideas. Sed si illas actu haberet, jam illas non formatas supponeret. Ideæ igitur non forman-

(1) part. 1. c. 1.

(2) Theod. p. 3. §. 403. ubi docet, animam *elegantes ideas producere, in quibus voluntas nostra nullam habet partem.* Quomodo autem possit illas producere non video; nam si, ut art. superiore observavimus, ideæ confusæ omnes sunt involutæ, & coacervatæ in anima; distinctæ autem fiunt, prout evolvuntur motus in corporibus; quid remanet quod anima possit producere? non ideas confusas, quia omnes continentur in anima, quæ illas, ut Leibnitus ait, accepit à Deo in creatione: Non ideas distinctas, sive statum distinctionis idearum, quippe is pendet ab evolutione motuum in corporibus. Quid ergo?

(3) *Loc. cit.* ubi post relata verba subdit: » Sed hæc positio non » videtur totaliter rationalis. Nullum enim agens, nisi secundum quod » est actu, agit: unde si anima format in se omnium rerum similitudi» nes, oportet, quod ipsa in se actu habeat illas similitudines rerum: » & sic redibit in prædictam opinionem, quæ ponit omnium rerum scien» tiam animæ naturaliter insitam esse. "

(4) » In iis (inquit Nyssenus l. 12. con Eunom.) quibus inest á na» tura efficiendi vis, & facultas, alterum potentia consideratur, alterum » secundum actus expletionem. Quemadmodum, exempli gratia, navium » fabricatorem semper esse potentia dicimus eum, qui ædificandæ na» vis arte præditus est; operari vero, cum in operibus ipsis suam osten» dit scientiam. »

tur à mente ad præsentiam rerum sensibilium (1)

406 Ad primum jam dictum est (2), quomodo mens rerum abstractarum, & suæmet cogitationis notitiam acquirat.

407 Ad secundum dicimus cum S. Thoma (3) esse *quamdam operationem animæ in homine, quæ dividendo, & componendo format diversas rerum imagines, etiam quæ non sunt à*

---

(1) Plures alias rationes ad idem probandum proponit Malebrancius l. 3. p. 2. de inquis. ver. c. 3. quæ tamen infirmæ sunt, nulliusque roboris. Nam quod ait, vim producendi ideas esse hujusmodi, ut mentem à Deo independentem constituat, falso principio nititur, nimirum, nullam rem creatam præditam esse vi quidpiam producendi, ne sit independens à Deo : quod quidem principium denegat creaturis omnem agendi facultatem. Tantum vero abest, ut hæc facultas creaturas constituat à Deo independentes, ut facultas ipsa sit à Deo, requiratque præviam Dei motionem, ut ad actum perducatur. Deinde quod ait, ideas esse entia realia perfectiora mundo materiali; proindeque non posse à mente produci, quæ nequit entia materialia producere; nec quidquam probat : nam licet ideæ, quatenus incorporeæ, perfectiores sint mundo corporeo, sunt tamen accidentia, sive ut junioribus Philosophis placet, modi mentis humanæ. Falsum est quoque, hominem nihil posse producere eorum quæ sunt in mundo corporeo; nam revera homines generant alios homines, qui quidem substantiæ sunt. Præterea quod Malebrancius ex denegata hominibus potentia creandi, infert ipsos non posse ideas producere, falso nititur supposito, scilicet, productionem idearum esse veram creationem : non enim omnis productio creatio est, sed illa tantum, quæ & nihil supponit rei quæ producitur, & nullum subjectum supponit, à quo dependenter producatur : ideæ autem cum sint accidentia, dependent à mente tamquam à subjecto, cui inhærent. Quærimus autem ex Malebrancio, utrum vis producendi appetitiones sit revera in anima. Si neget, anima erit mere passiva, ejusque libertas corruet. Si affirmet, rursus quærimus, an hæc vis constituat animam independentem à Deo, an secus. Si secus, cur independentem constituet vis producendi ideas? Si autem vis producendi appetitiones constitueret animam independentem à Deo, jam nulla esset in anima vis hujusmodi. Similiter quærimus, an appetitio sit ens reale? & nemo sane id negabit. Quod si anima appetitiones producit, licet entia realia sint, & perfectiores mundo materiali, quia spirituales, cur non etiam ideas? Pari modo rogamus, an productio appetitionis sit creatio. Si affirmetur : deneganda erit animæ vis appettendi. Si negetur, quare ideæ produci nequeunt per actionem, quæ creatio minime sit? De postrema Malebrancii ratione dicemus infra. Restat igitur, ut non alia, quam S. Thomæ ratione probari efficaciter possit, ideas non formari à mente ad præsentiam rerum sensibilium.

(2) §. 344. sqq. (3) 1. p. q. 84. a. 6. ad 2.

sensibus acceptæ. Cum enim anima per ideas simplices jam sit in actu, & per easdem ideas jam actu cognoscat, nihil prohibet, quin illas possit componere, & compositas dividere.

408 Ad tertium neg. cons. Nam cum anima appetitiones producit, jam est posita in actu per cognitionem; nihil enim appetimus, quod prius non cognoverimus. At non ita est de productione idearum; per ipsas enim mens ponitur in actu.

ARTICULUS X.

Utrum Gassendus, & Lockius recte explicarint originem idearum?

409 Gassendus (1) nullam esse arbitratur ideam intellectualem rerum quæ per sensus transeunt, diversam ab imagine quæ est in phantasia; sed ait, intellectum ob cohæsionem cum phantasia rem contueri in ea imagine repræsentatam. Similiter loquitur Lockius (2); ut enim explicet, quomodo primariæ qua-

(1) Phys. sect. 3. Mem. poster. l. 9. c. 3. *Quo momento*, inquit, *phantasia perculsa speciem expressam elicit, imaginemve, seu similitudinem rei quæ in sensum incurrerit, sua vi exprimit, ac format, hoc est, ipsam rem quasi inspicit, aut qualis per sensum percipitur, concipit; eodem momento intellectus ob intimam sui præsentiam, cohæsionemque cum phantasia rem eamdem contuetur.*

(2) Essai concern. l' entend. hum. l. 2. c. 8. §. 12. » Si les Objets ex-» térieurs ne s' unissent pas immediatement à l' Ame lorsq' ils y exci-» tent des idées, & quæ cependant nous appercevions ces *qualités ori-» ginales* dans ceux de ces objets qui viennent à tomber sous nos sens, » il est visible, qu' il doit y avoir, dans les objets extérieurs, un cer-» tain mouvement, qui agissant sur certaines parties de notre corps, » soit continué par le moyen des nerfs, ou des esprits animaux, jusqu' » au cerveau, ou au siége de nos sensations, pour exciter là dans no-» tre esprit les idées particuliéres que nous avons de ces *premiéres* » *qualités*. Ainsi, puisque l' étendue, la figure, le nombre, & le mou-» vement des corps qui sont d' une grosseur propre à frapper nous yeux, » peuvent être apperçus par la vue à une certaine distance, il est évi-» dent que certains petits corps imperceptibles doivent venir de l' ob-» jet que nous regardons, jusqu' aux yeux, & par-là communiquer au » cervaau certains mouvemens qui produisent en nous les idées que » nous avons de ces differentes qualités. " *Si objecta exteriora non unirentur animæ immediate, cum in ipsa excitant ideas, & interea nos percipimus has qualitates originarias in illis hujusmodi objectorum, quæ in nostros incidunt sensus, plane constat, debere esse in*

litates in nobis ideas producant, statuit, animam, cum sit præsens cerebro, ad quod omnes nervi, spiritusque animales deferuntur, in eodem cerebro tamquam in sensorio percipere primarum

---

objectis exterioribus certum aliquem motum, qui agens super certas corporis nostri partes, continuetur per nervos, aut spiritus animales usque ad cerebrum, aut ad sedem nostrarum sensationum, ut in spiritu excitet ideas particulares, quas habemus harum primarum qualitatum. Atque ita, cum extensio, figura, numerus, & motus corporum molis, quæ in nostros possit oculos incurrere, valeant visu percipi ad certam distantiam, evidens est, debere proficisci ex objectis, quæ adspicimus, parva quædam corpora imperceptibilia, ad oculos usque, indeque cerebro communicare certos motus, quæ in nobis producunt ideas diversarum qualitatum. Vide, quam acute Lockius ratiocinetur. Nam 1. quæri potest, unde constet, debere esse in objectis exterioribus motum quempiam, quo agant in certas partes corporis nostri, quique continuetur per nervos, & spiritus animales cum cerebro, aut cum ea parte corporis, in qua est sensationis sedes. Id Lockius probat, quia objecta exteriora non uniuntur immediate cum anima. At vero ex hoc principio non sequitur debere esse motum illum in objectis exterioribus. Lockius idem lib. cit. c. 1. §. 12. adversus Cartesianos probans, animam non semper cogitare, inquit: » Ces gens-là, dis-je, ne peuvent » trouver aucune impossibilité ou contradiction à dire que le corps » puisse vivre sans ame, ou que l'ame puisse subsister, penser, ou avoir » des perceptions, même celles de plaisir ou de douleur, sans être » jointe à un corps." *Nequeunt hi homines quidquam repugnans invenire, si dicatur corpus vivere posse sine anima, aut animam posse subsistere, cogitare, aut perceptiones habere, etiam voluptatis, vel doloris, quin sit conjuncta corpori.* Unde ergo evidenter probatur motus ille in objectis exterioribus, ut *qualitates originariæ* percipi possint ab anima, si anima ipsa per Cartesianos potest percipere & ipsam voluptatem, et dolorem, quin sit corpori unita? 2. Cum Lockius necessitatem illius motus propagati usque ad cerebrum agnoscat, *ut excitentur in anima ideæ particulares quas habemus primarum qualitatum*, jam admittit esse in anima hujusmodi ideas; qui enim excitari aliquid potest, si nondum sit? 3. Si ideæ primarum qualitatum excitantur per motus propagatos usque ad cerebrum, quid est quod Lockius ait, *easdem ideas per certos motus produci*? Anne prius aliquid excitabitur, quam producatur? 4. quænam consequutio ea est, quam Lockius infert: *extensio, figura, numerus, & motus corporum molis quæ in oculos incurrit, percipi possunt per visum ad certam distantiam*; ergo *evidens est, quædam parva corpora imperceptibilia proficisci debere ab objectis, quæ aspicimus, & per oculos motum communicare cerebro*? Si hæc consequentia valeret, valeret etiam hæc alia: possum videre corpora molis in oculos incurrentis: ergo videre possum corpora ita par-

qualitatum ideas. Fatentur autem Gassendus (1), & Lockius (2) plures ideas à mente formari (3) per reflexionem, meditationem, & compositionem.

410 Videtur autem ita dicendum I. quia ut objicit Gas-

---

va, ut oculos omnino fugiant. Nam si corpora illa, utut parva, possunt motum communicare cerebro, ut percipiantur, cur non oculis, ut videantur? Denique cum Lockius hæc scribit, Democriti, & Epicuri recoquit crambem.

(1) Inst. Log. p. 1. can. 3. (2) Essai &c. l. 2. c. 1. §. 4.

(3) Idem Lockius lib. cit. c. 8. §. 4. loquens de causis naturalibus perceptionis, scribit: » Si c' étoit ici le lieu de rechercher les causes » naturelles de la perception, je prouverois par-là, qu' *une cause pri-* » *vative peut*, du-moins en certaines rencontres, *produire une idée po-* » *sitive.*" *Si hic locus esset inquirendi causas naturales perceptionis, probarem utique causam aliquam privativam, saltem in aliquibus certis casibus, posse producere ideam aliquam positivam.* Audiamus, quomodo id probet: » Je veux dire, que, comme toute sensation est pro- » duite en nous, seulement par différens degrés & par différentes dé- » terminations de mouvement dans nos esprits animaux diversement » agités par les objets extérieurs" (id Lockius adsumit, nec tamen » probat) » la diminution d' un mouvement qui vient d' y être excité, » doit produire aussi nécessariement une nouvelle sensation, que la va- » riation, ou l' augmentation de ce mouvement-là, & introduire par » conséquens dans notre esprit une nouvelle idée, qui dépend unique- » ment d' un mouvement différent des esprits animaux dans l' organe » destiné à produire cette sensation." *Videlicet, quia cum omnis sensatio producatur in nobis tantummodo per diversos gradus, & per diversas determinationes motus in spiritibus animalibus diversimode agitatis per objecta exteriora; diminutio motus, qui excitatur, debet necessario producere ita novam sensationem, ut variationem, aut augmentum hujus motus, & consequenter inducere in spiritum nostrum novam ideam unice dependentem à diverso motu spirituum animalium in organo destinato ad producendam hanc sensationem.* Equidem argute nimis, & ad Epicureorum palatum. Itaque per Lockium motus qui *minor* est, differt à *majori* motu tamquam *privativum* à *positivo*, hoc est, ut tenebræ à luce. Atqui motus, licet diminutus, aliquid positivum est. Igitur nihil probat Lockius, cum probare aggreditur, *posse ideam positivam produci à causa privativa.* Mittimus, quam hæc assumptio sit absurda: qua enim ratione causa privativa, quæ nihil revera est, potest producere ideam positivam? An non ens valebit producere ens? Nonne causa quæ producit, debet virtute continere effectum? Nonne si sit univoca, debet esse ejusdem ordinis cum effectu? Id erit reliquum, ut Lockius probandum suscipiat, positivum virtute contineri in negativo. & utrumque ad eundem ordinem pertinere.

sendus (1), anima licet incorporea, jungi potest immediate cum corpore, & corporeis membris ad movendum uti. Ergo uti etiam poterit immediate specie corporea.

411 II. Potest Angelus, ut idem Gassendus opponit (2), citra perculsionem à specie corporea, sed solo intuitu in speciem percipere corpora. Ergo multo magis anima idipsum poterit.

Propositio. *Mens nullo modo potest res immediate percipere in imagine corporea phantasiæ, neque in cerebro tanquam in sensorio.*

412 Probatur ratione S. Thomæ (3). Res prout sunt in imagine corporea phantasiæ, sive in cerebri sensorio, non sunt intelligibiles actu. Sed quod actu non est intelligibile, immediate percipi à mente non potest. Ergo. Minor probatione non eget, cum per se constet, perceptionem non esse, nisi de re, quæ actu percipi, sive intelligi potest. Prob. maj. Ut aliquid sit actu intelligibile, oportet, ut actu sit in intellectu saltem per sui imaginem per quam uniatur cum intellectu; perceptio enim est actio immanens, ut supra diximus (4). Sed fieri non potest, ut res, prout sunt in imagine corporea phantasiæ, sive in cerebri sensorio, actu sint in intellectu per eam corpoream imaginem, sive per motus in cerebro excitatos; quandoquidem intellectus immaterialis est, imago vero illa, & motus sunt corporea; in re autem immateriali nihil corporeum esse potest. Igitur quamdiu res sunt in phantasia, sive in cerebri sensorio non sunt actu intelligibiles, nec proinde percipi possunt (5).

413 Ad primum neg. cons. siquidem anima conjungitur cum corpore, non ut ab ipso perficiatur, sed ut ipsum perficiat; est enim forma corporis: forma autem perficit id cujus est forma. Nihil ergo prohibet, quominus anima se ipsa in-

(1) Phys. sect. 3. mem. poster. l. 9. c. 3.
(2) Ibid. (3) 1. p. q. 14. à. 1. & q. 79. à. 3. (4) §. 269.
(5) Hinc merito S. Augustinus l. 8. de Civ. c. 6. *Sensibilia*, inquit, *dicimus, quæ visu tactuque corporis sentiri queunt: intelligibilia, quæ conspectu mentis intelligi possunt. Nulla est enim pulchritudo corporalis, sive in statu corporis, sicut est figura, sive in motu, sicut est cantilena, de qua non animus judicet. Quod profecto non posset, nisi melior in illo esset hæc species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci, vel temporis.*

corporea uniatur corpori ad illud perficiendum. At vero mens cum percipit, perficitur; transit enim à potentia ad actum: repugnat autem, ut mens incorporea perficiatur per speciem corpoream, alioquin mens esset propter corpus, non corpus propter mentem. Præterea ex quo anima unitur corpori, non corpus recipitur in anima, sed anima recipitur in corpore ad ipsum perficiendum. At contra si mens perciperet per ideam corpoream, hæc deberet recipi in ipsa mente, quod esse non potest, ut dictum est (1).

414 Ad secundum, retorquetur arg. nam sicut Angeli nequeunt corpora intelligere, nisi per species intelligibiles, quas penes se habent, ut ostendit S. Thomas (2); ita mens nequit corpora intellligere, nisi penes se habeat species intelligibiles: hujusmodi autem esse non possunt species quæ sunt in phantasia, cum sint corporeæ.

ARTICULUS XI.

Utrum origo idearum recte explicetur à S. Thoma.

415 Cum Angelicus Doctor opiniones expendisset de idearum origine, easque, quemadmodum & nos, à veritate alienas planeque absurdas ostendisset; rationi, & experientiæ consentaneam esse existimavit sententiam Aristotelis, quæ licet magnis à plerisque sit offusa difficultatum tenebris, si tamen bene intelligatur, planiorem præsefert explicandi modum. Itaque ex D. Thomæ sententia (3) scientia mentis nostræ partim est ab intrinseco, partim ab extrinseco, id est, à rebus sensibilibus, quæ sunt extra animam Talis igitur est progressus cognitionis nostræ. Principio res corporalis extra animam existens exhibetur sensibus exterioribus. Deinde ejus similitudo transit ad sensus interiores, præsertim ad phantasiam. Eadem imago cum sit corporea, conjungi non potest cum intellectu, qui est incorporeus. Ut conjungi possit, abstrahi, sive separari debet à circunstantiis universis materialibus singularibus, quæ sunt in imagine corporea, seu in phantasmate (4). Hæc separatio fit ab animæ facultate, quæ appellatur *intellectus agens* (5). Forma, sive imago sic separata recipi-

(1) §. 412. (2) 1. p. q. 57. a. 1.
(3) 1. p. q. 84. a. 6. & q. 10. de ver. a. 6.
(4) Vide quæ diximus §. 344.
(5) Vernejus de re Log. l. 2. c. 3. hanc referens sententiam: „Alter,

tur in alia animæ facultate, quæ dicitur *intellectus possibilis* (1), Is autem intellectus in ea imagine rem per ipsam repræsentatam cognoscit. Et cum res separatæ à circumstantiis materialibus singularibus, universales sint; sequitur, quod jam ante diximus (2), intellectum universalia directe, singularia vero indirecte cognoscere.

416 Adversus hanc sententiam objicitur I. quia si intellectus agens ideas abstraheret, jam mens sibi formaret ideas: quod esse non potest, ut diximus (3).

417 II. Explicari nequit, quomodo intellectus agens ideas abstraheret; vel enim ageret immediate in phantasmata, & sic nulla est ratio, quare mens non posset immediate res percipere in phantasmatibus; vel non ageret, & sic nihil posset abstrahere.

418 III. Intellectus agens abstrahendo, vel sciret id quod faceret, vel nesciret: si nesciret, utique nihil faceret, ideoque

---

» *inquit*, dicitur intellectus agens, sive cognoscens. " Et ibid. not. 3. Scholasticos reprehendit, quod mentem Aristotelis non sint assequuti. Gravissimus Aristarchus, qui notat quod non intelligit. Ubinam gentium Scholastici docuerunt, intellectum agentem esse cognoscentem? Cum contra, ejus ponant necessitatem, ut ea, *quæ sunt intelligibilia in potentia, faciat intelligibilia in actu*, ut cognosci possint ab intellectu possibili? Vide S. Thom. 3. de ani. lect. 10. Et tamen vir iste, qui numquam Scholasticorum libros legisse videtur, Scholasticos reprehendit, quod Aristotelem non intellexerint.

(1) Δυνατὸν ipsum appellat Aristoteles l. 3. de ani. c. 4. id est *possibilem* (sive *potentem* à δύναμαι possum; unde & Dynastæ potentes dicuntur) non quod actu revera non sit aliquid, sed quia *nihil est actu prorsus eorum, quæ sunt, antequam intelligat*, hoc est, quia nullam in seipso determinatam speciem habet, sed ad omnes est in potentia. Hic autem animadverte rursus quam perspectæ fuerint Vernejo, & Antonio Genuensi Scholasticorum opiniones. Ille enim loc. cit. intellectum *possibilem* vocat intellectum *patientem*. Is vero Art. Log. Crit. l. 2. c. 1. §. 6. appellat intellectum *passivum*; minime intelligentes differentiam intercidentem inter *possibile*, & *patiens*, sive *passivum*: nam *patiens*, & *passivum* dici potest quidquid recipit aliquid, licet non omnino sit in potentia; *possibile* vero dicitur quod ad ea, quæ recipit, omnino est in potentia. Vide S. Augustinum l. 1. de grat. Christi c. 18. sqq. ubi adversus Pelagium de possibilitate naturæ disserit ad faciendum bonum, vel malum; atque inde intelliges, quam merito intellectus, qui est in potentia ad omnes ideas recipiendas, nullamque ex seipso in se actu habet, appelletur intellectus *possibilis*.

(2) §. 220. (3) §. 405.

non esset agens ; si sciret , deberet cognoscere id quod facit ; sed cognitio sine idea esse non potest. Ergo intellectus agens jam ideam præsupponeret, proindeque nihil ageret abstrahendo.

Propositio. *Exposita sententia S. Thomæ recte explicat originem idearum.*

419 Prob. In hac sententia statuitur 1. intellectionem esse non posse , nisi res sensibiles extra animam existentes , exhibeantur sensibus exterioribus. 2. oportere , ut imagines earumdem rerum ad phantasiam deducantur ; adeoque intellectionem esse non posse , nisi intellectus ad phantasmata se convertat. 3. Necesse esse , ut res iis imaginibus repræsentatæ, abstrahantur à conditionibus materialibus singularibus , cum quibus conjunctæ sunt in phantasmatibus: 4. duplicem in anima esse facultatem , alteram , qua illa abstractio fiat , fiantque res actu intelligibiles ; alteram , in qua ideæ intellectuales recipiantur quæque in illis objecta cognoscat. 5. intellectum possibilem directe universalia, indirecte singularia cognoscere. Atqui his constitutis , facile est explicare originem idearum. Ergo.

420 Singulæ min. partes probantur. Et quidem prima constare videtur cum ex dictis (1) , tum ratione S. Thomæ (2) : nam

(1) §. 338. sqq.

(2) 1. Poster. lect. 30. *Duplex est* , inquit , *modus acquirendi scientiam, Unus quidem per demonstrationem , alius autem per inductionem. Differunt autem hi duo modi , quia demonstratio procedit ex universalibus ; inductio autem procedit ex particularibus. Si ergo universalia ex quibus procedit demonstratio , cognosci possent absque inductione, sequeretur , quod homo posset accipere scientiam eorum , quorum non habet sensum. Sed impossibile est universalia speculari absque inductione. Et hoc quidem in rebus sensibilibus est magis manifestum, quia in eis per experientiam , quam habemus circa singularia sensibilia, accipimus notitiam universalem..* Quare nescivit quid loqueretur Verulamius , cum in Distrib. Novi Organi pag. 5. scripsit : » Quamvis re- » linquamus syllogismo , & hujusmodi demonstrationibus famosis , ju- » risdictionem in artes populares , & opinabiles " (quasi vel artes sutoria , pistoria , coquinaria , lecticaria , quas Cicero vulgares appellat pro Sexto Roscio n. 134. syllogismis, famosisque demonstrationibus utantur; vel mathematicæ artes, quæ syllogismis utuntur , necessariisque demonstrationibus , inter populares , & opinabiles recenseri debeant) » tamen » ad naturam rerum , Inductione per omnia , & tam ad minores pro- » positiones , quam ad majores utimur. " Nam si propositiones istæ uni-

scientia duplici via acquiri à nobis potest, scilicet, per inductionem, vel per demonstrationem. Sed inductio procedit ex particularibus, ideoque ex rebus sensibilibus extra animam, quæ particulares sunt; demonstratio vero absque inductione esse non potest: nam demonstratio procedit ex universalibus: universalia autem fiunt ex inductione particularium, ut dictum est. (1). Intellectio ergo esse non potest, nisi res sensibiles exhibeantur sensibus exterioribus.

421 Altera min. pars ostenditur ratione ejusdem. S. Doctoris (2). Si intellectio esse posset, quin rerum imagines ad phantasiam deducerentur, & quin intellectus ad phantasmata se converteret (3), assignari non posset causa, cur impedito actu virtutis imaginativæ per læsionem organi, ut in phreneticis, impediretur homo ab intelligendo. Requiruntur ergo phantasmata, ut mens possit intelligere (4); idque, ut idem S. Thomas

---

versales sunt, Inductione nituntur; si autem sunt necessariæ, demonstrationem efficiunt. (1) §. 344. (2) 1. p. q. 84. a. 7.

(3) Auctor Operis de Arte cogit. p. 1. c. 1. arbitratur, homines post peccatum assuevisse rebus tantum corporeis considerandis, indeque esse, ut plerique judicent, se nihil posse concipere quod nequeant imaginari; atque ita à S. Augustino sæpius observatum notat. Id cum gratis asserat, omnino negamus; quod enim homo nihil possit concipere, quod nequeat imaginari, est ex conditione intellectus humani conjuncti cum corpore, ut ostendit S. Thomas a. cit. Quæ autem sunt ex conditione naturæ, fuerunt etiam in statu innocentiæ ante peccatum. Quod autem observatum sæpius ab Augustino dicit, ejus est credendum fidei, cum nullum Augustini locum citet. Certe S. Augustinus l. 8. de Trin. c. 4. n. 7. ostendit, imaginationem ad ipsam Fidem utilem esse. Quod si aliquando docet, ut l. de vera Relig. c. 49. n. 95. phantasmata impedimento esse ad investigandam veritatem, intelligendus est, ut ipse se explicat l. 11. de Trin. c. 3. de phantasmatibus confictis pro arbitrio de rebus neque sensis, neque expertis. » In quo genere, *inquit*, cavendum » est, ne aut mentiatur, ut decipiat, aut opinetur, ut decipiatur. Qui» bus duobus malis evitatis, nihil ei obsunt imaginata phantasmata: si» cut nihil obsunt experta sensibilia, & retenta memoriter, si neque cu» pide appetantur si juvant, neque turpiter fugiantur si offendunt. " Et » quoniam ex peccato multoties evenit, ut hæc duo mala non evitentur, idcirco dici potest, phantasmata aliquando obesse.

(4) Prælare Nazianzenus Orat. 34. *Quemadmodum*, ait, *nulla ratione fieri potest, ut quispiam quamlibet gressum urgeat, umbram suam prætereat (quantum enim eam assequeris, tantum etiam illa semper antevertit).... ita etiam impossibile est iis, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum, ac sensibilium rerum adminiculo, rebus iis, quæ ani-*

(1) advertit *quilibet in seipso experiri potest ; nam quando aliquis conatur aliquid intelligere formas sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum in quibus quasi inspiciat, quod intelligere studet. Et inde est etiam, quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum.* Iutellectio igitur nostra sine phantasmatibus esse non potest.

422 Tertia minoris pars satis constat ex dictis (2). Nam si necesse non esset, ut res, quarum similitudines phantasmata exhibent, abstraherentur à conditionibus materialibus singularibus, cum quibus sunt in iisdem phantasmatibus ; jam mens illas immediate perciperet in imaginibus corporeis : quod fieri non potest. Oportet igitur, ut ea abstractio fiat (3).

423 Hinc autem prob. 4. min. pars : nam si abstractio illa fit ; cum nullus effectus possit esse sine causa, ponenda est in anima facultas aliqua, à qua fiat. Hæc autem facultas non

---

mo, ac ratione intelliguntur, omnino conjungi ; semper enim obiter sensibile aliquid incidit, quamtumvis maxime nostra mens ab iis rebus, quæ in aspectum cadunt, abstracta, atque in seipsam collecta, cum rebus cognatis, atque oculorum aciem fugientibus commercium habere conetur. Cujus rei varia ibidem adducit exempla. Similia scribit Alcinous c. 10. *Homines*, inquit, *tanquam affectionibus oppleti sensuum, ita ut cum intelligibile quippiam mente percipere student, semper aliquid sensibile in phantasia sua admixtum habeant ; ac magnitudinem una sæpius cogitent, & figuram, & colorem ; neutiquam sincere intelligibilia percipiunt.*

(1) A. cit. (2) §. 412. sqq.

(3) Atque id quidem Gassendus ipse fateri cogitur : nam in Animadv. de Physiol. Epicuri pag. 561. ut probet humanæ animæ immaterialitatem : » Tertium, *inquit*, (argumentum) est earum, quibus non » modo universalia, universalesve notiones formamus, sed percipimus » quoque ipsam rationem universalitatis. Siquidem cum universalia ejus- » modi sint, ut præcidantur ab omnibus conditionibus materialibus, dis- » criminibusque singularitatis, ut magnitudine, figura, colore, & simi- » libus ; oportet, intellectum, qui sane hanc præcisionem à materia » facit, & considerat, absolutum esse à materia, conditionisque esse » omni circunstantia materiali eminentioris. " Habemus igitur à Gassendo adsertam abstractionem à conditionibus materialibus, & singularibus. Habemus intellectum eam abstractionem efficientem. Habemus intellectnm eam abstractionem considerantem. Vide autem quam sibi Gassendus constet ; nam si hæc intellectus facit ; quid erit opus, ut ob intimam ejus præsentiam cum phantasia, rem in ipsa phantasiæ imagine contueatur.

potest esse extra animam ; quippe *nulla actio convenit alicui rei nisi per aliquod principium formaliter ei inhærens* (1). Inest igitur animæ facultas abstrahens species intelligibiles à phantasmatibus. Hæc autem facultas debet esse divetsa à facultate in qua species intelligibiles recipiuntur, sive ab intellectu possibili (2); is enim intellectus cum nullam in sese speciem intelligibilem habeat, ut supra ostendimus (3), est in potentia ad omnes species: Omne autem, quod est in potentia, non reducitur in actum, nisi per aliquod ens actu (4), alioquin si seipso reduceretur in actum, esset, & non esset in potentia. Igitur necesse est, ut intellectus, qui est in potentia ad omnes species intelligibiles, perducatur ad actum per aliquod principium intrinsecum, quod sit in actu. Tale autem principium non possunt esse phantasmata, ut dictum est (5), cum sint corporea. Erit igitur alia virtus animæ, per quam fiant intelligibilia actu: & hanc virtutem S. Thomas (6) vocat intellectum agentem (7). Est igitur in anima duplex facultas, scili-

---

(1) S. Thom. 1. p. q. 79. a. 1. & 4.

(2) Ne juniores Philosophi nos reprehendant, quod entia multiplicemus sine necessitate, illos rogamus, ut adeant Wolfium Psycol. rat. sect. 1. §. 54. ubi scribit: » Vis & facultas animæ à se invicem differunt. Vis enim consistit in continuo agendi conatu, facultates tantummodo sunt potentiæ activæ animæ, adeoque nudæ agendi possibilitates. " Si vis, & facultas à se invicem differunt, cur non item intellectus agens, & possibilis? Si vis consistit in *continuo agendi conatu*, cur non poterit intellectus agens consistere in conatu animæ ad ideas efformandas per abstractionem? Si denique facultates possunt esse potentiæ activæ animæ, & *nudæ* agendi *possibilitates*; quid vetat, quominus detur intellectus *possibilis*, qui sit *nuda* potentia, & nihilominus sit vera potentia activa animæ? Sed illæ loquendi formulæ Wolfio quidem permittuntur, interdicuntur Scholasticis. In Wolfio quid magnum significant, in Scholasticis voces sunt sensu destitutæ, risuque excipiendæ.

(3) §. 338.

(4) Plotinus *Ennead.* 2. *l.* 5. *c.* 3. » Quod in potentia est, *inquit*, » exigit alterum, quo accedente perducatur ad actum, ut aliquid tandem fiat in actu. "

(5) §. 412. (6) 1. p. q. 79. a. 3.

(7) Si hæc appellatio cuiquam displiceat, non disputamus de verbis: nam uti S. Augustinus *l.* 2. *con. Acad. c.* 11. scribit: » Turpe est » disputantibus in verborum quæstione immorari. " Etenim, ut ipse Au» gustinus ait *l. de Magist. c.* 11. » Verba admonent tantum, ut quæra» mus res, non exhibent, ut noverimus. " Junioribus Philosophis licet in medium adducere vires centripetas, centrifugas, centrales, vires vi-

cet, intellectus agens, & possibilis (1).

424 Ex his autem probata remanet postrema pars minoris: nam ut advertit S. Thomas (2), cum in rebus materialibus principium singularitatis sit materia individua; si intellectus directe singularia cognosceret, jam non intelligeret abstrahendo speciem intelligibilem ab hujusmodi materia. Ostensum est vero, nihil posse intelligi, quod non sit abstractum à materia. Quod autem abstrahitur, universale est, ut diximus (3). Igitur intellectus possibilis universalia tantum directe cognoscit. Quia vero ex dictis (4), intellectus ut intelligat, debet se convertere ad phantasmata, in quibus intelligit species intelligibiles ab illis abstractas; indirecte cognoscit singularia, quorum sunt phantasmata (5).

425 Ad primum respondemus, aliud esse, mentem sibi formare ideas rerum sensibilium ad earum præsentiam in phantasia, sive in cerebro; aliud, virtute intellectus agentis abstrahere species intelligibiles à conditionibus materialibus. Primum fieri non potest, quia cum sensibiles imagines rerum in phantasia, vel cerebro sint corporales, neque proinde possint mentem reducere in actum, sequeretur, mentem reduci debere in actum per aliquid aliud, quod esset in actu, hoc est, per ideas quas præhaberet. Alterum vero non requirit, ut intellectus agens reducatur in actum, sed potius res sensibiles, quæ sunt

---

vas, mortuas, & si quæ sunt aliæ. Soli peccabunt Scholastici, quod duplicem intellectum agentem, & possibilem in anima constituant.

(1) S. Thom. q. unic. de ani. a. 4. idipsum probat altiori ratione sic: *Cum intellectus possibilis sit in potentia ad intelligibilia, necesse est, quod intelligibilia moveant intellectum possibilem: quod autem non est, non potest aliquid movere. Intelligibile autem per intellectum possibilem non est aliquid in rerum natura existens, ut intelligibile est. Intelligit enim intellectus possibilis noster aliquid quasi unum in multis, & de multis. Tale autem non invenitur in rerum natura subsistens. Oportet igitur, si intellectus possibilis debet moveri ab intelligibili, quod hujusmodi intelligibile fiat. Et cum non possit esse id quod est in potentia, ut aliquid factum ipsius, oportet ponere præter intellectum possibilem, intellectum agentem, qui faciat intelligibilia actu, quæ moveant intellectum possibilem.*

(2) 1. p. q. 86. a. 1, (3) §. 344. (4) §. 421.

(5) Ipsi juniores Philosophi inter imaginationem, & intellectionem puram distinguunt. Vide Opus de Arte cogit. p. 1. c. 1. Vide etiam Malebrancium de inquis. ver. l. 3. p. 1. c. 1. & p. 2. c. 1. sqq. Cum igitur imaginatio sit circa corporalia singularia; si consequenter loqui velint, intellectio pura erit circa universalia directe.

potentia intelligibiles, facit intelligibiles actu (1). Quare species intelligibiles non alia ratione dici possunt formatæ ab intellectu agente, nisi quia sunt abstractæ à conditionibus materialibus.

---

(1) Rem acute conficit S. Thomas q. 10. de ver. a. 6. » Cum, *inquit*, » mens nostra comparatur ad res sensibiles, quæ sunt extra animam, » invenitur se habere ad eas in duplici habitudine. Uno modo ut actus » ad potentiam, in quantum scilicet res quæ sunt extra animam, sunt » intelligibiles in potentia; ipsa verò mens est intelligibilis in actu: & » secundum hoc ponitur in ea intellectus agens, qui facit intelligibilia » actu. Alio modo ut potentia ad actum, prout scilicet in mente nos» tra formæ rerum determinatæ sunt in potentia tantum, quæ in re» bus extra animam sunt in actu: & secundum hoc ponitur in anima » nostra intellectus possibilis, cujus est recipere formas à rebus sensibi» libus abstractas, factas intelligibiles actu per lumen intellectus agen» tis. Quod quidem lumen intellectus agentis procedit sicut à prima » origine à substantiis separatis, præcipue à Deo. Et secundum hoc ve» rum est, quod scientiam à sensibilibus mens nostra accipit: nihilomi» nus tamen ipsa anima in se similitudines rerum format, in quantum » per lumen intellectus agentis efficiuntur formæ à sensibilibus abstractæ » intelligibiles actu, ut in intellectu possibili recipi possint. "

Eduardus Corsinus Log. 1. p. c. 2. §. 7. pulcherrimas has esse voces & elegantiæ plenas arbitratur, nisi monstretur, spirituales hujusmodi radios ab intellectu prodire posse, quibus imago corporea perfundatur. Meritam Viro huic gratiam persolvimus de urbano jocandi lepore, cum in Peripateticis laudat pulcherrimas voces, & elegantiæ plenas. *Peripateticorum* autem *ratio*, ut Cicero ait Brut. 119. *in Philosophia, & ratione dicendi*, non in vocibus pulcherrimis, & elegantibus posita est. Quia vero ille postulat, ut ostendamus, qua ratione ab intellectu spirituales radii prodire, & corpoream imaginem perfundere possint; rogamus primum, ut nobis explicet, quomodo ideæ factitiæ, quas ibidem admittit, fiant ab intellectu; an scilicet luce aliqua spirituali perfundantur ideæ adventitiæ, ut factitiæ evadant; an vero nulla sint luce perfusæ? Si hoc posterius dixerit, sequitur, intellectum cæco modo factitias ideas formare, quod Corsinus ibi negat. Si illud prius, jam ejus sententia ideæ adventitiæ, quæ corporeæ sunt, spiritualibus radiis ab intellectu procedentibus, perfundentur. Negamus deinde, umquam fuisse adsertum sive ab Angelico Præceptore, sive ab ejus Discipulis, corporeas imagines, seu phantasmata perfundi radiis spiritualibus ab intellectu prodeuntibus, & in illis receptis. Vide Cajetanum ad a. 1. q. 85. 1. p. Et Bannesium ad a. 3. q. 79. ejusdem 1. p. ubi hanc primam conclusionem statuit: *Impossibile est, quod phantasmata illustrentur per aliquam qualitatem, aut entitatem spiritualem receptam in illis per actionem intellectus agentis.* Quid ergo Corsinus Peripateticis universis impo-

426 Ad secundum dicimus, intellectum agentem, cum abstrahit species à phantasmatibus, agere quidem immediate in ipsa phantasmata non tamquam in objectum, à quo perficiatur, sed tamquam in materiam, sive instrumentum, quo utitur ad perficiendum intellectum possibilem per species intelligibiles ab ipsis phantasmatibus abstractas. Nihil autem obstat, quominus res immaterialis agere possit immediate in rem

---

nit quod illi, saltem omnes, non docuerunt? Quod si phantasmata dicuntur illustrari per actionem intellectus agentis, id non alia ratione idem Bannesius ibid. Concl. ult. fieri docet, nisi *quatenus intellectus agens ex eis educit speciem intelligibilem, qua repræsentatur ut intelligibilis actu quidditas rei materialis, quæ sub phantasmatibus erat intelligibilis tantum in potentia.* Quod S. Thomas ante docuerat 1. p. q. 85. a. 1. ad 4. inquiens: » Phantasmata & illuminantur ab intellectu » agente, & iterum ab eis per virtutem intellectus agentis species intelli» gibiles abstrahuntur. Illuminantur quidem " (Vide in quo hæc illuminatio posita sit) » quia sicut pars sensitiva ex conjunctione ad intellectum » efficitur virtuosior; ita phantasmata ex virtute intellectus agentis red» duntur habilia, ut ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur. Abstra» hit autem intellectus agens species intelligibiles à phantasmatibus, in » quantum per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra » consideratione naturas specierum sine individualibus conditionibus, se» cundum quarum (*naturarum specificarum*) similitudines intellectus » possibilis informatur. " Itaque illustratio phantasmatum non est per aliquod lumen in ipsis phantasmatibus receptum, sed in hoc tantum consistit, ut intellectus agens ex illis abstrahat species intelligibiles naturarum specificarum, quæ naturæ sub phantasmatibus erant tantum potentia intelligibiles. Hoc autem facit utendo phantasmatibus tanquam materia, ex qua species illæ abstrahuntur. Quare S. Thomas 1. p. q. 84. a. 6. docet, dici non posse, *quod sensibilis cognitio sit totalis, & perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ.* Itemque utendo phantasmatibus tanquam instrumentis ad producendas species intelligibiles, ita ut productio harum specierum intellectui agenti tanquam principali causæ tribuatur. Hinc S. Thomas q. 10. de ver. a. 6. ad 7. ait: » In receptione qua intellectus possibilis » species rerum accipit à phantasmatibus, phantasmata se habent, ut » agens instrumentale, & secundarium, intellectus vero agens, ut agens » principale, & primum." Id ne cuiquam incredibile videatur, accipiamus phantasma hujus vel alterius hominis, puta Petri, vel Pauli. In hoc phantasmate repræsentatur homo ille singularis ut habens tale corpus, talem dimensionem, talem figuram; non repræsentatur vero natura speciei humanæ abstractæ ab his conditionibus singularibus; sic enim abstracta actu non est in phantasmate; sed tamen natura ipsa revera est in homine illo singulari, qui in phantasmate repræsentatur;

corpoream tamquam in materiam, sive instrumentum; alioquin nec Deus agere posset in corporea. Repugnat vero, rem incorpoream perfici à re corporea; quod enim perficit, est perfectius eo quo perficitur; nam aliter perficere non posset. Mens autem si immediate perciperet in phantasmatibus, perficeretur ab ipsis, ut dictum est (1). Minime vero perficitur ab ipsis, cum iis utitur tamquam materia, & instrumentis ad

---

ideoque natura illa abstracta continetur potestate in phantasmate; si enim nullo modo contineretur, abstrahi non posset à conditionibus singularibus, cum quibus est in phantasmate. Natura igitur humana quæ abstracta, est actu intelligibilis, est in phantasmate Petri potentia intelligibilis. Ut abstrahatur, requiritur phantasma Petri tamquam materia, ex qua abstrahitur; non enim abstrahitur, nisi quia separatur à conditionibus singularibus: cum his autem conditionibus est in phantasmate Petri. Igitur oportet, ut ab iisdem conditionibus separetur, ut fiat abstracta. Hæc abstractio fit ab intellectu agente, sed nonnisi medio phantasmate; non enim ille determinatus est ad abstrahendam naturam humanam à Petro, nisi quia determinatur à phantasmate Petri. Quia vero unio animæ ad corpus est propter perfectionem intellectus, ut dictum est §. 243. sequitur, ipsum phantasma concurrere tamquam instrumentum intellectus agentis ad productionem speciei intelligibilis, quatenus, ut diximus cum S. Thoma, ex virtute intellectus agentis redditur habile, ut ab eo abstrahatur species intelligibilis: & quemadmodum virtus artificis determinatur à securi ad producendam incisionem, & rursus securis dirigitur ab artifice, ut incisio fiat recte; ita virtus intellectus agentis determinatur à phantasmate, ut talem speciem intelligibilem abstrahat; & rursus phantasma ex virtute intellectus agentis redditur habile, ut ab eo abstrahi possit species intelligibilis: proinde sicuti recta incisio tribuitur artifici tamquam causæ principali, & securi tamquam instrumento; ita species intelligibilis tribuenda est intellectui agenti tamquam causæ principali, phantasmati tamquam instrumento. Sic fieri species intelligibiles, & probatum jam est §. 422. & experiendo etiam constat; quandoquidem ideam naturæ sive humanæ, sive cujuscumque alterius rei aliter habere non possumus, quam abstrahendo à singularibus individuis id, in quo conveniunt, id est, ipsam naturam, & id in quo differunt, hoc est, circumstantias individuas. *Et hoc* (inquit S. Thomas 1. p. q. 79. a. 4.) *experimento cognoscimus, dum percipimus, nos abstrahere formas universales à conditionibus particularibus, quod est facere intelligibilia.* Ex quibus intelliges, quam fideliter Antonius Genuensis Art. Log. Crit. l. 2. c. 1. §. 6. referat, ab Scholasticis doceri, *ideas materiales, seu species expressas ab objectis in cerebro imprimi, hinc ab intellectu agente spiritualizari, & illuminari, atque intellectui passivo præsentari, fierique species expressas.* (1) §. 413.

abstrahendas (1) species intelligibiles; non enim agens à materia, vel instrumento, sed contra materia, & instrumentum ab agente perficiuntur.

427 Ad tertium respondemus, intellectum agentem dum abstrahit, neque scire, neque nescire id quod facit abstrahendo (2); est enim virtus animæ à Deo constituta ad hunc

---

(1) Corsinus *loc. cit.* putat temere dici, corporeas imagines abstrahi à circumstantiis materialibus, propterea quod imagines istæ nihil sint aliud, quam motus, & vibrationes spirituum animalium, nec ulla spiritualis, & universalis imago in illis concreta, permixta, & confusa delitescat. Verum quod ait, imagines illas esse tantum spirituum animalium motus, & vibrationes, omnino falsum est; motus enim transeunt, imagenes vero illæ permanent, alioquin percipi numquam possent. Vide not. subjecta ad §. 232. Quod autem addit, nullam in iisdem imaginibus delitescere spiritualem, & universalem imaginem, consequutio est non intellectæ Scholasticorum opinionis; nemo enim umquam Scholasticorum docuit, spiritualem imaginem abstrahi à phantasmatibus idem esse, ac illam veluti extrahi è sinu phantasmatum in quibus actu continebatur; siquidem & illi noverunt, nihil spirituale actu delitescere posse in re corporea, ut inde extrahatur. Si scire Corsinus velit, quæ sit hac in re Scholasticorum explicandi ratio, adeat S. Thomam 1. p. q. 85. a. 1. ubi scribit: » Virtute intellectus agentis resultat quædam » similitudo in intellectu possibili ex conversione intellectus agentis su» pra phantasmata: quæ quidem est repræsentativa eorum, quorum sunt » phantasmata, solum quantum ad naturam speciei. Et per hunc mo» dum (*intelligat Corsinus*) dicitur abstrahi species intelligibilis à phan» tasmatibus, non quod aliqua eadem numero forma (*ut Corsinus pu» tat*) quæ prius fuit in phantasmatibus, postmodum fiat in intellec» tu possibili, ad modum quo corpus accipitur ab uno loco, & trans» fertur ad alterum. "

(2) Leibnitius Theod. par. 3. §. 401. proponit sibi simile Baelii argumentum: » Quis est qui nesciat: nec actu quidem pingere quemquam » posse, qui quomodo acus ducenda sit, nesciat? An ergo acum duce» re opus difficilius erit, quam pingere in mente rosam, simul atque » in oculos illa incurrit, quamvis hanc pingendi artem didicerit ante » numquam? " Idem argumentum opponit Malebrancius l. 3. de inquis. ver. c. 3. Respondet vero Leibnitius: *Hem tibi ratiocinium prorsus mirabile! Quid, obsecro, necesse est scire semper, quomodo fiat id quod facimus? An salia, metalla, plantæ, animalia, sexcentaque alia sive animata, sive inanimata, ea quæ faciunt, faciendi modum norunt, aut notitia ulla indigent? An ergo olei, vel adipis guttam, ut in aquæ superficie rotundetur, Geometriæ peritam esse oportebit?* Non est igitur, ut quidam ajunt, immane paradoxum ponere intellectum

effectum. Quæro, dum oculus videt, an sciat se videre? At quomodo scire potest, si scientia ad mentem, visio ad oculum pertinet? Quæro item, an corpora, dum moventur, cognoscant se moveri? Quid ergo necesse erit, intellectum agentem scire, quomodo abstractio facienda sit, ut possit abstrahendo formare ideas intelligibiles (1)? Fatemur tamen, præcedere in nobis cognitionem sensitivam, ut possit intellectus agens intelligibilia abstrahere.

QUÆSTIO VI.

De universalitate idearum generatim.

428 Postquam de existentia, natura, & origine idearum disseruimus: progredimur ad idearum divisionem: nam de unaquaque re prius est quærendum, an sit, & quid sit, deinde quotuplex sit. Ideæ autem cum sint similitudines, sive repræsentationes objectorum, dividendæ sunt & ex objectis, quæ repræsentant, & ex modis illa repræsentandi (2). Objecta autem in ideis

---

agentem non cognoscentem, id est, non intelligentem: nam sicut voluntas facultas animæ est, qua volumus, non qua cognoscimus, & mens facultas animæ est, qua cognoscimus, non qua volumus, ita intellectus agens facultas est animæ, non qua cognoscimus, sed qua formamus ideas, ut cognoscamus. Quod si auctore S. Augustino Epist. 147. al. 112. c. 2. *visus proprie oculis attributus est, veruntamen hoc verbo utimur & in cæteris sensibus. Non enim tantum dicimus, Vide quid luceat, sed etiam Vide quid sonet, Vide quid oleat, Vide quid sapiat, Vide quid caleat*; quid erit mirum, si virtutem animæ qua objecta intelligibilia fiunt, vocetur intellectus agens?

(1) » Duorum intellectuum (inquit S. Thomas q. un. de ani. a. 4. ad » 8.) scilicet possibilis, & agentis duæ sunt actiones. Nam intellectus » possibilis est recipere intelligibilia: actio autem intellectus agentis est » abstrahere intelligibilia. Nec tamen sequitur, quod sit duplex intel» ligere in homine; quia ad unum intelligere, oportet, quod utraque » istarum actionum concurrat. "

(2) Recentiores Philosophi ideas dividunt 1. ex earum natura, 2. ex earum origine, 3. ex relatione ad objecta, 4. ex relatione ad mentem. Ex natura illas dividunt in phantasticas, & intelligibiles; in simplices, & compositas. Ex origine, in adventitias, factitias, & innatas. Ex relatione ad objecta, in singulares, & universales; in absolutas, & relativas; abstractas, & concretas; adæquatas, & inadæquatas. Ex relatione ad mentem in claras, & obscuras, distinctas & confusas. Nos autem non probamus hujusmodi divisionem. Nam quod ad idea-

intellectualibus repræsentata, sunt universalia; sunt enim præcisa à circumstantiis materialibus, ut dictum est (1): universalia autem vel sunt simplicia, vel composita; vel abstracta, vel concreta, vel adæquata, vel inadæquata. Rursus universalia ad certas series, sive Categorias revocari possunt. De his ergo agentes, quæremus primum de universalitate idearum, sive de universalibus. Hæc autem considerabimus, cum generatim, tum speciatim. De illis porro generatim, quæremus 1. an dentur naturæ universales repræsentatæ per ideas. 2. an dentur ante omnem mentis operationem. 3. qua intellectus operatione universalia fiant 4. an universalia sint perpetua. 5. an sint notiora singularibus (2).

---

rum naturam pertinet, loquimur hic de ideis intelligibilibus, ideoque phantasticæ non pertinent ad divisionem idearum, de quibus agimus. Ideæ autem simplices, & compositæ dicuntur, prout simplices, aut compositas res repræsentant; quare hæc divisio pertinet ad ideas relatas ad objecta. Sane cum natura idearum posita sit unice in repræsentatione objectorum, non video, quæ possit ex earum natura divisio accipi, non desumpta ex objectis. Similiter cum supra ostenderimus §. 420. sqq. omnium nostrarum idearum originem esse ex sensibus ope intellectus agentis illas formantis abstrahendo à circumstantiis materialibus, singularibus; nulla proinde est divisio idearum nostrarum in adventitias, factitias, & innatas. Ac miramur vehementer, Antonium Genuensem Art. Log. Crit. postquam l. 2. c. 1. §. 6. statuit, eos qui omnes ideas à sensu, ac meditatione nasci putant, *Jove*, ut ipse inquit, *judicare æquo*, statim ib. c. 3. §. 1. ideas nostras dividere in adventitias, factitias, & innatas. Relinquitur ergo, ut idearum divisio accipi debeat ex objectis, & modis repræsentandi: nam & objecta repræsentata, & modi quibus repræsentantur, referuntur ad mentem, cui fit repræsentatio.

(1) §. 422. sqq.

(2) Cartesiani cum aliis has quæstiones inutiles habent. Verum Antonius Genuensis Metaph. p. 1. c. 7. edit. an. 1751. & prop. 94. edit. an. 1774. » Postquam, *inquit*, invaluit apud quosdam Pantheismus, tum » tandem cognitum est, quanti referret hæc adcurate perpendere.“ Sed attende Viri ingenium. Eodem loco, ubi sic loquitur, subdit: *Nos ne in dumeta hæc* (de universalibus) *ingrediamur, paucis saltem historiam comprehendemus.* Si ad Pantheismum refellendum tam magni refert universalia adcurate perpendere, cur Genuensis illa accurate non perpendit? Anne adcurate perpendisse dici potest, qui simplicem historiam contentus est paucis comprehendere?

ARTICULUS I.

Utrum præter voces, & conceptus dentur etiam naturæ universales illis respondentes.

429 Fuit olim Stoicorum opinio (1), solas voces, & animi conceptiones, quæ dici possunt voces internæ, universales esse, eisque in re nihil respondere. In eandem abiere sententiam Heraclitus, & Cratylus, omnesque ii qui scientiarum existentiam denegarunt. Acesserunt Nominales, & Idealistæ. Item qui Sensistæ, & Materialistæ dicuntur; hi siquidem cum perceptiones, & ideas in motionibus cerebri constituant, ut supra diximus (2), nullum universale, nisi forte per singularium aggregationem agnoscunt.

430 Videtur autem ita dicendum, I. quia quidquid existit, singulare est. Naturæ autem rerum existunt. Ergo singulares sunt, non universales.

431 II. Universale absque inductione fieri non potest, ut dictum est (3). Sed ut inductio fiat, requiritur enumeratio singulorum. Si ergo daretur aliquod universale, singula enumerari deberent. Quis autem singula vel unius speciei individua numerare valet?

Propositio. *Præter voces, & conceptus dantur etiam naturæ universales illis respondentes.*

432 Prob. I. Universale est unum in multis, seu respiciens multa (4). Atqui non solum voces, & conceptus, sed etiam natu-

---

(1) Vide Stanlej. Hist. Phil. p. 1. c. 8. (2) §. 211. sqq.

(3) §. 420.

(4) Cum unum pluribus modis possit respicere multa, multiplex est universale, 1. in *causando*, ut Deus O. M. qui universalis est omnium creatarum rerum causa. 2. in *repræsentando*, ut idea hominis. 3. in *cognoscendo*, ut intellectus, qui omnia potest cognoscere. 4. in *significando*, ut voces communes, quæ multa significant. 5. in *essendo*, scilicet naturæ rerum, quæ in multis existunt, ut humanitas in Petro & Paulo. 6. in *prædicando*, seu eædem naturæ prædicabiles de multis, ut cum dico: Petrus est homo. Hoc vocatur *universale* logicum. *Natura* autem, ut ait S. Augustinus l. 2. de Moribus Manich. c. 2. *nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo quod est esse, vocamus es-*

ræ per ideas repræsentatæ, sunt unum in multis; quis enim dixerit, omnes homines non esse unius naturæ? Dantur ergo naturæ universales (1). II. Nomine naturæ hic intelligimus essentiam rei. Sed rerum essentiæ sunt communes omnibus, qui in eadem essentia conveniunt: sic essentia circuli, seu esse figuram planam una linea contentam, cujus omnes lineæ rectæ ductæ à circumferentia ad centrum, sunt æquales, communis est omnibus circulis. Ergo. III. Scientiæ sunt de necessariis, adeoque de universalibus, nam singularia sunt mutationi obnoxia. Sed scientiæ non sunt de solis nominibus, & conceptibus, sed de rebus per nomina, & conceptus significatis; Geometra enim non agit de nomine, vel conceptu trianguli, sed de re significata. Ergo. IV. Voces significativæ significant immediate intellectus conceptiones, & eis mediantibus res (2). Si ergo dantur voces & conceptus communes pluribus, dari etiam debent res pluribus communes.

---

sentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus: ita veteres qui hæc nomina non habebant, pro essentia & substantia naturam vocabant.

(1) Quanti hæc propositio referat ad explicandum Incarnationis Dominicæ Mysterium, ostendit S. Anselmus *De Fide Trinitatis* c. 2. sic scribens: » Qui non potest intelligere, aliquid esse hominem, nisi in» dividuum; nullatenus intelliget hominem, nisi humanam personam. » Omnis enim individuus homo persona est. Quomodo ergo iste in» telliget, hominem adsumptum esse à Verbo, non personam, id est, » aliam naturam, non aliam personam esse adsumptam? " Merito proinde idem Anselmus *ibid.* vocat *Dialecticæ hæreticos* illos, *qui non nisi flatum vocis putant esse universales substantias.* Et similiter S. Basilius l. 1. con. Eunom. n. 6. ipsum Eunomium reprehendit, propterea quod dixerit, *non significari quidpiam per animi perceptionem: sed nomen esse sine ulla significatione, atque in sola pronunciatione subsistere.* Addit porro: » Tantum abest, ut hoc perceptionis nomen » de solis vanis, & non existentibus visis prædicetur, ut post primam » in nobis à sensu impressam ideam, subtiliorem, accuratioremque » rei considerationem perceptionem nominemus."

(2) Clemens Alex. lib. 8. Strom. » In voce, *inquit*, tria versan» tur: nempe nomina, quæ sunt signa eorum quæ animo cogitantur » principaliter; per consequentiam autem etiam subjectorum. Secundo » autem cogitata quæ res subjectas referunt, & exprimunt ... Tertium » autem sunt res subjectæ, ex quibus nobis imprimuntur cogitata." His cohærenter S. Thomas 1. Periherm. lect. 2. scribit: » Non potest es» se, quod (voces) significent immediate res ipsas, ut ex modo sig» nificandi apparet; significat enim hoc nomen homo naturam huma-

433 Ad primum dist. cons. singulares sunt, non universales *formaliter*, conc. *fundamentaliter* (1); nego. Utique naturæ in singulis individuis existentes, singulares sunt; cum enim reipsa non distinguantur ab individuis, sunt singulares ut ipsa individua. Verum quia individua existentia conveniunt in eadem natura, hæc convenientia fundamentum præbet intellectui, ut naturam concipiat universalem. V. g. Natura humana in Petro, & Paulo non est eadem numero, quia Petrus, & Paulus sunt duo homines numero. Attamen quia Petrus, & Paulus conveniunt in eadem specie humana, fit inde, ut intellectus fundamentum accipiat abstrahendi naturam ipsis communem, eamque ut universalem considerandi. Cum ergo dico naturam humanam, dico aliquid quod in singulis individuis divisum est; sed dico tamen aliquid, in quo singula individua conveniunt. Non negamus tamen naturas, seu rationes rerum omnium esse in Deo immutabiles, & æternas, earumque participatione omnia formari, sed prout in Deo sunt, non distinguuntur ab ipsa divina essentia, ut est diversimode participabilis (2).

434 Ad secundum dis. min. requiritur sufficiens enumeratio singulorum, conc. requiritur enumeratio omnium omnino singulorum, nego. Ut inductio recte fiat, non oportet, singula individua recensere; alioquin nunquam per inductionem concludi posset; nam individua in unaquaque specie sunt infinita potestate: infinitum autem pertransiri non potest. Sat ergo est sufficiens enumeratio. Sic pluribus institutis experimentis recte concluditur, ita rem se habere, ut experimenta demonstrant. Et

---

» nam in abstractione à singularibus. Unde non potest esse, quod sig» nificet hominem immediate singularem ... & ideo voces significant » intellectus conceptiones immediate, & eis mediantibus res."

(1) Ne delicatæ juniorum Philosophorum aures his vocibus offendantur, legant, si placet, Lokium Essai &c. l. 3. c. 3. §. 13. ubi scribit: » Les espéces sont l'ouvrage de l'Entendement, mais elles sont » fondées sur la ressemblance des choses: *Species sunt opus intellectus, sed ipsæ fundatæ sunt in similitudine rerum.*

(2) Quare S. Augustinus l. 83. qq. 46. n. 2. *Sunt*, inquit, *ideæ, principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ divina intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant; secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri, & interire potest, & omne quod oritur, & interit.*

eodem modo ex sufficienti enumeratione individuorum convenientium in eadem natura, formamus naturam universalem.

ARTICULUS II.

Utrum naturæ sint universales ante omnem intellectus operationem.

435 POst Platonicos qui naturas communes admiserunt à Deo, & à rebus separatas, ut supra dictum est (1), Scotus, & qui sunt ipsum sequuti, naturas quidem illas separatas rejecerunt; sed nihilominus arbitrati sunt, naturas esse *formaliter* universales ante omnem intellectus operationem (2). Nam Scotus, ejusque discipuli præter distinctionem realem, & eam quæ fit ab intellectu, & appellatur distinctio rationis, admittunt aliam quamdam mediam, quam vocant *formalem ex natura rei*; quia scilicet illa inter quæ reperitur, *realiter* sunt unum & idem; attamen ex propia eorum natura, & essentia hoc est, *formaliter*, unum non est aliud, ante omnem operationem intellec-

(1) §. 324. sqq.

(2) Franciscus Buddeus hanc opinionem versans Traité de l' Athëïs. & de la supertit. §. 24. Not. n. 1. ait: » Cette Hypotése, dis-je, con-» duit directement au Spinozisme. Je ne crois pas neaumoins que les » Scotites conviennent que ce dogme impie suive nécessairement de » leur Hipothése, ou qu' ils l' eussent approuvée s' ils en avoient apper-» çu' les conséquences." *Hæc hypothesis recta ducit ad Spinozismum. Nihilominus non puto, Scotistas convenire, quod impium hoc dogma ex eorum hypothesi necessario sequatur, aut quod illud probassent, si consequentias pærvidissent.* Nos autem negamus, opinionem Scotistarum recta ducere ad Spinozismum. Nam Scotistæ non admittunt in natura unitatem positivam existentiæ, ut Spinozistæ faciunt; sed unitatem formalem, quam dicunt compati posse cum divisione materiali ejusdem naturæ in individuis. Insuper admittunt diversitatem specificam in naturis, quam Spinozistæ negant, statuentes, unicam tantummodo esse naturam, sive substantiam. Ut autem Buddei error ex male intellecta Scoti opinione, cujus scripta fortasse numquam vidit, profectus est: ita putamus cum Jarrigo in actis Acad. Berolin. ad annum 1745. impium Spinozæ dogma processisse ex abusu universalis formalis Scoti, quasi esset ens unum reale, ad quod referrentur tamquam modificationes, omnes species substantiarum, & accidentium; quemadmodum Cartesius in resp. ad primas object. p. 62. sq. fuerat usus distinctione formali Scoti ad explicandam distinctionem inter res & modos.

tus. Sic in homine rationes animalis, & rationalis nolunt esse realiter distinctas; nolunt etiam esse distinctas tantum ab intellectu; sed ajunt, illas distingui *formaliter* ex natura rei, quia videlicet ante omnem intellectus nostri operationem animal ex natura sua non est rationale, nec rationale ex natura sua est animal.

436 Videtur autem ita dicendum I. Quia ante omnem intellectus operationem natura v. g. humana in Petro, & Paulo est una; nam Petrus, & Paulus sunt ejusdem speciei, etiam nullo intellectu cogitante. Ergo est universalis.

437 II. Natura secundum se non est determinata ad unum, neque est incomunicabilis pluribus. Ergo secundum se est pluribus communis, hoc est, universalis.

438 III. Natura in pluribus existens definitur unica definitione. Sed definitio exprimit speciem rei. Ergo species rei in pluribus existens, una est.

Propositio. *Nulla natura est formaliter universalis ante intellectus operationem.*

439 P. Rob. Natura quælibet in triplici statu considerari potest (1), 1. secundum se, hoc est, quatenus dicit attributa essentialia quibus constituitur. 2. ut existit in individuis. 3. ut est per intellectum abstracta ab iisdem individuis. V. g. considerare possum triangulum, ut est figura tribus lineis comprehensa; ut hæc figura reperitur in hoc, vel illo triangulo; & ut concipitur abstracta ab omni singulari triangulo. Atqui unitas formalis non competit naturæ in primo statu; si enim competeret, jam unitas formalis esset attributum essentiale naturæ: quod autem est attributum essentiale alicujus rei convenit omnibus, quibus res illa convenit; quia enim constare tribus lineis est attributum essentiale triangulo, cuicumque convenit ratio trianguli, convenit etiam constare tribus lineis. Igitur si natura secundum se esset universalis, universalitas reperiretur in omnibus, in quibus reperitur natura; proindeque natura in singulis individuis esset formaliter universalis; adeoque omnia individua essent essentialiter unum. In omnibus autem substantiis singularibus reperitur ratio substantiæ. Si ergo ratio substantiæ secundum se esset universalis, omnes substantiæ essent essentialiter unum:

(1) Vide S. Thom. de Ente, & Essent. c. 4.

quod esse non potest. Natura igitur secundum se non est formaliter universalis.

440. Similiter universalitas formalis non potest competere naturæ, ut existit in individuis (1): nam natura est unum, & idem cum unoquoque individuo. Igitur si individua sunt divisa, natura quoque in individuis divisa erit; non enim fieri potest, ut eorum, quæ sunt unum, & idem, unum dividatur, aliis indivisis.

441 Relinquitur ergo, universalitatem formalem, sive unitatem positivam convenire naturæ per abstractionem intellectus (2); ita tamen, ut materia, seu fundamentum universalita-

---

(1) Eadem scribit Lockius Essai &c. l. 3. c. 3. §. 11. » Ce qu' on appelle *général*, & *universel*, n' appartienent pas à l' existence réelle » des choses, mais *que c' est un ouvrage de l' Entendement*, qu' il fait » pour son propre usage ... L' université n' appartient pas aux choses » mêmes qui sont toutes particuliéres dans leur existence, sans en excepter les mots & les idées dont la signification est générale. Lors » donc que nous laissons à part les particuliers, les généraux qui restent, ne sont que de simples productions de notre esprit, dont la » nature générale n' est autre chose que la capacité que l' entendement » leur comunique, de significer, ou de répresenter plusieurs particuliers." *Quod appellatur generale, & universale, non pertinet ad realem rerum existentiam, sed est opus intellectus, qui id efficit, ut eo utatur ... Universalitas non pertinet ad easdem res, quæ omnes particulares sunt, in sua existentia, ne exceptis quidem verbis, & ideis, quorum est significatio generalis. Cum ergo particularia separamus, generalia quæ supersunt, aliud non sunt, quam simplices nostri spiritus productiones* (Vide in hisce verbis entia rationis à quibusdam Recentioribus risu excepta) *in quibus natura universalis nihil est aliud, quam capacitas, quam intellectus illis communicat, significandi, aut repræsentandi plura particularia.*

(2) Ita S. Thomas loc. cit. *Natura*, inquit, *in singularibus habet multiplex esse secundum diversitatem singularium; & tamen ipsi naturæ secundum propriam considerationem, scilicet, absolutam, nullum istorum esse debet. Falsum enim est dicere, quod natura hominis, in quantum hujusmodi, habeat esse in hoc singulari. Si enim esse in hoc singulari conveniret homini, in quantum est homo, non esset umquam extra hoc singulare. Similiter si conveniret homini, in quantum est homo, non esse in singulari, numquam esset in eo. Sed verum est dicere, quod homo, in quantum est homo, non habet quod sit in hoc singulari, vel in illo. Patet ergo, quod natura hominis absolute considerata abstrahit à quolibet esse, ita quod non fiat præcisio alicujus eorum: & hæc natura sic considerata, est quæ predica-*

tis sit in re, quatenus individua reipsa in natura conveniunt, ut supra dictum est (1) forma autem universalitatis, seu vera unitas, ab intellectu dependeat.

442 Ad primum dist. ant. est una negative, conc. positive, nego. Cum singuli homines similitudinem habeant in natura, dicuntur esse inter se ejusdem speciei materialis, quatenus ex tali similitudine intellectus accipit fundamentum concipiendi naturam ipsis communem; proindeque natura in illis dicitur una negative, quia non est divisa ex atributis essentialibus, quæ ipsam naturam constituunt. Attamen natura ipsa in singulis hominibus est divisa ex principiis materialibus, cum non sit eadem numero in singulis; natura siquidem Petri non est eadem numero, ac natura Pauli (2). Jam vero unitas negativa, & similitudinis non sufficit ad universalitatem formalem, sed requiritur omnimoda unitas, quæ naturæ non competit, nisi per intellectum.

---

tur de omnibus individuis. Non tamen potest dici, quod ratio universalis conveniat naturæ sic acceptæ, quia de ratione universalis est unitas, & communitas. Naturæ autem humanæ neutrum eorum convenit secundum suam absolutam considerationem. Si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas, inveniretur communitas: & hoc est falsum: quia in Sorte non invenitur communitas aliqua, sed quidquid est in eo individuatum est... Relinquitur ergo quod ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in intellectu.

Hæc S. Thom. ex Patribus hausit, qui eadem docuerunt, cum præcipue adversus Eunomianos, & Arianos decertarent. Nam Nazianzenus Orat. 37. *Apud nos*, inquit, *una est humanitas. Sed ibi naturæ communitas cogitatione solum habet unitatem.* S. Basilius Epist. 8. al. 142. n. 2. *Quidquid*, ait, *unum numero dicitur, id vere unum non est.* Et Damascenus l. 1. de Fide c. 8. scribit: »In omnibus »creaturis discretio quidem personarum quoad rem consideratur. Re »quippe ipsa Petrum à Paulo separatum consideramus; communitas »autem, & conjunctio, atque unitas ratione, atque cogitatione perspi»citur. Per mentem enim concipimus, Petrum, & Paulum ejusdem »esse naturæ, naturamque unam communem habere.

(1) §. 433.

(2) Vide Nyssenum lib. *Quod non sint tres dii*,,. Homo est, *in»quit*, vel Lucas, vel Stephanus, non tamen si quis homo est pror»sus Lucas, vel Stephanus est. Sed hypostasem quidem ratio per eas »quæ in unoquoque considerantur proprietates, dispersionem admit»tit, & juxta compositionem in numero consideratur; natura vero una »est, ipsa secum unita".

443 Ad secundum negatur conseq. non. enim valet argumentari ab unitate negativa, quæ convenit naturæ secundum se, ad unitatem positivam. Natura igitur ex seipsa neque est una, neque plures; sed est indifferens ad unitatem in intellectu, & ad pluralitatem in individuis (1).

444 Ad tertium dist. maj. Definitur unica definitione prout existit in individuis, nego, prout ab intellectu concipitur, conc. Cum enim definitio sit opus intellectus, convenit naturæ, prout concipitur ab intellectu.

ARTICULUS III.

Utrum universalia abstractione fiant.

445 JAm dictum est (2), abstractione fieri actu intelligibilia, quæ nonnisi potentia intelligibilia erant in phantasmatibus. Ex quibus constare satis posset naturas rerum fieri universales abstractione. At quoniam intellectus non modo illas abstrahit à circunstantiis materialibus, ut supra diximus (3); verum etiam in iisdem naturis abstractis plura rursus abstrahit; v. g. cum in circulo, quem abstractum ab hoc vel illo circulo cognovit, secernit rationem figuræ, in qua circulus cum quadrato, triangulo &c. convenit, à ratione quæ est propia circuli; oportet rem acuratius investigare.

446 Itaque duplicem abstractionem cum S. Thoma distinguimus, alteram, qua naturam rei abstrahimus à conditionibus materialibus, estque actio intellectus agentis (4); alteram, qua intellectus possilibis jam positus in actu per speciem intelligibilem, plura in eadem re concepta distinguit, ac secernit, quæ reipsa distincta, & secreta non sunt; illorumque unum considerat, cæteris minime consideratis (5). Posterior hæc abstractio in

---

(1) S. Thomas loc. cit. »Si quæratur, *inquit*, utrum ista natura »possit dici una, vel plures, neutrum concedendum est, quia utrum»que est extra intellectum humanitatis, & utrumque potest sibi acci»dere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, numquam posset esse »una, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter si »unitas esset de intellectu, & ratione ejus, tunc esset una & eadem »natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus plurificari".

(2) §. 415. (3) §. 422. (4) 1. p. q. 85. a. 1.

(5) Exemplo sit illud quo utitur S. Basilius l. 1. adv. Eunom. n. 6. »Corpus simplex esse prima apprehensio dicit: sed ubi ratio superve-

Scholis apellari solet *præcisio objectiva*, quia in objecto cognito illa plura invicem distinguuntur ab intellectu ; prior autem illa simplicis abstractionis nomen retinet. (1)

447 Jamvero universale sive abstractione, sive præcisione fiat, si ad inferiora, à quibus fuit abstractum, non consideretur ut referibile, v. g. si humanitatem abstracte considerem, vocari consuevit universale *in essendo*, & *metaphysicum* ; quippe ad Metaphysicam pertinet considerare Ens, ejusque proprietates, quarum præcipua est unitas, qua constituitur universale. Si autem consideretur ut referibile ad inferiora, ut si humanitatem ad singulares homines referam, dicitur universale *formale*, *& logicum*; *formale* quidem, quia natura abstracta est forma suorum inferiorum ; *logicum* vero, quia ad Logicam pertinet, ut supra diximus (2), considerare ordinem, quo superiora ad inferiora referri, deque inferioribus enunciari possunt (3). Quæ ratio est, quare universale *logicum* appel-

---

» nit, illud multiplex esse ostendit, ipsum per cogitationem in ea ex » quibus compositum est, dissolvens."

(1) Magni usus, atque utilitatis abstractio est : tum quod res in varias veluti partes dividentes, accuratius, atque facilius perscrutamur: tum quod in considerando ordine rerum inter se, & superiorum ad inferiora, omnis scientiæ ratio versatur, ut diximus §. 13. Quare qui nescit abstrahere, resque apte ordinare, nullum facere in scientiis progressum potest.

(2) §. 162.

(3) Ne quis supervacaneas hujusmodi distinctiones putet, & ab Scholasticis confictas ad illudendum, adeat S. Joanem Damascenum l. 3. de Fide c. 11. ubi scribit. » Natura, vel sola cogitatione con» sideratur (neque enim per se subsistit), vel communiter in omni» bus ejusdem speciei... aut in totum eadem ipsa cum assumptis accidenti» bus, in una persona, diciturque in individuo considerata natura." Natura autem quæ sola cogitatione consideratur, est natura abstracta, quin sit ordinata ad inferiora, hoc est, *universale in essendo.* Natura vero in omnibus ejusdem speciei, est natura relata ad inferiora, id est, *universale logicum.* Vide autem quæ Damascenus ex tradita doctrina inferat : » Itaque, *ait*, Deus Verbum carnem assumens, » nec naturam, quæ sola cogitatione conspicitur, accepit (neque enim » hoc incarnatio fuerit, sed impostura, & incarnationis larva) neque eam » quæ in specie conspicitur (non enim personas omnes assumpsit); ve» rum illam demum, quæ in individuo est eademque ac ea, quæ est » in specie (primitias enim nostræ carnis assumpsit), non, quæ seor» sim in se, & individuum prius fuerit, posteaque ab eo assumpta sit, » sed quæ in ipsius persona existerit. Hac porro ratione, *Verbum ca-*

letur universale in *prædicando*, & *prædicabile*: & propterea definitur: *unum aptum inesse multis, & prædicari de illis.*

448 Comparatio autem duobus modis fieri potest, 1. simpliciter concipiendo naturam ut ordinabilem ad inferiora, v. g. humanitatem ad Petrum, & Paulum. 2. ipsam naturam enunciando de inferioribus, ut cum dico, Petrus est homo; Prior dicitur comparatio *simplex*, posterior comparatio *composita* (1).

449 Arbitratur Gassendus (2), universalia non modo abstractione sed etiam aggregatione fieri, cum scilicet mens plures habens similes ideas, illas in unam veluti cogit aggeriem, quæ omnes continens, universarum fit idea. Wolfius autem negans perceptiones, seu ideas universales, statuit, eas quæ tamquam universales habentur, esse plures perceptiones celerrimas, quibus ideæ similes representantur.

450 Videtur autem ita dicendum, I. quia repugnat imago entis, quæ sit universalis: nam quolibet ens est unum, ideoque imago ejus rem unam repræsentat. Atqui repugnat, imaginem repræsentantem rem unam, simul plura repræsentare. Ergo si dantur universalia, non alia ratione esse possunt, quam per aggregationem.

451 Cum legimus aliquod scriptum, videmur singula vocabula una cognitione intelligere, & nihilominus singulis litteris, singulæ perceptiones respondent. Ergo similiter cum concipimus v. g. hominem in communi, videmur unum aliquid concipere, revera tamen plures sunt celerrimæ perceptiones, quibus plures homines individuos cognoscimus.

452 III. Cum dico *Pater*, vel *Rex*, videor unam rem dicere reipsa tamen intelligo plura, quia patrem sine filio, & Regem sine subditis intelligere nequeo. Ergo idipsum accidit, cum dico *homo.*

---

vo factum est". En quo demum tendant Scholasticorum distinctiones, notionesque de naturis universalibus, quas quidem juniores Philosophi monstrorum loco habent, cum tamen ipsi quandoque balbi sint in tractandis Fidei dogmatibus.

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 85. a. 1. ad 3.

(2) Inst. Log. p. 1. can. 4.

Propositio. *I. Universalia non aggregatione, sed abstractione fiunt. II. Ita tamen, ut universalia in essendo abstractione tantum. III. Universalia in prædicando simplici comparatione fiant.*

453 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Si universalia aggregatione fierent, hæc agregatio vel esset plurium perceptionum, vel plurium idearum. Plurium perceptionum aggregatio esse non potest; perceptiones enim sunt actiones; actiones vero transeunt, ut supra animadvertimus (2); quæ autem transeunt, aggregari simul non possunt; deberent enim permanere, ut aggregatio fieri posset (3). Similiter esse non potest aggregatio plurium distinctarum idearum; nam licet intellectus possit simul plura concipere ad modum unius, cum illa plura cognoscuntur per unam speciem (4); fieri tamen non potest, ut plura simul intelligat per plures species: ut enim animadvertit S. Thomas (5), idem subjectum nequit simul perfici pluribus formis unius generis, & diversarum specierum, quemadmodum idem corpus non potest simul affici diversis figuris. Omnes autem ideæ intelligibiles, sunt unius generis, cum omnes sint perfectiones intellectus, differunt autem specie pro diversitate objectorum quæ repræsentant. Fieri ergo non potest, ut idem intellectus simul perficiatur pluribus ideis distinctis ad diversa actu intelligenda. Si autem universalia aggregatione idearum fierent, intellectus simul perficeretur distinctis ideis ad intelligendum diversa in actu; nam ideæ illæ aggregatæ, essent distinctæ. Universalia ergo aggregatione fieri non possunt.

454 Prob. 2. p. Universalia in *essendo*, sunt naturæ rerum, quæ in multis existunt; ut dictum est (6). Aqui hæ naturæ universales non sunt, prout existunt in multis; sic enim

(1) 1. p. q. 85. a. 4.

(2) §. 282. not. *Consule*, & §. 396.

(3) Idem sequeretur, quantacumque foret celeritas perceptionum; nam perceptiones quamlibet celeres, numquam possent coire. Itaque intellectus posset quidem successive cognoscere plures res singulares, v. g. Petrum, Paulum, Thomam &c. numquam tamen perciperet naturam humanam ipsis communem.

(4) Sic Deus omnia simul videt per unum, quod est sua essentia. Sic Architector omnes partes domus construendæ videt in una idea totius domus, quam sibi efformavit.

(5) 1. p. q. 85. a. 4. (6) §. 432. not. *Cum unum.*

sunt divisæ, ut supra diximus (1). Igitur ut possint esse universales, necesse est, ut abstrahantur ab illis multis. Universalia ergo in *essendo* abstractione fiunt (2).

455 Prob. 3. p. Universalia in *prædicando* sunt naturæ ut prædicabiles de multis. Sed unum prædicari de multis non potest, nisi cum illis simplex comparatio fiat. Igitur universalia in prædicando, simplici comparatione fiunt (3).

456 Ad primum dist. maj. repugnat imago entis, quæ sit universalis in essendo, conc. in repræsentando, nego. Et dist. min. repugnat, imaginem repræsentantem rem unam, simul plura repræsentare confuse, nego, distincte, concedo, *si* sermo sit de ideis mentis nostræ (4). Nihil obstat, quominus

---

(1) §. 440.

(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 86. a. 1.

(3) Confer S. Thom. q. 7. de pot. a. 11.

(4) Antonius Genuensis Metaph. p. 1. prop. 58. sq. edit. 1751. & prop. 95. edit. 1774. in proposito argumento demonstrationis vim agnoscit. Sed primum quærimus, utrum actio qua mens simul plura confuse cognoscit, sit una, vel multiplex. Si multiplex, repugnabit perceptio universalis: ipse autem Genuensis ib. prop. 97. statuit, non repugnare universales perceptiones. Si autem actio illa una est, & nihilominus mens potest per illam cognoscere plura confuse; quid causæ est, cur negetur posse ideam unam in essendo, plura confuse representare? Deinde petimus, utrum imago, qua Deus cognoscit alia à se, sit una vel multiplex in essendo? Equidem una est, cum sit eadem Divina essentia; Deus enim omnia in seipso cognoscit. Non igitur repugnat imago quæ una sit, & singularis in essendo, & plura repræsentet. In postrema cit. edit. ut ab hoc argumento se expediat Genuensis, scholium addit, ac respondet, *longe diversam esse rationem divinæ intelligentiæ, atque rerum creatarum intellectus: illæ non ab iis, quæ extra se sunt, rerum haurit ideas, sed cum se ac essentiam suam contemplatur Deus, in se ac natura sua possibilium omnium essentias intelligibiles procreat.* Mitto quam adcurate dicatur Deus *procreare* possibilium essentias intelligibiles; procreatur enim illud cui comunicatur existentia extra Deum: possibilia autem extra Deum nihil sunt: nam si aliquid extra Deum essent, jam non possibilia, sed existentia forent. Sane quod Divinus intellectus non hauriat ideas ab iis quæ sunt extra, non efficit, Deum non esse unum ens singulare in essendo. Si ergo ratio Genuensis quidquam concluderet, probaret etiam, Divinam essentiam ex quo una est in essendo; non posse plura repræsentare; ille enim statuit, *repugnare imaginem entis, quæ sit universalis in repræsentando: nam quodlibet ens est unum singulare.* Cum ergo & Divina essentia sit unum

idea alicujus entis sit singularis in essendo, universalis in repræsentando, quemadmodum voces significativæ singulares quidem sunt, quatenus ore proferuntur, & nihilominus pleræque sunt universales in significando. Non negamus tamen, ideas mentis nostræ sic esse comparatas, ut per ideam distincte repræsentantem unam rem, non possint plures res simul distincte repræsentari; hæc enim idearum nostrarum imperfectio est; cum mens nostra infima sit in gradu intellectivo. Potest nihilominus idea nobis distincte repræsentans unam rem, simul plures res confuse repræsentare. Nam sicut partes cognosci distincte non posunt, nisi quælibet cognoscatur per suam ideam successive; si autem cognoscantur in toto, cognoscuntur per ideam totius, & simul cognoscuntur; ita plures res ut distincte cognoscantur, requirunt tot ideas, quot sunt res ipsæ, tunc vero cognoscuntur successive: at si cognoscantur confuse, prout sunt unum in ratione universali, tunc sufficit una idea rationis universalis, in qua simul confuse cognoscuntur. Sic idea qua repræsentatur homo, unam rem distincte repræsentat, scilicet, speciem humanam; confuse vero repræsentat singulares homines, qui

---

ens singulare, non posset plura repræsentare. At inquit: essentia Divina infinita est, mentes creatæ sunt finitæ. Quid hæc ad rem? Ex quo mentes creatæ finitæ sunt, sequitur, ipsas non posse per suam essentiam sibi repræsentare quæ extra sunt, nec per suam essentiam illa cognoscere, uti Deus, cujus essentia est infinita; quemadmodum probat S. Thomas 1. p. q. 84. a. 2. idque libenter concedimus; sed non inde sequitur, mentes creatas ex quo finitæ sunt, non posse cognoscere per ideas quæ sint universales in repræsentando: nam ut advertit S. Thomas loc. cit. *si aliquis intellectus est qui per essentiam suam cognoscit omnia, oportet, quod essentia ejus habeat in se immaterialiter omnia..... hoc autem est proprium Dei.* Ut autem ideæ sint universales in repræsentando, sufficit, quod mens abstrahat ab ideis singularibus conditiones materiales eo modo quo dictum est; cui quidem abstractioni nihil officit mentis finitas; non enim ad abstrahendum requiritur virtus infinita. Negabitne Genuensis menti vim abstrahendi? Si illam neget, actum erit de omnibus scientiis, quæ nonnisi de rebus abstractis agunt. Si autem illam vim in mente agnoscit, quid est quod negat imagines universales in repræsentando? nam abstrahere à singularibus idem est, atque non considerare hoc vel illud singulare, sed aliquid quod singularibus illis commune est. Tantum igitur abest, ut Genuensis argumentum habeat vim demonstrationis, quin potius est manifestus paralogismus; in ipso enim fit transitus à statu reali ad statum idealem; proindeque nihil concluditur.

sub specie humana continentur (1).

457 Ad secundum dist. ant. singulis litteris, ut sunt materia vocabulorum, singulæ perceptiones respondent, conc. ut sunt ordinatæ ad aliquid significandum, nego. In vocabulis duo sunt, & materia, id est, litteræ, ex quibus componuntur, & forma, id est, significatio eorumdem vocabulorum. Si solæ litteræ considerentur, singulis singulæ perceptiones respondent, & unaquæque littera proprium habet conceptum. At vero si litteræ considerentur, prout omnes ad unum aliquid significandum referuntur, quo modo vocabulum significativum constituunt, iis nonnisi unicus conceptus, & unica perceptio respondet. Quapropter, ut S. Thomas (2) ait, *ex diversa ordinatione earumdem litterarum accipiuntur diversi intellectus.* Cum enim lego, vel audio hoc vocabulum *Homo*, ejusque significationem attendo, non considero equidem quatuor litteras quibus componitur, sed menti obversatur unicus conceptus hominis, qui unica perceptione concipitur. Similiter est dicendum de universalibus (3); siquidem & in illis considerari possunt individua (quæ sunt veluti materia), à quibus naturæ abstrahuntur, ut supra dictum est (4); & forma, seu conceptus ipse universalis. Cum autem individua plura sint, sequitur, universale ex materia cognosci non posse unica perceptione. Quia vero conceptus universalis unicus est, forma enim universalitatis est unitas, ut supra diximus (5); unica quoque perceptione cognoscitur.

---

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 85. a. 4. ad 3.

(2) 1. Perih. lect. 2.

(3) Jam vides, argumentum paritatis, cui fidit Vernejus Log. l. 2. p. 1. c. 12. in ipsum recidere. Nota autem hujus viri ingenium, cum scribit ib. omnem ideam habere objectum singulare, sed nos *per imprudentiam* nobis persuadere esse unam rem, adeoque universalem; quasi imprudenter egerint sive Geometræ, qui de magnitudinibus universim; sive Physici, qui de corporibus generatim; sive, quod magis est, Ecclesiæ Patres, & Theologi, cum de virtutibus, & vitiis in genere, de natura humana per peccatum Adami sauciata, deque aliis sexcentis universalibus rebus sermonem instituerunt. Nota etiam, quam sibi homo iste sit consentaneus: nam postquam omnem ideam habere objectum singulare scripsit, pergit scribere ib. p. 2. c. 5. de vocibus abstractis: *Hæc vocabula excogitata fuere hoc nomine, ut facilius explicaremus modum, quo rem esse concipimus, seu ideas abstractas nostras commodius aperiremus.* Ecquænam vero erunt hujusmodi ideæ abstractæ, si omnis idea habet objectum singulare? Itane sapit ille, cui Scholastici sunt pene plumbei?

(4) §. 426. (5) §. 441.

458 Ad tertium neg. ant. nam cum dico Patrem, aut Regem intelligo unam personam, relatam tamen ad filium, & ad populum. Et eodem modo cum dico hominem ut prædicabilem de singularibus hominibus, intelligo unam naturam humanam ut relatam ad singulares homines.

ARTICULUS IV.

Utrum universalia sint perpetua.

459 Videntur non esse perpetua: I. quia ut dictum est (1); universalia fiunt ab intellectu humano. Sed quod fit ab humano intellectu, perpetuum esse non potest, cum nec ipse intellectus fuerit perpetuus. Ergo.

460 II. Nihil præter Deum est æternum. Sed universalia si essent perpetua, forent æterna. Ergo.

Propositio. *Essentiæ, sive naturæ universales, sunt perpetuæ negativæ.*

461 Prob. ratione S. Thomæ (2). Naturæ universales considerari possunt, ut dictum est (3), in triplici statu: 1. secundum se: 2. ut existunt in singularibus: 3. prout sunt in intellectu. Atqui secundum quemlibet istorum modorum sunt perpetuæ negative. Secundum se quidem, quia de ratione naturæ non est, ut sit magis hoc tempore quam illo; abstrahit enim ab omni tempore ut supra diximus (4). Prout vero existunt in singularibus, etiam sunt semper, quandocumque sunt sua singularia. Denique secundum esse quod habent in intellectu, sic etiam verum est, ipsas semper esse, cum concipiuntur; præsertim vero in intellectu Divino, ut supra dictum est (5). Naturæ igitur universales sunt perpetuæ negative (6).

---

(1) Ib. (2) Q. 5. de pot. a. 9. ad 16. (3) §. 439.
(4) §. 217. (5) §. 322. Vide S. Thom. q. 3. de pot. a. 5.
(6) Quemadmodum, ut S. Augustinus ait l. 2. de lib. arb. c. 8. n. 21. *nullo modo aliquando septem & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem & tria non erunt decem*; ita nullo modo homo aliquando non fuit animal rationale; sed sive homo accipiatur secundum se, sive ut est in individuis, sive ut consideratur ab intellectu, semper est animal rationale: & idem dicendum de qualibet alia natura. Si enim homo aliquando non esset animal rationale, jam non esset homo, sed

462 Ad primum dist. maj. universalia fiunt ab intellectu si consideretur ipsa intentio universalitatis, conc. si considerentur naturæ, quæ subsunt tali intentioni, nego. In universalibus duo possunt considerari (1), scilicet, intentio universalitatis, seu quod natura sit una, & habeat habitudinem ad multa; & natura ipsa, quæ subest tali universalitati. Si primo modo considerentur, cum universalitas conveniat naturæ per actionem intellectus, ut dictum est (2), universalia non sunt perpetua. Si autem in ipsis universalibus spectetur natura, cum naturæ rerum ab intellectu creato non pendeant, sed tantummodo ab intellectu Divino, à quo sunt exemplatæ ad instar idearum in Deo existentium, sic univer-

---

aliquid aliud. Nec obstat, quod naturæ in individuis sint mutationi subjectæ; mutantur enim quoad existentiam, sed earum essentiæ non mutantur, quia ut diximus §. 321. habitudines earum sunt immobiles. Quare falsum est quod scribit Lockius Essai &c. l. 3. c. 3. §. 19. essentias scilicet *reales* rerum destrui, ac perire, cum destruuntur proprietates à quibus illarum constitutio dependet; essentias vero, quas ipse *nominales* vocat, permanere easdem, si accipiantur pro ideis in animo extantibus cum certis nominibus quibus sunt appellatæ: unde infert, essentias rerum nihil aliud esse quam ideas abstractas. Certe si essentiæ *reales* destruerentur, ac perirent omnino; destructo uno homine destrueretur essentia hominis, neque amplius esset humanitas, quæ est hominis natura. Itaque destructo uno homine, destruitur quidem hæc numero humanitas, quæ in ipso existit, sed non destruitur humanitas, qua constituebatur ille homo; hæc enim posita est in habitudine necessaria humanitatis ad constituendum hominem, ita ut homo esse non possit, cui non conveniat natura humana. Hinc autem constat, falsum quoque esse quod scribit idem Lockius: » Cette doctri» ne de l' immutabilité des essences est fondée sur la rélation, qui est » établie entre ces idées abstraites, & certains fonds considérés com» me signes de ces idées, & qu' elle sera toujours véritable, pendant » que le même nom peut avoir la même signification. " *Hæc doctrina immutabilitatis essentiarum fundata est in relatione constituta inter hasce ideas abstractas, & nonnulla quædam capita considerata tamquam signa harum idearum; atque illa vera semper erit, quousque idem nomen habere potest eamdem significationem.* Nam ut advertit S. Basilius l. 2. con. Eunom. n. 4. *Mendax est, qui ex nominum diversitate diversitatem essentiæ sequi fingit. Nec enim rerum natura nomina sequitur; sed posterius rebus nomina inventa sunt. Etenim si id verum esset: quorum eædem essent appellationes, eorum etiam oporteret unam, & eamdem essentiam esse. Proinde cum Dei appellatione dignati sint qui in virtute sunt perfecti, essent utique homines Deo universorum coessentiales.*

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 85. a. 3. (2) §. 440.

salia sunt perpetua; consistunt enim in connexione necessaria attributorum essentialium, prout conveniunt ad constituendam naturam, quæ connexio reperitur etiam cum natura est in singularibus; verum quippe est, homines singulares esse animalia rationalia, quia necessaria est connexio inter hominem, & animal rationale, nec fieri potest, ut aliquis sit homo, quin sit animal rationale (1).

463 Ad secundum dist. maj. nihil præter Deum est æternum positive, conc. negative, nego. Universalia autem non sunt positive perpetua, sed negative, ut dictum est (2).

ARTICULUS V.

Utrum universalia sint notiora singularibus.

464 Videntur singularia esse notiora universalibus: I. quia in idea universalis plura cognoscuntur confusa, ut dictum est (3); ideæ vero singularium res repræsentant distincte, cum sint rerum existentium. Sed quæ cognoscuntur distincte, notiora sunt iis quæ cognoscuntur confuse. Ergo.

465 II. Notiora sunt quæ facilius cognoscuntur, minus nota, quæ difficilius. Sed singularia facilius cognoscuntur, difficilius universalia, & eo difficilius, quo universaliora. Ergo.

466 III. Cognitio rei in universali imperfectior est cognitione rei in speciali. Sed illa non esset imperfectior, si esset notior. Ergo.

---

(1) Hinc sequitur, simplices conceptus rerum esse eosdem apud omnes; simplices enim conceptus sunt de rerum essentiis; essentiæ autem sunt immutabiles & necessariæ. *Sunt omnibus*, inquit Clemens Alex. Strom. 8. *eadem cogitata, propterea quod ex rebus subjectis eadem forma, & typus ingeneratur omnibus.* Et quamvis voces diversæ sint pro diversitate idiomatum; conceptus tamen sunt iidem apud omnes; nam ut advertit S. Thomas 2. Periherm. lect. 2. *Si quis vere intelligit, quid est homo, quodcumque aliud aliquid, quam hominem apprehendat, non intelligit hominem.*

(2) §. 322. Conf. S. Thom. Quodlib. 11. a. 1. ubi scribit: » Univer» sale dicitur esse ubique, & semper, magis per remotionem, quam » per positionem. Non enim dicitur ubique esse, & semper, eo quod » sit in omni loco, & in omni tempore, sed quia abstrahit ab his, » quæ determinant locum, & tempus determinatum. «

(3) §. 456.

Propositio. I. *Singularia quoad nos sunt notiora universalibus cognitione sensitiva.* II. *Universalia vero quoad nos sunt notiora singularibus cognitione intellectiva.*

467 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Cognitio sensitiva in nobis prior est cognitione intellectiva ; hæc enim ex sensibilibus procedit, ut dictum est (2). Sed cognitio sensitiva est singularium, ut supra diximus (3). Singularia igitur quoad nos sunt priora universalibus cognitione sensitiva. Sed quod est prius cognitione, debet esse notius eo, quod est cognitione posterius, alioquin non deduceret in cognitionem posterioris. Singularia igitur quoad nos sunt notiora universalibus cognitione sensitiva.

468 Prob. 2. p. Singularia sensibilia directe non cognoscuntur à nobis cognitione intellectiva, ut supra dictum est (4). Ergo quoad nos non possunt esse notiora universalibus cognitione intellectiva (5) ; quod enim indirecte cognoscitur ex cognitione alterius prius cogniti, nequit esse notius eo, ex cujus cognitione cognoscitur (6).

469 Ad primum dicimus, inde confici, singularia esse nobis notiora cognitione sensitiva ; sic enim distincte cognoscuntur ut existentia.

470 Ad secundum dist. min. universalia difficilius cognoscuntur, si sermo sit de cognitione distincta, conc. si de cognitione confusa, nego. Equidem ut ea omnia, quæ sub universalibus continentur, cognosci possint (quod est universalia cognoscere distincte) magna est difficultas ; quis enim

(1) 1. Poster. lect. 4. (2) §. 419. sqq. (3) §. 237.
(4) §. 424. (5) Vide S. Thom. loc. cit.
(6) Qua ex ratione consequitur, magis universalia esse nobis notiora minus universalibus : nam ut advertit S. Thomas loc. cit. & nos infra ostendemus, in omni demonstratione oportet procedere ex his quæ sunt nobis notiora ; demonstrando siquidem inquirimus quod adhuc nescimus ; ideoque procedimus ex notis ad ignota, ut hæc nota fiant. Non enim aliquid fieri potest notum, nisi per aliquod nobis notum. In omni autem demonstratione quæ est per causam, hoc est, à priori, procedimus ex magis universalibus ad minus universalia. Igitur oportet, ut magis universalia sint nobis notiora minus universalibus. Hinc Clemens Alex. Strom. 2. pag. 362. demonstrationem vocat, *rei quæ ignoratur, manifestam assensionem.*

facile poterit ex cognitione animalis generatim omnes species animalium cognoscere? At si loquamur de cognitione confusa, non ita est. Cum enim intellectus noster, ut advertit S. Thomas (1), in intelligendo procedat de potentia ad actum, hoc est, de potestate intelligendi ad ipsum intelligere: omne autem quod ita procedit, perveniat prius ad actum imperfectum quam ad perfectum; quemadmodum videmus in pueris, qui gradatim perveniunt ad actus humanos perfectos; intellectus proinde, cum intelligit, procedit de actu imperfecto ad perfectum. Actus autem perfectus intelligendi est cognitio distincta; imperfectus vero est cognitio confusa. Quare intellectus prius confuse, posterius distincte cognoscit. Universalia vero licet ut habent conceptum unum, sint aliquo modo distincta; nihilominus ut sunt communia pluribus, habent conceptum confusum. Itaque universalia debent esse notiora intellectui nostro, ut ordinate procedat de actu imperfecto ad perfectum. Sic prius à nobis cognoscitur animal confuse, quam animal distincte; quemadmodum cum aliquid à longe videtur, prius deprehenditur esse corpus, quam animal, & prius animal, quam homo.

471 Ad tertium neg. min. Siquidem perfectio cognitionis non ex majori claritate, si cognitio est confusa, sed ex eo quod res distinctius cognoscitur, desumenda est. Potest autem aliquid esse notius confuse, quamvis distincte nondum innotescat; quemadmodum ei qui videt à longe hominem ambulantem, prius & notius est, illum esse corpus, quam animal, & prius animal, quam hominem.

QUÆSTIO VII.

De universalibus speciatim.

472 Postquam disseruimus de universalibus generatim, aggredimur ad ipsa speciatim consideranda. Quinque autem vulgo recensentur, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, & *Accidens* (2). De iis autem quæremus: 1. an recta sit eorum divisio: 2. an ge-

(1) 1. p. q. 85. a. 3.

(2) De his tractatum edidit Porphirius secta Platonicus, Plotini discipulus, Religionis Christianæ, quam ex Judæo fuerat amplexus, infensissimus hostis. (Vide Socrat. Hist. l. 3. c. 19.) Quem quidem tractatum Εισαγωγη, id est, *Introductio* inscripsit, quod viam aperiret ad facilius intelligendas Categorias, imo ad scientias omnes rite comparandas.

nus & differentia oriantur ex diversis principiis: 3. an componi ex genere & differentia sit proprium rerum creatarum: 4. an genus contineat differentias: 5. an genus & differentia comparentur ad speciem ut partes: 6. an genus, differentia, & species reciprocentur: 7. an possit dari genus, si unica detur species: 8. an detur ratio speciei, si unicum sit individuum (1).

ARTICULUS I.

Utrum universale recte dividatur in quinque Prædicabilia.

473 Quintuplex, ut diximus, (2) distinguitur universale, Ac genus (3) quidem definitur à Porfirio (4): *Est quod pluribus, & differentibus specie attribuitur in quæstione quid est* (5). Sic animal est genus, quia de homine, equo, avibus, piscibus, aliisque belluis dicitur. Quia vero genus significat essentiam rei, sed non significat totam ipsam essentiam; homo enim essentia sua est animal, sed animal non significat totam essentiam hominis (6); idcirco dicitur atribui *in quid incomplete*: & in Scholis definitur: *Unum aptum inesse multis specie differentibus, & prædicari de illis in quid incomplete.*

---

(1) Juniores Philosophi hæc pene omnia tamquam inutilia rejiciunt, sed quam immerito, ex infra dicendis plane constabit.

(2) §. 472.

(3) Multiplex est acceptio generis: 1. sumitur pro stirpe, quo sensu Cicero de clar. 212. inquit: *Scipionis genus est ex ipsius sapientiæ stirpe generatum*: 2. Sumitur pro natione, populo, & patria. Idem Cicero 4. A. 13. *Virtus*, ait, *quæ est propria Romani generis, & seminis*: 3. pro sexu, quare ipse Tullius 1. de Inv. 35. scribit: *Hominum genus in sexu consideratur, virile an muliebre sit*: 4. pro ratione, modo, discrimine unus rei ab alia: unde dicitur genus mortis, genus pœnæ, genus orationis, genus neutrum: 5. pro ipsa rei specie, ut cum Cicero ait 5. Tusc. 37. *Natura quidquid genuit, in suo genere perfectum esse voluit.* Denique sumitur magis stricte pro notione communi pluribus differentibus specie.

(4) Isag. c. 2.

(5) A Cicerone Top. 31. definitur: *Notio ad plures differentias pertinens.* Et 1. de Orat. 189. *Genus, id est, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes.*

(6) Vide Clementem Alex. Strom. 8. pag. 780. » Genus quidem in-

474 Differentiam (1) Porphirius (2) definit : *Est quod pluribus attribuitur in quæstione quale quid est.* Sive prout Scholæ habent: *Unum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale quid.* Nam differentiæ dividunt genus, & constituunt species (3); ideoque attribuuntur speciebus essentialiter. Quia tamen prædicantur de speciebus non *substantive* ut genus, sed *adjective*; dicimus enim, homo est animal; non dicimus, homo est rationalitas, sed est rationalis; proinde attribui dicuntur *in quale quid.*

475 Species est id quod constituitur ex genere, & differentia, exprimitque totam rei essentiam. Sic homo est species, quia constituitur ex animali genere & rationali differentia. Quapropter species definitur à Porphirio (4): *Est quod pluribus attribuitur in quid complete.* Et ab Scholasticis: *Unum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quid complete.*

» est in speciebus : animal enim inest in homine, & bove. Totum autem » non inest in partibus..... Quocirca species est parte magis princi- » palis. "

(1) Differentia dividi solet in *communem*, *propriam*, & *maxime propriam.* Verum differentia *communis* est accidens, sicut homo sanus differt ab ægroto. Differentia *propria* idem est ac proprietas, sicuti ridere, est proprium hominis. Sola differentia *maxime propria*, sive essentialis, quæ constituit speciem, est illa de qua nunc loquimur.

(2) Loc. cit.

(3) Nam ut S. Thomas 10. Metaph. lect. 10, confirmat ex intima rerum consideratione." *In omni diversitate secundum speciem, oportet duo accipere, scilicet, ut hoc sit diversum ab alio, & ut sit aliquid diversificatum per hæc duo : & quod est diversificatum per hæc duo, oportet inesse ambobus. Sicut animal est, quod est diversificatum in duas species, scilicet, hominem, & equum, & oportet quod ambo, scilicet homo & equus sint animalia. Unde patet, quod necesse est, ea quæ sunt diversa specie ad invicem, in eodem genere esse. Id enim vocamus genus quod est unum, & idem ambobus, nec secundum accidens de utroque prædicatum, neque secundum accidens diversificatum in utroque. Unde oportet, quod habeat differentiam non secundum accidens.* Idipsum docet Clemens Alex. Strom. 8. p. 779. cum scribit: *Sola probatur divisio generis in species, à qua formam, caracteremque accipit, quæ est in genere identitas, & diversitas, quæ est in differentiis specialibus.*

(4) Multiplex est etiam acceptio speciei : nam 1. sumitur pro idea, ut supra diximus §. 263. 2. pro quacumque similitudine; unde Cicero 1. de Divin. 79. *Speciem Jovis Praxiteles cælavit argento.* 3. pro venustate, & pulchritudine; quo sensu idem Cicero 2. Offic. 32. *Honestum*, inquit, *per se nobis placet, animosque omnium natura, &*

476 Proprium (1) definiri solet: *Est quod attribuitur multis in quale necessario*, hoc est necessario consequitur essentiam jam constitutam; sicut habere tres angulos æquales duobus rectis dicitur esse proprietas trianguli.

477 Accidens (2) denique est id quod potest adesse, & abesse, quin aliquid essentiale, aut aliqua necessaria proprietas accedat rei, aut ab ipsa auferatur; proindeque definitur: *Est quod attribuitur multis in quale contingenter.* Sic triangulo accidit moveri, vel quiescere.

478 Jam vero genus dividitur in supremum, medium, & infimum. Supremum est quod supra se non habet aliud genus, ut substantia. Medium, sive, ut vocant, *subalternum*, est quod tam supra, quam infra se habet aliud genus, ut corpus. Infimum est quod supra se quidem habet aliud genus, infra se vero nullum aliud genus habet, ut animal. Quare genus supremum numquam est species: genus medium, & infimum sunt simul genus, & spe-

---

specie sua commovet. 4. pro natura completa, constituta ex genere, & differentia; de qua idem Cicero Or. 33. *Virtutes*, ait, *specie dispares prudentia conjunguntur.*

(1) Proprium quatuor modis dici potest, 1. quod convenit *soli*, *sed non omni*, ut esse philosophum convenit soli, sed non omni homini. 2. quod convenit *omni*, *sed non soli*, ut esse bipedem convenit omni, sed non soli homini. 3. quod convenit *omni*, *soli*, *sed non semper*, ut ratiocinari convenit omni, & soli homini, sed cum est sui compos. 4. quod convenit *omni*, *soli*, *& semper*, ut hominem esse risibilem. Hic quartus modus pertinet ad proprium de quo agimus, reliqui ad accidens.

(2) Accidentia, ut & proprietates, vel sunt *physica*, vel *logica*. Ac proprietates quidem *physicæ* dicuntur illæ, quæ re ipsa distinguuntur ab essentia, à qua *naturaliter* dimanant, sicut sensus consequitur animal. Proprietates *logicæ* dicuntur illæ notiones, quæ ratione tantum distinguuntur ab essentia, à qua dimanant *virtualiter*, hoc est, concipiuntur perinde ac si revera dimanarent ab essentia, ut mortalitas respectu viventis. Vide S. Thom. 1. p. q. 77. a. 6. ad 3. Similiter accidens *physicum* est quod alteri inhæret, & reipsa potest ab illo separari, ut virtus ab anima. Accidens *logicum* est omne id quod neque est essentia, neque proprietas rei, tametsi realiter ab ipsa re non distinguatur. Sic rationale comparatum cum animali, est accidens logicum, quia rationale neque est essentia, neque proprietas necessaria animalis, alioquin omne animal esset rationale. Sic etiam proprietas comparata ad essentiam, est accidens *logicum*, quia essentia intelligi potest sine proprietatibus. Vide S. Thom. 1. con. Gent. c. 32.

cies ; genus relative ad species inferiores ; species relative ad genus superius (1).

479 Similiter differentiæ aliæ sunt supremæ, aliæ mediæ, aliæ infimæ (2). Supremæ sunt quæ dividunt genus supremum, & constituunt species supremas, ut corporeum , & incorporeum. Mediæ sunt quæ dividunt genus medium , & constituunt species medias, ut animatum, & inanime. Infimæ sunt quæ dividunt genus infimum, & constituunt species infimas , ut rationale , & irrationale.

480 Pari modo species suprema est , quæ supra se aliam speciem non habet, ut corpus. Media est, quæ tam supra, quam infra se habet aliam speciem , ut animal. Infima (3) est , quæ sub se non habet aliam speciem, sed tantummodo individua, ut homo (4).

481 Individuum autem definitur à S. Thoma (5) : *est à se indistinctum , ab aliis vero distinctum.* Cum sit enim singulare, debet esse unum ; unum autem in seipso est indistinctum : alioqui non esset unum ; & eadem ratione debet esse distinctum ab aliis. Porphirius autem individua sic *logice* definit (6): *Individua ex eo dicuntur, quod ex proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio numquam in alio eadem erit.* Hæ proprietates sunt septem. *Forma , figura , locus , tempus, stirps , patria , nomen.* Quæ quidem proprietates licet divisim convenire pluribus possint, num-

---

(1) Hinc genus aliud est *proximum* , aliud *remotum.* Proximum, cum inter ipsum , & speciem non intercedit aliud genus , ut inter animal , & hominem speciem. Remotum , cum inter ipsum , & speciem intercedit aliud genus , ut est vivens genus ad hominem speciem; intercedit enim animal genus.

(2) Dicuntur etiam *atomæ* , hoc est , indivisibiles in alias differentias essentiales.

(3) *Atoma* quoque dicitur , quia non dividitur in alias species.

(4) Quæ diximus de divisione generis , differentiæ , & speciei, complectitur Clemens Alex. Strom. 8. pag. 778. sq. his verbis: *Primum sumendum est genus , in quo sunt ea quæ sunt proxima iis quæ sunt suprema : postea propinqua differentia. Differentiarum autem continuatio quæ scinditur , & dividitur , implet quid sit esse , seu rei essentiam , & definitionem ... Atque genus quidem rei quæ quæritur, dividimus in eas quæ ei insunt species ... Et sic semper genera quæ videntur esse composita , secantes in species simpliciores , accedimus ad id quod quæritur , & non amplius suscipit divisionem.* Quibus verbis Clemens præterea docet , quomodo devenire facile possumus ad id quod quærimus , si nempe genera diviserimus in suas species, donec perveniamus ad speciem simplicissimam , qua id solum continetur quod quærebamus. Vide etiam Damascenum Dialect. c. 9. sqq.

(5) 1. p. q. 29. a. 4. (6) Isag. cap. 5.

quam tamen tota earum collectio in pluribus reperitur (1).

482 His constitutis, videtur universale non recte dividi, I. quia universale, ut dictum est (2), est unum in multis. Atqui unum potest multis attribui vel essentialiter, vel accidentaliter. Est igitur duplex duntaxat universale.

483 II. Plura sunt quæ sub quinque recensitis universalibus non continentur, ut puta analoga, æquivoca, individuum in communi, existentia universim accepta. Ergo.

Propositio. *Universale logicum recte dividitur in quinque prædicabilia.*

484 Prob. Universale *logicum* est unum prædicabile de multis ut dictum est (3). Totidem ergo debent esse universalia, quot modis unum potest prædicari de multis. Atqui unum de multis potest prædicari, vel ut pertinens ad constitutionem essentiæ, vel ut consequens essentiam jam constitutam. Si priori modo, vel exprimit totam essentiam, & dicitur *species*; vel

---

(1) Egregie S. Basilius l. 2. con. Eunom. n. 4. » Cum audimus *Petrum*, proprietates, quæ circa eum considerantur, cogitatione depingimus. Illico enim per hanc vocem intelligimus Jonæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, qui ex piscatore ad Apostolatus ministerium vocatus est. Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit: quorum nihil quidquam essentia est ... Rursus cum *Paulum* audimus, aliarum proprietatum intelligimus concursum, Tarsensem, Hebræum, secundum legem Pharisæum, Gamalielis discipulum, æmulationis ergo Ecclesiarum Dei persequutorem, ex tremendo viso ad agnitionem perductum, Apostolum gentium. Hæc enim omnia una Pauli voce circumscribuntur &c." Hinc Damascenus statuit Dialect. c. 17. *ea quæ natura differunt, aliud dici, & aliud. Dicimus enim, aliud est homo, & aliud equus ... Quæ autem numero differunt, hoc est, hypostases, alius & alius dicuntur. Dicimus enim: alius est Petrus, & alius Paulus. At dicere non possumus: aliud est Petrus; & aliud Paulus ... Natura enim unum sunt: non tamen sunt unus numero.* Idipsum Patres statuunt adversus Arianos, cum docent, tres divinas Personas non esse *aliud*, & *aliud*, & *aliud*, *sed alium*, & *alium*, & *alium*. Conf. Nazianzenus Epist. 1. ad Cledonium, sive Orat. 41. ubi scribit: » Aliud atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator ... non tamen alius, atque alius ... Contra quam in Trinitate res habet. Illic enim alius, atque alius ne Personas confundamus: non tamen aliud atque aliud, quoniam tria quoad divinitatem unum, & idem sunt." Idem scribit S. Thomas 1. p. q. 31. a. 2.

(2) §. 432. (3) §. 455.

exprimit partem essentiæ: tunc vero si exprimat id in quo una essentia cum aliis convenit, dicitur *genus*; si exprimat id in quo una essentia ab aliis discriminatur, dicitur *differentia*. Si autem consequitur essentiam constitutam; vel consequitur necessario, & dicitur *proprium*; vel consequitur contingenter, & dicitur *accidens*. Recte igitur universale *logicum* dividitur in quinque prædicabilia (1). Et per hæc patet responsio ad primum.

485 Ad secundum dicimus, analoga, & æquivoca sub universali *logico* non contineri, quia hoc est unum *simpliciter*, ut infra dicemus, illa vero non sunt *simpliciter* unum. Individuum autem in communi reducitur ad speciem, sub qua continetur (2). Et similiter existentia in rebus creatis reducitur ad accidens, non quidem physicum, sed logicum, quia potest intelligi essentia, non intellecta existentia.

ARTICULUS II.

Utrum genus, & differentia oriantur ex diversis principiis.

486 VIdetur id negandum, I. quia genus & differentia non sunt duæ res, sed duæ rationes ejusdem rei. Ergo oriri debent ex eodem principio.

487 II. Si genus & differentia orirentur ex diversis principiis, jam ea quæ sunt simplicia, ut Angeli, non constarent ex genere, & differentia: quod falsum est.

(1) Id Cartesius exemplo explicat 1. p. Princ. §. 50. *Cum spectamus figuram tribus lineis comprehensam, quandam ejus ideam formamus, quam vocamus ideam trianguli: & eadem postea ut universali utimur ad omnes alias figuras tribus lineis comprehensas animo nostro exhibendas. Cumque advertimus, ex triangulis alios esse habentes unum angulum rectum, alios non habentes, formamus ideam universalem trianguli rectanguli... & illa rectitudo est differentia universalis, qua omnia triangula rectangula ab aliis distinguuntur: & quod in iis basis potentia æqualis sit potentiis laterum, est proprietas iis omnibus, & solis conveniens: ac denique si supponamus, aliquos ejusmodi triangulos moveri, alios non moveri, hoc erit in iis accidens universale. Atque hoc pacto quinque universalia vulgo numerantur, genus, species, differentia, proprium, & accidens.*

(2) Nam ut advertit S. Thomas 1. p. q. 30. a. 4. »Individuum vagum, ut aliquis homo, significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis.«

Propositio. *I. In substantiis creatis genus, & differentia proxime accipiuntur ex tota rei entitate. II. In substantiis corporeis genus remote sumitur à materia, differentia à forma. III. In accidentibus genus sumitur ex modo essendi, differentia ex diversitate principiorum.*

488 P. Rob. 1. p. Genus, & differentia non distinguuntur, nisi per intellectum; universalia enim per intellectum distinguuntur, ut dictum est (1). Non sunt igitur duæ res sed duæ rationes ejusdem rei. Igitur proxime accipi debent à tota rei entitate, ita ut ipsa entitas considerata, ut ratio communis pluribus, & perfectibilis, sit genus, considerata vero ut ratio perficiens, & determinans rationem illam communem, sit differentia (2).

489 Prob. 2. p. Genus est ratio perfectibilis, differentia est ratio perficiens (3). Sed quod perfici potest, est in potentia ad id à quo perficitur: hoc autem debet esse in actu, ut supra diximus (4). Genus igitur habet rationem potentiæ, differentia rationem actus. Proinde utraque ratio petenda est ab eo quod est radix cujuscumque potentiæ, & actus; primum enim in quolibet genere est causa cœterorum illius generis. Atqui materia in substantiis corporalibus est prima potentia, forma est primus actus (5). Itaque in substantiis corporeis genus à materia, differentia à forma remote accipiuntur (6).

---

(1) §. 439. sqq.

(2) Hinc habetur, & in substantiis creatis immaterialibus completis, cujusmodi sunt Angeli, locum esse compositioni ex genere, & differentia; quælibet enim natura certis conclusa limitibus, sic habet perfectionem alicujus generis, ut non habeat perfectiones omnes aliarum specierum quæ sub eo genere possunt esse. Quare S. Agustinus l. 2. de mor. Manich. c. 2. *Ipsa natura*, inquit, *nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse.* Natura autem uniuscujusque Angeli ita est perfecta, ut non habeat omnes perfectiones aliarum specierum Angelicarum; quandoquidem cum hæ species possint esse infinitæ; potest enim Deus creare alios Angelos perfectiores in infinitum; si omnes illæ perfectiones in quolibet Angelo continerentur, in eo continerentur infinitæ perfectiones: quod esse non potest.

(3) §. 488. (4) §. 423. (5) Vide S. August. l. 12. Confes. c. 6.

(6) Conf. S. Thom. 7. Metaph. lect. 9. Vide etiam S. Cyrillum Alex. 31. Thesauri: *Videmus*, inquit, *id omne quod differentiam recipit, compositum esse.* Expressius Damascenus Dialect. c. 19. *Genus*,

490 Prob. 3. p. ratione S. Thomæ (1). Accidentia, cum ipsa sint quædam formæ, non componuntur ex materia, & forma. In eis ergo nequit summi genus à materia, differentia à forma. Jam vero accidentia afficiunt substantiam (2). Inde igitur sumi debet in accidentibus primum genus; nam genus est ratio communis, ut dictum est (3). Non possunt autem accidentia differre in substantia quam afficiunt, quia id illis omnibus est commune. Igitur differunt penes diversum modum afficiendi substantiam, qui non à substantia, sed à propriis uniuscujusque accidentis principiis pendet; v. g. quantitas differt à relatione, quia quantitas extendit substantiam, relatio unam substantiam ad aliam refert. Genus ergo in accidentibus desumitur ex modo essendi in substantia, differentia, ex diversitate principiorum.

491 Ad primum dicimus, rationem illam probare priorem propositionis partem.

492 Ad secundum respondemus cum S. Thoma (4), in Angelis genus, & differentiam accipi ex tota eorum essentia, diverso tamen modo: *Una enim substantia separata convenit cum alia in immaterialitate* (5); *differunt autem ab invicem in gradu perfectionis secundum recessum à potentialitate, & accessum ad actum purum* (6), *Et ideo ab eo quod sequitur illas, in quantum sunt immateriales, sumitur in eis genus, sicut intellectualitas, vel aliquid hujusmodi. Ab eo autem quod sequitur in eis gradum perfectionis, sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota* (7).

---

inquit, *materiæ, differentia autem formæ respondet.*

(1) L. de Ente, & Essent. c. 7.

(2) Quare Tertullianus l. 5. con. Marcion. c. 11. *Accidens*, ait, *est quod adscribitur: accidentia autem antecedit ipsius rei ostensio, cui accidunt.*

(3) §. 488.

(4) L. de ente, & essen. c. 6.

(5) Ità intelligendus est S. Basilius, cum l. 3. con. Eunom. n. 1. scribit: *Angeli omnes ut appellationem unam, ita etiam eamdem omnino inter se naturam habent.*

(6) Jamblichus l. de Mysteriis §. 2. licet videatur asserere, substantias separatas *non differre inter se per differentias speciales*, eo scilicet modo quo differunt substantiæ compositæ; nihilominus addit, illas differre, *quatenus vel eadem, vel diversa ratione referuntur ad primum, & aliæ in prioribus, aliæ in sequentibus perfectionis gradibus dispositæ sunt.*

(7) S. Augustinus l. ad Orosium con. Priscil. & Origen. c. 11. » Et

ARTICULUS III.

Utrum componi ex genere, & differentia sit proprium rerum creatarum.

493 VIdetur Deum etiam componi ex genere, & differentia, I. quia Deus definitur : omne autem quod definitur, constare debet ex genere, & differentia.

494 II. Deus differt ab aliis rebus. Atqui omne quod ab aliis differt, aliqua differentia differt. Est igitur in Deo aliqua differentia. Sed differentia est divisiva generis, ut dictum est (1). Est igitur in Deo ratio generis, & differentiæ.

495 III. Deus est substantia. Sed substantia est genus, ut supra diximus (2). Est igitur Deus in genere aliquo.

496 IV. Christus revera constat ex genere, & differentia; est enim verus homo. Sed est etiam verus Deus. Ergo.

Propositio. *Componi ex genere, & differentia ita est proprium rerum creatarum, ut nullo modo attribui possit Enti increato.*

497 PRob. I. (3) Quod componitur ex genere, & differentia, constat ex potentia, & actu, ut dictum est (4). Sed res creatæ constant ex potentia, & actu (5); Deus autem nullo mo-

---

» esse, *inquit*, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cœ» lestibus apparatibus, firmissime credo, & differre inter se aliquid, » indubitata fide teneo. Sed ... quænam ista sint, & quid inter se dif» ferant, nescio. "

(1) §. 474. (2) §. 478. (3) Vide S. Thom. q. 7. de pot. a. 3.
(4) §. 489.

(5) S. Augustinus l. 6. de Trin. c. 4. » Humano, *inquit*, animo non » est hoc esse, quod est sortem esse, aut prudentem, aut justum, aut » temperantem : potest enim esse animus, & nullam istarum habere » virtutem. Deo autem hoc est esse, quod est sortem esse, aut justum » esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicitate, & » multiplici simplicitate dixeris. " Et l. 5. de Gen. ad litt. c. 16. » Illa » æterna incommutabilisque natura, quod Deus est, habens in se ut » sit, sicut Moysi dictum est : Ego sum qui sum ; longe scilicet aliter » quam sunt ista, quæ facta sunt : quoniam illud vere, ac primitus est, » quod eodem modo semper est, nec solum non commutatur, sed » commutari omnino non potest. "

do (1), cum sit actus purissimus. Ergo (2).

498 II. Si Ens increatum constaret ex genere, & differentia, aut esset in genere accidentis, aut in genere substantiæ; ens enim dividitur in substantiam, & accidens. In genere accidentis esse non potest; accidens enim non potest esse primum Ens, & prima Causa, cum sit ens in alio. Sed ne-

---

(1) Auctor Theol. Ægypt. l. 3. c. 3. *Ne cogitatione quidem*, inquit, *fingi potest*, *Deum in aliqua potestate existere*; *alioqui altero indigeret*, *cujus vi in actum excitaretur*.

(2) Gassendus. l. 2. Exerc. 3. adv. Aristoteleos §. 7. agens de sententia, quæ infinitæ naturæ negat includi in Categoria posse: *scilicet*, inquit, *tu categoriam imaginaris*, *quasi carcerem*, *in quem nihil possit ingredi sine jactura libertatis*; *nonne vides categoriam nihil esse aliud*, *quam negotiationem intellectus nostri ad eamdem classem referentis omnia*, *quæ aliquo eodem conceptu generali apprehenduntur*? *Anne intellectus propterea injicit quasi compedes infinitæ Dei naturæ*, *ut in categoria quasi reluctantem detineat*? *aut putas forte*, *categoriam esse velut classes*, *quibus mens nostra*, *ut alter Vulcanus tantum Martem irretire*, *ludibrioque dare contendat*? Nos autem vehementer miramur, primum Gassendi audaciam prope incredibilem appellandi profano, impioque Martis nomine Deum Optimum Maximum, uti poëticis fabulis ludere, atque Aristoteleos hujusmodi salibus posset aspergere. Deinde rogamus Gassendum, ut ne multum laboret in suadendo, Categoriam esse negotiationem intellectus; id enim probe scimus. Edisserat nobis potius, ecquænam causa sit, quamobrem ex iis quæ in Categoria ponuntur, superiora quidem in inferioribus, inferiora vero in superioribus minime includantur. Id si neget, rogabimus rursus, utrum substantia includat in suo conceptu omnes inferiores differentias substantiarum: si respondebit illas includere, sequetur, substantiam non posse concipi, nisi simul concipiantur omnes differentiæ substantiarum. Itaque dici posset: est substantia, ergo est corpus, est animal, est homo; nam corpus, animal, homo substantiæ sunt. Quæ cum dici nequeant, plane est evidens, in iis quæ sub genere ponuntur, superiora quidem in inferioribus includi, minime vero inferiora in superioribus. Atque hæc sane nihil sunt aliud quam *intellectus negotiatio*; quæ tamen *negotiatio* aliter fieri non potest. Nunc vero petimus, an quæ de Deo enunciantur, possint ita concipi, ut unum alterum à suo conceptu excludat. Si ita conciperentur, jam non conciperentur ut infinita; nam quod concipitur ut infinitum, nullam perfectionem à suo conceptu excludere debet; si enim aliquam excluderet, jam ei deficeret aliqua perfectio, adeoque conciperetur ut finitum, non ut infinitum. Animadvertat Gassendus, nos ne latum quidem unguem à *negotiatione intellectus* recessisse, invenisseque, intellectum non

que potest Ens increatum esse in genere substantiæ; nam substantia quæ est genus, non est ipsum esse, aliquin omnis substantia esset suum esse, nec proinde esset ab alio; siquidem genus convenit omnibus, quæ sub ipso continentur. Sequeretur ergo, omnem substantiam esse à se; adeoque una tantum esset

---

posse Deum in Categoriam quampiam, sive in aliquam generum classem referre, nisi omnem conceptum exuat naturæ infinitæ. Non est igitur intellectus, qui compedes injicit naturæ infinitæ (uti insipienter Gassendus ait) sed est ipsa infinitæ naturæ dignitas, quæ prohibet, ne intellectus illam possit concipere, ut compositam ex genere, & differentia. Fatemur, nos in Deo distinguere substantiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, cætera attributa; sed non ita illa distinguimus, ut unum concipiatur excludere aliud: tantummodo ob intellectus nostri tenuitatem non valentis naturali vi infinitum cognoscere, ut est in seipso, concipimus unum attributum, alio non concepto, sive distinguimus attributa, ut Scholæ loquuntur, *penes implicitum*, & *explicitum*, minime vero *penes excludens*, & *exclusum*; hoc est, concipimus attributa distincta, qua ratione unum non explicat aliud, v. g. justitia misericordiam, non vero ita ut unum excludat aliud; nam scimus in Deo misericordiam justitiam esse, & justitiam misericordiam. Adde istuc: Gassendus ipse loc. cit. Exerc. 2. §. 4. sq. totus est, ut probet, quod & nos ante §. 433. animadvertimus, universalia ab intellectu efformari, accepto à rebus singularibus fundamento, ob varios inter ipsas similitudinis, ac dissimilitudinis gradus. Non ita ergo intellectus negotiatur, cum ad eamdem classem plura refert, ut ad arbitrium fingere videatur: sunt enim in rebus ipsis jacta referendi fundamenta. Quod si res quæpiam sit, cui plane repugnet in aliarum rerum clases referri; nulla sane intellectus negotiatione poterit res illa in Categoriis includi. Quis autem non videt, Deum infinitum non posse in rerum creatarum classes referri? multo minus quam chimæra cerberi in animalium classe includi; nam & chimæra illa finitum aliquid est ut animalia: Deus autem est infinitus. Quamquam vero quæ dicta sunt, ex intima rerum consideratione proficiscantur, juvabit tamen Ecclesiæ Patrum testimoniis illa confirmare, ne qui sint, qui hujusmodi quæstionem velut inutile Scholasticorum inventum habeant. Itaque Clemens Alex. Strom. 5. p. 587. expendens, quam sit longe difficillimum invenire quid sit Deus: » Quemadmodum, *inquit*, dici poterit, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque individuum, neque numerus, neque accidens aliquod, neque cui aliquid accidit?“ Augustinus autem l. 4. Confess. c. 16. n. 29. dolens, quod aliquando Deum prædicamentis incluserit, ait: » Quid hoc mihi proderat, quando & » oberat; cum te, Deus meus, mirabiliter simplicem atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans quidquid esset omnino

substantia, scilicet, increata: quod est error Spinozæ (1). Ens

» comprehensum, sic intelligere conarer" (audiat Gassendus, hìc Augustinum agere de *negotiatione intellectus*) » quasi & tu subjectus es» ses magnitudini tuæ, aut pulchritudini, ut illa essent in te quasi in » subjecto, sicut in corpore; cum tua magnitudo, & tua pulchritu» do tu ipse sis!" Videri etiam possunt Cyrillus Alex. Dial. 2. de Trin. ubi ait, *Genus in Deo ullum nominare, alienum esse à recta ratione.* Idem docent S. Anselmus Monol. c. 26. & S. Bernardus serm. 80. in Cant. n. 6. sqq. Intelligat modo Gassendus, sitne timendum, ne Deus in Categoria inclusus, *immensitatem suam amittat, & Briareo quodam sit opus, ut quibus ibi detineatur, perrumpere possit vincula.*

(1) Ad hanc certe rationem non animadvertit Gassendus, cum loc. cit. §. 6. *Ecquis*, inquit, *jure non miretur, illud* (nempe Deum) *quod primum ac præcipuum locum habere debebat in categoria substantiæ, entiumve per se existentium, ab illorum serie rejici?* Sed ne tantopere miretur. Nam ut scribit S. Cyrillus Alex. l. 3. Thesaur. » Si » omne illud quod est sub genere, ac specie, exceptis accidentibus, » est substantia proprie dicta, Deus autem sub nullo est illorum, subs» tantia non proprie dicitur." Non acquiescet Gassendus, iterumque » vehementius mirabitur, qua ratione Cyrillus Deum appellet substan» tiam minus proprie. Auscultet Augustino adversus Arianos scriben» ti l. 7. de Trinc. c. 5. » Res mutabiles, *inquit*, neque simplices, pro» prie dicuntur substantiæ." O mi Gassende, audistin'; sed Augustinus pergit, quodque dixerat, ratione confirmat: » Deus autem si sub» sistit, ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tamquam » in subjecto, & non est simplex, cui hoc sit esse quod illi est quid» quid aliud de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bo» nus, & si quid hujusmodi de Deo non incongrue dicitur: nefas est » autem dicere, ut subsistat, & subsit Deus bonitati suæ, atque illa » bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus sit » bonitas sua, sed in illo sit tamquam in subjecto: unde manifestum » est, Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiore intel» ligatur essentia, quod vere, & proprie dicitur." Quid, hoc intel» lexistin? an nondum etiam ne hoc quidem? Videatur Boëtius in lib. de Trin. ubi id ipsum egregie explicat.

Sed urget Gassendus loc. cit. *Nomine substantiæ audito, nihil subit aliud cogitare, quam ens subsistens, vel existens per se. Deus porro ter maximus nonne vere, ac proprie subsistit? nonne revera existit per se? quid dico? nonne solus Deus est, qui vere subsistit per se?* Bellissima sane ratio, tantoque Philosopho digna: nam si solus Deus substantia vere est, quia ipse solus vere subsistit per se, quî substantia genus erit, ut in ejus Categoria poni Deus possit?

igitur increatum sub nullo est genere ; neque proinde constat ex genere, & differentia (1).

499 III. Quod concipitur constare ex genere, & differentia, concipitur determinatum ad ea quæ sunt illius generis. Si igitur Ens increatum conciperetur constare ex genere, & differentia, conciperetur determinatum ad aliquod genus, & ad ea quæ sunt illius generis. Non ergo conciperetur infinite perfectum ; nam quod determinatur ad aliquod, infinitum esse non potest. Concipitur autem Deus infinite perfectus, alioqui nullo modo conciperetur Deus, sed aliquid aliud creatum. Constare igitur non potest ex genere, & differentia (2).

Contendetne Gassendus, genus esse illud posse, quod uni soli vere convenit? Angelicus autem q. 7. de pot. a. 3. ad. 4. multo jam ante id argumentum solvit : *Ens per se*, inquit, *non est definitio substantiæ. Ens enim non potest esse alicujus genus, cum nihil possit addi ad ens, quod non participet ipsum : differentia vero non debet participare genus. Sed si substantia possit habere definitionem, non obstante quod est genus generalissimum, erit ejus definitio, quod substantia est res, cujus quidditati debetur esse non in aliquo. Et sic non conveniet definitio substantiæ Deo, qui non habet quidditatem suam præter suum esse : unde Deus non est in genere subtantiæ, sed est supra omnem substantiam.* Vide S. Anselmum Monol. c. 26. ubi ait : *Illa substantia (Dei) nullo communi Tractatu substantiarum includitur. Nam cum omnis substantia tractetur, aut esse universalis, quæ pluribus substantiis essentialiter communis est, ut hominem esse, commune est singulis hominibus ; aut esse individua, quæ universalem essentiam communem habet cum aliis ; quemadmodum singuli homines commune habent cum singulis, ut homines sint : quomodo aliquis summam naturam in aliarum substantiarum tractatu contineri intelligit, quæ nec in plures substantias se dividit, nec cum aliqua alia per essentialem communionem se colligit?* Subdit autem Anselmus ib. *Quoniam tamen ipsa non solum certissime existit, sed etiam summa omnium existit : & cujuslibet rei essentia dici solet substantia : profecto itaque, si quid dici potest digne, non prohibetur dici substantia.*

(1) Vide S. Thom. 1. con. Gent. c. 25.

(2) Conf. S. Thom. q. 7. de pot. a. 3. Eamdem rationem tradit Plotinus lib. 4. Enn. 4. c. 2. Essentia, *ait*, hoc aliquid est. Id » autem determinatum est. Illud vero (Deum scilicet) non licet » tamquam hoc aliquid cogitare ; alioqui jam non esset principium, » sed duntaxat, quod hoc aliquid appellabas." Non patitur Gassendus ; inquit enim loc. cit. *Non video, cur si Deus locum in hac categoria* (substantiæ) *non habeat, collocari possit in loco causarum apud Topicos, in classe accidentium apud Grammaticos, in serie moven-*

500 Ad primum negamus, Deum definiri posse (1); quod enim definitur, comprehenditur ab intellectu definiente: Deus autem comprehendi non potest ab intellectu creato (2).

501 Ad secundum dist. ant. Deus differt ab aliis differentia late dicta, conc. proprie dicta, nego. *Si hoc nomen differens*, ait S. Thomas (3), *large sumatur, sic ista (propositio) est concedenda, quod Deus à rebus aliis differat; non tamen sequitur quod aliqua differentia differat, sed quod differat ab aliis per suam substantiam: hoc enim necesse est in primis, & simplicibus dici; homo enim differt ab asino, rationali differentia: rationale autem ulterius non differt ab asino aliqua differentia (quia sic esset abire in infinitum sed seipso* (4).

---

tium apud Physicos. Vidisset utique, si laborem suscepisset legendi a. 12. q. 13. 1. p. S. Thomæ, & c. 36. l. 1. cont. Gent. Nam quod ad Topicos, & Grammaticos attinet, hi nonnisi nomina, & verba, ac propositiones considerant; quare si qua est compositio, unice ad intellectum refertur, cujus conceptiones voces exprimunt, cujusque opus sunt propositiones. At vero compositio ex genere, & differentia refertur ad ipsas res, quæ intellectui fundamentum præbent concipiendi illas tali modo compositas. Intellectus autem noster simplicia quidem composite cognoscit, non vero cognoscit illa esse composita; ita enim deciperetur. Quod autem ad Physicos pertinet, ii ponunt Deum in serie moventium, non quod sit aliquod genus, vel species causarum, sed quod sit omnium primum Efficiens.

(1) Ethnicos Philosophos Anomæis objiciens Chrisostomus Hom. 5. de incomprehensibili Dei natura: „Nemo, *inquit*, naturæ divinæ „definitionem reddere, unove amplecti nomine Deum ausus est.“ Vide S. Isidorum Pelusiotam l. 3. Epist. 214. Nicetam 5. Thesau. c. 40. Philonem 1. Allegor. & Evagrium monachum apud Nicephorum l. 10. Hist. c. 15. ubi ait, *definitiones non simplicium, sed compositorum esse*; additque. *Propositio, seu enuntiatio omnis, aut genus quod indicetur continet, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex iis compositum. Quod si nihil harum rerum in Sancta Trinitate deprehendere est, cum silentio id adoretur, quod dici, atque proferri non potest.* Conf. etiam Autor lib. de cognitione veræ vitæ in Append. 5. Opp. S. Augustini c. 7. „Summus Spiritus, *inquit*, si„cut à nullo intellectu valet proprie cogitari, ita nulla definitione „poterit propie determinari. Sed quia intellectualis mens eum utcum„que agnoscere anhelat; ænigmatica definitio ei interim sufficiat“ id est, aliqualis descriptio

(2) Vide S. Thom. a. cit. ad 5.

(3) Ibid. ad 2.

(4) *Omnia prima* (inquit Plotinus l. 5. Enn. 2. c. 3.) *actus exis-*

502 Ad tertium responsio jam patet ex dictis (1).

503 Ad quartum dist. maj. Christus, qua homo, constat ex genere, & differentia, conc. qua Deus, nego. In Christo una quidem persona est, sed duæ sunt naturæ, Divinitas & humanitas. Quamvis ergo ratione humanitatis verus sit homo, adeoque compositus ex genere, & differentia, non tamen ratione Divinitatis (2).

ARTICULUS IV.

Utrum genus contineat differentias specierum in suo conceptu.

504 VIdetur illas continere I. quia ens in suo conceptu continet differentias omnium entium. Ergo.

505 II. Sublato genere, auferuntur differentiæ. Sed nisi hæ continerentur in genere, nihil obstaret, quominus essent, genere sublato. Ergo.

Propositio. *I. Differentiæ specierum non actu: II. sed potestate continentur in conceptu generis.*

506 PRob. 1. p. Si differentiæ specierum actu continerentur in conceptu generis, ubicumque reperiretur genus, reperirentur eædem differentiæ. Genus autem commune est diversis speciebus, & dividitur per differentias diversas, ut dictum est (3). Ergo in diversis speciebus reperirentur eædem differentiæ. Atqui spe-

---

tunt; habent enim quidquid oportet habere, atque id quidem, & à scipsis, & semper.

(1) §. 498.

(2) Hoc argumento utitur Rusticus Diaconus in Dial. contra Acephalos, ut probet in Christo naturarum diversitatem: » Si Deitas, *ait*, » nec genus habet, nec eam speciem, quæ supponitur generi; habe» re vero hæc invenitur humanitas, multo magis in una natura co» adunari non posse demonstrantur". Et hæretico objicienti, Divinitatem, & humanitatem habere commune genus substantiam; respondet Rusticus: *Per se subsistens, cum de Deo dicitur, significat quod nullius alterius ad id ut sit indiget; cum vero de creaturis, nequaquam: à Creatore enim esse sumpserunt ... Igitur etsi unum nomen substantiæ, non tamen una res. Non est igitur commune genus substantia Deitatis, & carnis; sed nomen commune tantum: hoc vero genus non est.*

(3) §. 474.

cies non sunt diversæ, nisi per diversas differentias. Essent igitur, & non essent diversæ: quod plane repugnat.

507 Prob. 2 p. Si differentiæ specierum nec potestate continerentur in conceptu generis, genus nullo modo esset in potentia ad differentias, nec per illas dividi posset. Est autem genus in potentia ad differentias, & per illas dividitur, ut dictum est (1). Differentiæ igitur specierum potestate continentur in conceptu generis (2).

508. Ad primum neg. cons. Ideo enim differentiæ entium actu continentur in conceptu entis, quia & ipsæ sunt entia, alioqui nihil essent (3). At differentiæ specierum non sunt de ratione generis; cum enim dico triangulum, non dico neque æquilaterum, neque scalenum, sed dico tantum id quod esse potest vel æquilaterum, vel scalenum.

---

(1) §. 489.

(2) Damascenus Dialect. c. 19. expendens ea, in quibus genus, & differentia inter se conveniunt, ac discrepant: *Genus* inquit, *latius patet, quam subjectæ illi differentiæ; propterea genus potestate differentias complectitur.*

(3) Ex quo principio sequitur etiam, ens non posse esse genus; nam si haberet rationem generis, prædicari non posset de differentiis; *genus enim*, ut S. Thomas animadvertit 3. Metaph. lect. 8. *non ponitur in definitione differentiæ, quia differentia non participat genus. Nec etiam differentia ponitur in definitione generis*; cum enim definitur animal, in ejus definitione non ponitur rationale; & cum definitur triangulum, in ejus definitione non ponitur æquilaterum. Hanc rationem tradiderat Damascenus Dialect. c. 10. ut probaret, substantiam primum ac generalissimum genus esse. *Quamquam enim*, ait, *cum substantia, tum accidens scindantur ab ente, haud tamen ens genus eorum est. Nam illa entis quidem nomen recipiunt; at non item definitionem. Ens quippe in hunc modum definiunt: Ens aut est quod per se subsistit, nec alia re, ut existat, opus habet; vel est quod per se non potest esse, sed in altero suum esse habet. Substantia autem illud tantum est quod per se existit, nec alia re, ut subsistat, opus habet. En substantia totam entis definitionem non accipit; nec proinde ens genus est respectu substantiæ. Species enim integram generis sui definitionem absque ulla diminutione suscipit. At nec accidens entis species est: neque enim integram entis definitionem recipit, sed dimidiam partem duntaxat. Accidens quippe res est, quæ per se esse non potest, sed solum in altero suum esse habet. En quo pacto nec substantia integram entis definitionem suscipiat, nec accidens ... Quapropter licet ens in substantiam, & accidens dividatur, eorum tamen genus non est.*

509 Ad secundum neg. min. nam inferiora sine superioribus esse non possunt, bene vero concipi possunt superiora sine inferioribus.

ARTICULUS V.

Utrum genus, & differentia comparentur ad speciem tamquam partes.

510 Videtur ita dicendum: I. quia species constat ex genere, & differentia, ut dictum est (1). Ergo ex illis componitur tamquam partibus.

511 II. Si genus compararetur ad speciem, non ut pars, sed ut totum, significaret id totum, quod est in specie. In specie autem est differentia. Genus ergo significaret differentiam, quæ proinde actu contineretur in genere, contra quam dictum est (2).

Propositio. I. *Genus, & differentia comparantur ad speciem tamquam totum*: II. *Sed neutrum significat totum, quod est in specie.*

512 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (3). Si genus, & differentia non compararentur ad speciem ut totum, sed ut partes, non possent prædicari de specie; nulla enim pars prædicatur de toto, cum omnis pars sit minor suo toto, & omne totum sit majus sua parte. Sic dici potest: homo est compositus ex anima, & corpore; at dici non potest: homo est anima, vel homo est corpus; quia anima, & corpus sunt partes hominis. Atqui genus, & differentia prædicantur de specie; dicimus enim homo est animal: homo est rationalis. Genus igitur, & differentia comparantur ad speciem ut totum, non ut partes (4).

(1) §. 475. (2) §. 506. (3) L. de Ente, & Essen. c. 3.

(4) Hoc argumenti genere adversus Monophysitas, & Severianos agit Damascenus. Siquidem illis objicientibus, unam esse posse naturam Christi ex Divinitate, & humanitate, quia etiam homo unius naturæ est, quamvis constet ex anima, & corpore; respondet Damascenus l. 3. de Fide c. 3. »Etsi unam hominum esse naturam dictitamus, at non »anima, & corpore spectatis; cum fieri non possit, ut corpus, & ani»mam simul comparando unius ea esse naturæ affirmemus: sed quia »plurimæ hominum hypostases & personæ sunt, eamdem omnes ratio»nem naturæ recipiunt. Omnes quippe corpore, & anima constant, »omnesque cum animæ naturam participant, tum corporis substantiam

513 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (1). Genus, & differentia, ut dictum est (2), proxime accipiuntur à tota rei entitate, ita tamen ut genus significet id, in quo res cum aliis convenit; differentia id, in quo res ab aliis discriminatur; species utrumque. Ergo genus & differentia ita comparantur ad speciem, ut alterutrum non significet totum quod est in specie (3), sed genus significet totum id quod est indeterminatum in specie; differentia significet totum, quod est determinans genus & contituens speciem. Et per hæc patet solutio ad objecta.

ARTICULUS VI.

Utrum genus, differentia, & species reciprocentur.

514 Videtur ita esse: I. quia genus, differentia, & species sunt una, & eadem entitas. Ergo possunt reciprocari; idem enim de seipso dici potest.

515 II. Differentiæ superiores includuntur in differentiis inferioribus. Sed differentiæ superiores constituunt genus, ut dictum est (4). Ergo genus potest prædicari de differentiis inferioribus, adeoque de speciebus, & vicissim differentiæ, & species de genere.

516 III. S. Thomas (5) expresse docet, differentiam prædicari de genere. Ergo differentia, & genus reciprocantur.

» habent, communemque speciem. " Et c. 16. » Si quandoque unius » naturæ homo esse dicatur, tunc speciei loco naturæ nomen usur- » patur; ut cum dicimus, nulla naturæ differentia hominem ab ho- » mine discrepare; imo cum eodem modo omnes homines coagmen- » tati sint, ex anima & corpore compositi, singulique duæ sint naturæ, » sub unam proinde definitionem redigi. " Vide Leontium act. 7. de sect. qui admonet, hominem non dici esse corpus aut animam, quia corpus, & anima partes naturæ sunt.

(1) Loc. cit. (2) §. 488.

(3) Ex hoc principio S. Anselmus Monol. c. 16. probat summam Dei simplicitatem: *Cum aliquis homo*, inquit, *dicatur corpus, & rationalis, & homo, non uno modo, vel consideratione hæc tria dicitur. Secundum aliud enim est corpus, & secundum aliud rationale, & singulum horum non est totum id quod est homo. Illa vero summa essentia nullo modo sic est aliquid, ut illud idem secundum aliam considerationem non sit; quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est.*

(4) §. 479. (5) 8. Metaph. lect. 2.

Propositio. I. *Genus & differentia si conjunctim accipiantur, reciprocantur cum specie* : II. *Non reciprocantur autem neque genus cum differentia* : III. *neque differentia cum specie*: IV. *neque species cum genere* (1).

517 Prob. 1 p. Genus & differentia conjunctim constituunt speciem, ut dictum est (2). Sed quod constituit, reciprocari potest cum eo quod constituitur ; idem enim in utroque significatur. Ergo. Quare valet : triangulus est figura contenta tribus lineis ; & convertendo figura tribus lineis contenta est triangulus.

518 Prob. 2. p. Genus latius patet, quam subjectæ illi differentiæ (3). Similiter genus non ponitur in definitione differentiæ, nec differentia in definitione generis (4) ; non enim *constare tribus lineis* ponitur in definitione figuræ, quæ est genus respectu trianguli ; neque *figura* ponitur in definitione differentiæ trianguli ab aliis figuris ; alioqui omnes figuræ constarent tribus lineis. Genus ergo non reciprocatur cum differentiis nec differentiæ cum genere (5).

519 Prob. 3. p. Si differentia reciprocaretur cum specie, species deberet prædicari de differentia : id autem esse non potest : ut advertit S. Thomas (6) : *Cum differentia ponatur in definitione speciei non posset species prædicari per se de differentia, nisi intelligeretur, quod differentia esset subjectum speciei. Hoc autem non sic se habet ; sed differentia est quædam forma speciei.* Species igitur non potest prædicari de differentia (7), adeoque nec differentia reciprocari cum specie.

---

(1) Ex hac propositione omnis universalia enunciandi ratio pendet.

(2) §. 475. (3) Vide Damasc. Dialect. c. 19.

(4) S. Thom. Metaph. lect. 8.

(5) Qua ex ratione sequitur, neque Proprietatem cum Proprietate, neque Accidens cum Accidente, neque Proprietatem cum Accidente, neque utrumque cum genere, differentia, aut specie reciprocari posse; neque enim aut una proprietas ponitur in definitione alterius, aut in definitione accidentis, vel è converso ; neque proprietas, vel accidens ponitur in definitione generis, aut differentiæ, vel speciei.

(6) Loc. cit.

(7) Præclare S. Bernardus ser. 80. in Cant. n. 5. » Nulla forma est » id cujus est forma.... Non igitur sua magnitudo anima, non magis » quam sua nigredo corvus, quam suus candor nix, quam sua risibili-

520 Prob. 4. p. Si species reciprocaretur cum genere, prædicari deberet de omnibus, de quibus prædicatur genus : quod esse non potest ; genus enim est universalius quam species (1). Quare dici bene potest : triangulus est figura ; minime vero : figura est triangulus ; omnis enim triangulus figura est, non item omnis figura est triangulus.

521 Ad primum neg. cons. nam licet genus, differentia, & species sint unum re, distinguuntur tamen ratione (2).

522 Ad secundum neg. maj. Cum enim differentiæ inferiores non participent genus, ut dictum est (3); differentiæ autem superiores constituant genera, quæ sunt species subalternæ ; evidens est, differentias superiores participari non posse à defferentiis inferioribus, alioqui hæ participarent genus.

523 Ad tertium dicimus, S. Thomam loqui de differentia constitutiva generis, quatenus genus est species subalterna, non autem de differentia divisiva generis.

ARTICULUS VII.

Utrum dari possit genus, cujus unica tantum species sit possibilis.

524 Videtur dari posse : I. quia, ut docet S. Thomas (4), tota essentia, & virtus generis reperitur in qualibet specie.

525 II. Quia si unica daretur species, hæc constaret ex genere, & differentia. Ergo in ipsa maneret ratio generis.

Propositio. *Fieri non potest, ut detur genus, cujus unica tantum species sit possibilis*

526 Prob. ratione S. Thomæ (5) Genus dividitur in spe-

» tas, seu rationalitas homo.... Sola summa & increata natura, quæ est » Trinitas Deus, hanc sibi vindicat meram singularemque suæ essentiæ » simplicitatem. " Quod si vero differentia accipiatur concrete, v. g. *rationale*, quia tunc non solum significat formam, sed etiam subjectum formæ, ut infra dicemus, potest prædicari de specie ; ita enim rationale significat id quod habet rationalitatem : hoc autem est ipse homo constitutus ex genere & differentia.

(1) Vide Damascenum Dialect. c. 20. (2) §. 488.
(3) §. 506. (4) 1. p. q. 77. a. 1. ad 1.
(5) 1. Poster. lect. 12.

cies per differentias oppositas, ut dictum est (1). Atqui si unum oppositorum possibile est, debet esse possibile & alterum; nam si alterum esse non possit; jam nulla est oppositio. Ergo si una differentia est possibilis, debet esse possibilis & altera. Atqui differentiæ oppositæ constituunt species oppositas. Ergo si una species est possibilis, debet esse possibilis & altera. Fieri ergo non potest &c.

527 Ad primum dicimus, genus reperiri in qualibet specie, imo in quolibet individuo, quoad naturam, non quoad universalitatem. Sic natura animalis reperitur in quolibet homine, non autem reperitur animal, ut est commune multis. Et per hæc patet responsio ad secundum.

ARTICULUS VIII.

Utrum dari possit species, cujus unicum sit possibile individuum.

Videtur non posse dari: I. quia sicut genus dividitur in plures species, ita species in plura individua. Ergo sicut dari non potest genus, cujus unica species sit possibilis, ita nec species, cujus unicum sit possibile individuum.

529 II. Species hujusmodi prædicari non posset de pluribus. Ergo non esset species.

Propositio. *Dari potest species, etsi unicum sit possibile individuum.*

530 Prob. Species non dividitur in plura individua per differentias oppositas, alioqui unum individuum opponeretur alteri. Necesse igitur non est, ut si unum individuum sit possibile, & alterum esse possit. Qua igitur ratione dari non potest genus, cujus unica sit possibilis species, eadem dari potest species, cujus unicum sit possibile individuum (2). Et sic patet responsio ad primum.

---

(1) Vide not. Multiplex §. 474. Quo ex principio Damascenus Dialect. c. 41. infert adversus Monophysitas, fieri non posse, ut ex duabus naturis completis fiat una natura composita: » Neque enim, *inquit*, fieri » potest, ut differentiæ constituentes, per oppositum modum divisæ, in » uno & eodem simul existant. «

(2) Ac revera Angeli singuli ita specie differunt inter se, ut inveniri non possint duo Angeli ejusdem speciei. Vide S. Thomam 1. p.

531 Ad secumdum dist. ant. prædicari non posset de pluribus defectu individuorum, con. defectu ipsius speciei, nego. Nam ut advertit S. Thomas (1), *quælibet forma quantum est de se, nata est in pluribus esse*; est enim actus: actus autem est de ratione boni: bonum vero est sui diffusivum (2). Species autem comparatur ad individua velut eorum forma (3); significat enim totam essentiam, quæ est forma individuorum; & idcirco quantum est ex se, potest de pluribus prædicari; etiamsi plura illa dari non possint.

QUÆSTIO VIII.

De Ideis simplicibus, & compositis.

532 Post universalium tractationem, subjicimus tractationem de ideis simplicibus, & compositis; cum enim ex universali-

---

q. 50. a. 4. Conferatur etiam S. Athanasius l. 3. con. Arianos, Methodius apud S. Epiphan. Hær. 64. & S. Cyrillus Alex. l. 15. Thesaur. ubi ait, Angelis *commune id esse, quod creati sunt; ratio autem essentiæ uniuscujusque diversa.*

(1) 1. Metaph. lect. 5. Et 7. Metaph. lect. 13. » Universale, *inquit*, » est quod natum est pluribus inesse, non autem quod pluribus inest, » quia quædam universalia sunt, quæ non continent sub se, nisi unum » singulare, sicut Sol, & Luna. Sed hoc non est, quin ipsa natura spe- » ciei, quantum est de se, sit nata esse in pluribus, sed est aliquid » aliud sicut prohibens, sicut quod tota materia speciei comprehenda- » tur in uno individuo, & quod non est necessarium multiplicari se- » cundum numerum speciem, quæ in uno individuo potest esse per- » petua. "

(2) Hinc sequitur, naturam specificam unius Angeli posse concipi universalem. Nam ut S. Thomas advertit q. de spir. creat. a. 8. ad 4. » Sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa individua ex » hoc quod est albedo, sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad » rationem individui; ita natura hujus Angeli non prohibetur esse in » multis ex hoc quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet » ad rationem speciei, sed ex hoc quod non est nata recipi in aliquo » subjecto, quod pertinet ad rationem individui. "

(3) Vide S. Damascenum Dialect. c. 30. ubi scribit: » Sancti Patres » id quod commune est, ac de multis dicitur, id est, specialissimam » speciem; substantiam, & naturam, ac formam appellarunt, ut An- » gelum, equum, canem, & similia. " Adeundus etiam P. Lequien Adnot. 4. ad præfatum c. Damasc. ubi de vocibus οὐσίας, φυσέως & ὑποστάσεις disserit, deque earum acceptione apud Patres ad compescenda dissidia ab hæreticis excitata.

bus compositio quædam fiat, ut dictum est (1), compositio autem resolvi tandem debeat in simplicia ne detur progressus in infinitum; agendum proinde est de simplicitate, & compositione idearum. Qua in re dicemus: 1. de ideis simplicibus, & compositis in sensu juniorum Philosophorum: 2. rationem investigabimus, in qua vere posita est ea simplicitas, & compositio: 3. quæremus de ideis associatis.

ARTICULUS I.

Utrum simplicitas, & compositio idearum recte explicetur à junioribus Philosophis.

533 Joannes Lockius arbitratur, ideam simplicem esse illam, quæ omni compositione caret, producitque in anima conceptionem prorsus uniformem, ita ut distingui non possit in diverisas ideas (2). Idem tenent Joannes Clericus (3). Heinecius (4) & Genuensis (5). Regius autem (6), & Arnaldus (7) ideam simplicem vocant, quæ habet objectum uniforme. Jaquelotius vero (8) putat ideam simplicem esse, quæ nihil affirmat, vel negat; compositam, quæ secum adfert conjunctionem, aut separationem aliarum idearum.

534 Videtur autem ita dicendum: I. quia simplicitas non aliter explicari potest, quam per carentiam compositionis.

535 II. Quia, ut S. Augustinus docet (9), simplex est illud, in quo non est aliud habens, & aliud quod habetur. Sed in idea quæ omni compositione caret non est aliud habens, & aliud quod habetur. Est igitur simplex.

---

(1) §. 497.
(2) Essai &c. l. 2. c. 2. §. 1. (3) Log. p. 1. c. 2. n. 1.
(4) Elem. Log. §. 28. (5) Art. Log. Crit. l. 2. c. 2. §. 5.
(6) Usag. de la Rais. l. 1. p. 1. c. 8.
(7) Des urai. & fauss. idées c. 27.
(8) Exist. de Dieu tom. 3. p. 91.
(9) » Natura (inquit l. 11. de Civ. c. 10.) dicitur simplex, cui » non sit aliquid habere, quod vel possit amittere; vel aliud sit ha» bens, aliud quod habet; sicut vas aliquem liquorem, aut corpus » colorem, aut aër lucem, sive fervorem, aut anima sapientiam. Nihil » enim horum est id quod habet. «

Propositio. *Simplicitas idearum non recte explicatur* : I. *neque per carentiam compositionis* : II. *neque per carentiam affirmationis, aut negationis.*

℣. 536 R. rob. 1. p. Cum dicitur idea simplex, quæ caret omni compositione, vel id intelligitur de compositione reali ex partibus physicis, vel de compositione per intellectum. De prima intelligi non potest ; cum enim omnis idea sive simplex, sive composita, sit immaterialis, & inextensa, ex partibus physicis non constat, adeoque realiter simplex est. Intelligi ergo deberet de compositione per intellectum (1). Jam vero nulla mentis nostræ idea est, in qua plura distinguere & componere per intellectum non possimus. Atque ut exemplis utamur ipsorum juniorum Philosophorum, ideæ sonorum, odorum, saporum simplices per ipsos sunt (2). Quis autem dixerit, in ejusmodi ideis plura ne men-

(1) Ita quidem intelligunt Clericus, & Heinecius loc. cit. cum dicunt, *ideas simplices esse, in quibus nihil mente dividere possumus, sive plura ne mente quidem distinguere.*

(2) Lockius l. 2. cit. postquam c. 5. statuit, ideas simplices duplici via in animam ingredi, *sensatione*, scilicet, & *reflexione*, c. 3. sqq. docet, ideas simplices, quas per sensus accipimus, alias quidem per unum sensum, alias per plures sensus ad nos venire. Inter illas autem quas per unum sensum acquirimus, numerat lucem, & colores, sonos, sapores, odores &c. » La lumiére, *inquit*, & les couleurs, comme le blanc, le rouge, le jaune, & le bleu avec leurs mêlanges, » & leurs différentes nuances qui forment le vert, l' écarlate, le pourpre, le vert de mer, & le reste, entrent uniquement par les yeux; » toutes les sortes de bruits, de sons, & de tous différens, entrent par » les oreilles ; le différens goûts par le palais, & les odeurs par le » nez. " *Lumen, & colores, veluti albus, rubrus, flavus, cæruleus, cum coloribus mediis, illorumque variis mixtionibus, quæ colorem viridem, coccineum, purpureum, viridem maris, reliquosque formant, unice per oculos intrant ; omnes species clamorum, sonorum, & tussium differentium, intrant per aures ; sapores diversi per palatum, & odores per nares.* Quod hujusmodi ideæ per illos corporis sensus ad animam perveniant, non opus erat, ut Lockius nos doceret ; id enim & mulierculæ norunt. Sed quod hujusmodi ideæ simplices sint (quod Lockius ibi demonstrandum susceperat), id non solum non probat, sed ea ponit, unde plane oppositum conficiatur. Qui enim fieri potest, ut idea coloris ex principiis Lockii simplex sit, si Lockio ipso fatente, color dividitur in album, rubrum, flavum, cæruleum, atque in pene

te quidem componi, ac distingui posse? In idea soni possum considerare, quod ens est; neque enim est nihil: quod accidens est; neque enim sonus pertinet ad essentiam rei sonantis: quod motus est; nam sonitus sine motu esse non potest: quod est ab aere exterius pulsante; sonitus enim non est sine pulsatione. Similiter dic de ideis odorum, saporum, colorum &c. Quo igitur pacto hujusmodi ideæ, in quibus tam plura distinguuntur, & componuntur, simplices erunt (1), si idearum simplicitas in eo posita est, ut ne mente quidem plura in illis distinguere, & componere possimus? Sane ideæ intellectuales sunt ipsæ res intellectæ, ut supra ostendimus (2): quælibet autem res creata (si ens, & pri-

innumeras differentias aliorum colorum? Qua etiam ratione simplex erit idea soni, vel saporis, aut odoris, si rot tantæque ab ipso Lockio numerantur eorum species? Nonne ib. c. 2. §. 1. ille docet, ideam simplicem esse, *qui ne peut être distinguée en différentes idées? quæ non potest distingui in diversas ideas?* Nihilominus juniores Philosophi, qui gloriantur, se nemini credere, sed uni rationi, quæ ipsis considerantibus optima visa fuerit, ita in Lockii sententiam abierunt, ut eam iisdem ferme verbis descripserint, nulla adhibita ratione. Vide Heineium Elem. Log. §. 28. & Genuensem Art. Log. Crit. l. 2. c. 2. §. 5. sq.

(1) Inter ideas simplices *soliditatem* recenset Lockius loc. cit. c. 3. » Parmi ces idées simples, auxquelles on fait peu d' attention, il » me semble qu'on peut fort bien mettre la *solidité.*" *Inter ideas simplices, ad quas parum attenditur, mihi videtur, recte admodum poni soliditatem posse.* Ita ne sane? Fac quæso, ideam soliditatis simplicem esse ex Lockii principiis; si talis est, plures in ea ideas ne mente quidem distinguere licebit. Rogamus nunc Lockium, ut explicet, quid *soliditatis* nomine intelligat: » Ce, *inquit* ib. c. 4. §. 1. qui » empêche ainsi l' approche de deux corps lorsq' il se meuvent l' un » vers l' autre, c' est ce que j' appelle solidité." *Soliditatem voco id quod impedit accessum duorum corporum, cum unum versus alterum movetur.* Recte quidem. Itaque *soliditas* intelligi non potest, nisi intelligatur resistentia quædam impediens, ne unum corpus ad alterum accedat, cum unum versus alterum movetur. Ut igitur hæc resistentia intelligatur, necesse erit percipere saltem duo corpora, quorum unum impediat alterum; oportebit item intelligere accessum unius corporis ad alterum, insuper motum unius corporis ad alterum: corpora autem illa partibus constant, neque eorum resistentia in singulis partibus fit, sed in illis, in quibus se tangunt; igitur oportebit etiam intelligere partes illas. Quomodo ergo in idea *soliditatis* ad quam intelligendam tot tantaque intelligenda sunt, nullæ distingui poterunt, ut simplex sit, ideæ diversæ? Quam apposite Ennius apud Tullium l. 1. de Divin. *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.*

(2) §. 281.

ma genera, ac differentias excipias) constat ex genere, & differentia, ut dictum est (1); genus autem, & differentia sunt duæ rationes, ut etiam diximus (2). Nullius ergo rei creatæ idea simplex esset, si ad ideæ simplicitatem requireretur, ut ne mente quidem in plures ideas distingui posset (3).

537 Prob. 2. p. Si idearum simplicitas recte explicaretur per carentiam affirmationis, & negationis nulla esset idea composita pertinens ad simplicem perceptionem. Atqui dantur compositæ ideæ ad simplicem perceptionem pertinentes, ut infra ostendemus. Non recte ergo explicatur simplicitas idearum per carentiam affirmationis, & negationis.

538 Ad primum dicendum, simplicitatem in rebus extra animam recte explicari per carentiam compositionis, quia res compositæ extra animam realiter habent partes; quare res simplices sunt, quæ realiter partibus carent. At vero in ideis sive simplicibus, sive compositis nullæ sunt partes reales. Itaque aliunde accipienda est simplicitas, & compositio idearum.

539 Ad secundum dicimus, Augustinum loqui de simplicitate rerum extra animam, ut patet ex exemplis, quæ inducit. In rebus autem quæ sunt in anima, simplicitas non accipitur ex eo quod non sit aliud habens, & aliud quod habetur; nam in compositis ex genere & differentia; species concipitur ut habens, genus autem & differentia, tamquam ea quæ habentur,

---

(1) §. 497. (2) §. 488.

(3) Lockius loc. cit. c. 5. & post ipsum Genuensis loc. cit. tamquam ideas simplices, *in quibus ne mente quidem plures partes distinguere possumus*, habent ideas extensionis, figuræ, motus, ac quietis; quasi extensio cognosci possit sine partibus, hoc est, longitudo non longa, latitudo non lata, corpus neque longum, neque latum, neque profundum. Quid? si in extensionis idea ne mente quidem distingui possunt plures partes, qua ratione differet ab indivisibili? Erunt ergo similiter indivisibilia punctus, & corpus in suis ideis, hoc est, idea corporis nullatenus repræsentabit corpus, sed quidpiam aliud indivisibile; nam corpus est divisibile in partes. Quis autem intelliget, in idea figuræ nullas posse distingui partes? Figura non est nisi rei extensæ: & quid aliud concipimus cum figuram apprehendimus, præter diversam dispositionem partium rei extensæ? Jam vero idea motus haberi non potest, nisi percipiatur transitus de uno ad alium terminum: hic autem transitus non potest percipi, nisi concipiantur partes aliquæ in spatio quod pertransitur, & in motu quo fit transitus. Quies autem cum sit privatio motus, propriam ideam non habet, sed cognoscitur per motum cujus est privatio, ad instar aliarum privationum, quæ per formas oppositas cognoscuntur.

& nihilomiuus species composita ex genere, & dtfferentia timplex est, ut mox dicemus.

ARTICULUS II.

Utrum simplicitas, & compositio idearum recte explicetur à S. Thoma.

540 Explicans S. Thomas, quæ sit prima mentis operatio, docet (1), eam esse *intelligentiam indivisibilium, & imcomplexorum, secundum quam intellectus concipit, quid sit res.* Sane cum simpliciter percipimus, intelligendo id, quod percipimus, necesse est ut essentiam, & naturam rei percipiamus; nisi enim percipiamus rei essentiam, percipere quidem possumus, quod res est, sed quid ipsa sit, ignoramus (2). Itaque ex S. Thomæ sententia, simplex est idea, quæ repræsentat unicam essentiam, quamquam essentia composita sit. Econtra vero composita erit idea quæ duplicem essentiam repræsentat: v. g. idea hominis simplex est, quia licet homo sit res quædam composita, tamen est unius essentiæ. Idea vero hominis albi est composita, quia in ea repræsentatur duplex essentia, hominis scilicet, & albedinis. Quod habet unicam essentiam dicitur *indivisibile incomplexum*, & *ens per se unum indivisibile* quidem, quia essentiæ rerum sunt indivisibiles, ut mox dicemus; *incomplexum* vero, quia plures essentias non complectitur; denique *ens per se unum*, quia est unius essentiæ. Quod autem constat aggregatione plurium essentiarum, dicitur *ens divisibile* & *complexum*; sic *Medicus* est *ens complexum*, quia duo significat subjectum, & formam accidentalem. Est etiam *divisibile*, quia homo, & medicus duæ essentiæ sunt, quæ quatenus in uno reperiuntur, faciunt ens *complexum*.

541 Videtur autem idea simplex non recte explicari per unitatem essentiæ: I. quia essentia est illud quod definitione significatur (3). Sed difinitio componitur ex genere, & differentia, ut dictum est (4). Ergo essentia erit composita. Non ergo simplicitas ideæ recte explicatur per unitatem essentiæ.

542 II. Non solum res simplices, sed etiam compositæ habent essentiam, quæ unica est, si res compositæ sint unum per se, sicut homo, qui habet unicam essentiam compositam ex anima, & corpore. Sequeretur ergo, res compositas percipi

(1) 1. Perih. lect. 1. & 1. Poster. lect. 1.
(2) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 7.
(3) Conf. S. Thom. 1. p. q. 3. a. 3. (4) §. 536.

per ideas simplices, quoties idearum simplicitas accipienda foret ex unitate essentiæ.

Propositio. I. *Simplex est idea, quæ unicam*: II. *composita, quæ multiplicem repræsentat essentiam.*

543 Prob. 1. p. ex S. Thoma (1). Simplex est idea rei indivisilibis. Atqui essentiæ rerum sunt indivisibiles; sunt enim sicut numeri, in quibus quælibet additio, vel subtractio variat speciem (2). Nam si aliquid essentiale detraham, vel addam essentiæ hominis, jam non erit homo, sed alia species; quandoquidem unaquæque res per suam essentiam constituitur. Simplex est igitur idea, quæ unicam essentiam repræsentat.

544 Prob. 2. p. Multiplex essentia multiplici conceptui adæquato, & completo respondet; nam quælibet essentia proprium conceptum adæquatum, & completum habet. Ergo idea quæ multiplicem essentiam repræsentat, erit composita ex multiplici idea adæquata, & completa; conceptus enim adæquati, & completi respondent ideis adæquatis, & completis.

545 Ad primum respondemus cum S. Thoma 7. Metaph. lect. 12. ubi declarans, quomodo definitio possit esse una, cum constet ex genere, & differentia, ait: *Cum differentia additur generi, non additur quasi alia diversa essentia à genere, sed quasi in genere implicite contenta, sicut determinatum continetur in indeterminato, ut album in colorato.... Et non hoc modo advenit differentiæ generi, ut diversa essentia ab eo existens, sicut advenit album homini.* Nihil igitur obstat, quominus essentia componatur ex genere, & differentia tamquam ex partibus, & tamen idea, qua

(1) 1. 2. q. 52. a. 1.

(2) S. Thomas 8. Metaph. lect. 3. *Si aliquid*, inquit, *addatur, vel subtrahatur alicui numero, etiamsi sit minimum, non erit idem numerus secundum speciem. Minimum enim in numeris est unitas, quæ si addatur ternario, surgit quaternarius, quæ est alia species numeri; si vero subtrahatur ab eodem, remanebit binarius, qui est etiam alia species numeri..... Et similiter est in definitionibus, & in quodquid erat esse* (hoc est, in essentia juxta phrasim Aristotelis) *quod significat definitio, quia quocumque minimo addito, vel ablato, est alia definitio, & alia natura speciei. Sicut substantia animata sensibilis tantum, est definitio animalis, cui si addas & rationale, constituis speciem hominis. Si autem subtrahas sensibile, constituis speciem plantæ.*

repræsentatur, sit simplex (1).

546 Ad secundum respondemus, in rebus physice compositis compositionem esse realem; & idcirco ut intellectus illas cognoscat, prout sunt in seipsis, indiget pluribus ideis, quibus cognoscantur partes, quibus illæ realiter componuntur. At vero compositio ex genere & differentia non est realis, sed rationis & propterea genus & differentia cognosci possunt una simplici idea.

ARTICULUS III.

Utrum ideæ associatæ differant à compositis. Et quo ratione fiant associatæ.

547 Distinguendum (2) Gravesandus putat inter ideas compositas, & associatas; associatasque illas vocat, quæ licet in seipsis separatæ sint, ita tamen menti simul semper exhibentur, ut una excitata, altera statim sit præsens.

548 Hanc associationem nonnulli (3) quatuor tribuunt causis sensationi, phantasiæ, ratiocinationi, & institutioni; sensationi quidem, cum sensibus percipimus plures ideas sive simplices, sive compositas inter se conjunctas, concatenatas; phantasiæ, cum plures ideas imaginando conjungimus; ratiocinationi, cum plures ideas ratiocinando connectimus; institutioni, cum id facimus ex magistrorum, aut ex lectione librorum. Dividunt vero ideas associatas in naturales, & arbitrarias, illasque vocant naturaliter associatas, quæ sensu, vel necessaria illatione conjunguntur; arbitrarias autem, quæ conjunguntur ex mentis arbitrio.

549 Videntur autem ideæ associatæ non differre à compositis:

---

(1) De simplicitate loquimur, prout reperiri potest in essentiis rerum creatarum, quæ utpote finitæ, & imperfectæ, proindeque constantes ex potentia, & actu, pervenire non possunt ad maximam illam simplicitatem, quæ Deo propria est, & omnem prorsus compositionem etiam per intellectum excludit. Quemadmodum ergo in esse naturali Angeli sunt substantiæ simplices, etsi non omnem prorsus compositionem excludant, neque pertingant ad divinam simplicitatem, secundum quam, ut S. Augustinus ait l. 11. de Civ. c. 10. *dicuntur illa simplicia, quæ principaliter, vereque divina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia, nec aliorum participatione vel divina, vel sapientia, vel beata sunt*; ita in ordine intellectuali essentiæ quidem rerum simplices sunt, non autem ita simplices, ut omnem compositionem etiam per intellectum excludant.

(2) Introd. ad Phil. l. 1. Log. c. 2. §. 331. sqq.

(3) Vide Genuensem Art. Log. Crit. l. 2. c. 2. §. 7.

I. quia associatio nihil est aliud quam plurium conjunctio. Sed compositio idearum fieri non potest, quin plures ideæ conjungantur. Ergo.

550 II. Ideæ associatæ non differunt à compositis, nisi penes vocabula, ita ut si plures ideæ simplices, uni affigantur bocabulo, dicantur compositæ, si plures ideæ sive simplices, sive compositæ copulentur cum pluribus vocabulis, & vocabula ita sint conjuncta, ut simul à mente percipiantur, ideæ appellentur associatæ.

Propositio. I. *Ideæ associatæ differunt à compositis.* II. *Fiunt autem associatæ per simplicem duntaxat perceptionem.* III. *Compositæ vero etiam per judicium, & ratiocinationem.*

551 Probr. 1. p. ex S. Thoma (1). Unio plurium distinctorum non se habentium tamquam actus, & potentia dupliciter fieri potest: 1. ordine tantum, ut cum ex multis domibus fit civitas: 2. compositione, sicut cum ex partibus domus conjunctis, & colligatis fit domus. Ex iis autem quæ ordine tantum uniuntur, nulla fit compositio; quandoquidem quæ ordine tantum uniuntur, sunt opposita inter se quatenus relata; relativa enim invicem opponuntur: ex oppositis autem compositio fieri non potest (1), cum se

(1) 3. p. q. 2. a. 1. & 4. con. Gen. c. 35.

(2) Hinc S. Thomas q. 7. de pot. a. 8. probat, Deum esse simplicissimum, licet infinitæ sint relationes inter ipsum, & creaturas; quia *quod attribuitur alicui ut ab eo in aliud procedens, non facit compositionem cum eo.* Hinc etiam ostendit, nullam in Deo fieri compositionem ex pluralitate Personarum. *Pluralitas* (inquit q. 9. de pot. a. 5. ad 15.) *verum in Divinis, est pluralitas relationum subsistentium oppositarum, ex quo non sequitur compositio in Divinis.... quia relationes oppositæ, in quantum hujusmodi, ab invicem distinguuntur. Compositio vero non est ex aliquibus distinctis, in quantum distincta sunt*; Eodem modo loquitur S. Augustinus Tract. 39. in Joan. *Id quod Pater ad se est, Deus est; quod ad Filium est, Pater est: quod Filius ad seipsum est, Deus est; quod ad Patrem est, Filius est. Ista quæ dico, potestis de similitudinibus agnoscere quotidianis. Homo & alter homo, si ille sit pater, ille filius; quod homo est, ad seipsum est; quod pater est, ad filium est: & filius quod homo est, ad seipsum est; quod autem filius est, ad Patrem est. Pater enim nomen est dictum ad aliquid, & filius ad aliquid. At vero Pater Deus ad aliquid est Pater, id est, ad Filium; & Filius Deus ad aliquid est Filius; id est, ad Patrem; sed non quomodo illi duo homines sunt, sic isti duo dii &c.*

excludant. Quoties igitur ideæ associatæ unirentur ordine tantum, ex iis nulla fieri compositio posset, adeoque ab ideis compositis differrent. Atqui ideæ associatæ simplici tantum ordine uniuntur (1). Sic cum dico *pater*, in hac idea duo conceptus uniuntur ordine duntaxat, patris scilicet, qui genuit, & filii geniti; non enim intelligi potest pater nisi simul intelligatur filius. Sic etiam cum intelligo signum intelligo etiam rem signatam ob relationem quæ est inter signum, & rem signatam. Cum autem dico v. g. *album*, duas res intelligo quæ compositione uniuntur; *album* enim significat albedinem, & subjectum, in quo est albedo; quæ quidem duo distincta sunt per essentiam, quippe albedo est accidens, subjectum est substantia: accidens autem essentia differt à substantia; hæc autem uniuntur ad conflandum id, quod dico *album*. Itaque ex utroque fit compositio. Constat igitur ideas associatas distingui à compositis.

552 Prob. 2. p. Ideæ associatæ uniuntur ordine duntaxat, ut dictum est (2). Atqui simpliciter ordinare, ad simplicem perceptionem pertinet, ut supra diximus (3). Ergo ideæ per simplicem perceptionem fiunt associatæ (4).

---

(1) Ex quibus sequitur, omnem ideam quæ relationem ad alteram habet, esse associatam; relativa enim, ut infra dicemus, sunt simul natura, & cognitione.

(2) §. 551. (3) §. 448.

(4) Quare falsum est quod docet Genuensis loc. cit. idearum associationem deberi *ratiocinationi*; etenim ratiocinatio sequitur judicium, judicium autem compositione idearum comprehenditur, ut diximus Inst. Log. §. 109. Multo magis falsum est, associationem idearum tribui posse *sensationi*; nam ut advertit S. Thomas 1. Ethic. lect. 1. » Etsi vi» res sensitivæ cognoscant res aliquas absolute; ordinem tamen unius rei » ad aliam agnoscere, est solius intellectus, aut rationis. « Siquidem hujusmodi ordo cognoscitur per actum reflexum: actus autem reflexus sensibus convenire non potest. Negamus etiam associationes idearum fieri á *phantasia*. Nam licet S. Thomas 1. p. q. 12. a. 9. ad 2. doceat, *aliquas potentias cognoscitivas esse, quæ ex speciebus primo conceptis alias formare possunt: sicut imaginatio ex speciebus præconceptis montis & auri format speciem montis aurei*; nihilominus species illæ compositæ quidem sunt, nullo autem modo associatæ dici possunt, quia in solo ordine non consistunt, cum cognoscere ordinem pertineat ad rationem. Etsi vero idearum associatio aliquo modo pendeat ex institutione magistrorum, quemadmodum & compositio idearum, non ita tamen pendet, ut homo exterius docens, ideas sive associatas, sive compositas influat in mentes discipulorum; sed quia, ut observat Sanctus Thomas q. 11. de ver. a. 1. ad 14. magister *est causa quodammodo*

553 Prob. 3. p. Compositio est unio plurium ad conflandum aliquod ex illis compositum. Atqui plures ideæ uniri possunt vel per simplicem perceptionem, ut cum concipio *album*, *medicum*, *doctorem* &c. vel per judicium, ut cum dico, cygnus est albus; vel per ratiocinationem, ut si dico, Doctor est, ergo studuit. In his autem omnibus compositio quædam est idearum. Ideæ igitur compositæ non solum perceptione, sed etiam judicio, & ratiocinatione fiunt (1).

554 Ad primum dist. maj. associato nihil est aliud quam plurium conjunctio per simplicem duntaxat ordinem illorum ad invicem, conc. per plurium unionem ad aliquid conflandum, nego. Associato, sive consociatio solo ordine continetur, ut dictum est (2): quæ autem ordine tantum uniuntur, compositionem non faciunt; ex quo enim plures homines societatem inter se ineant, non sequitur, ex ipsis aliquod esse compositum conflatum, sed tantummodo quemdam ordinem esse inter ipsos constitutum, atque ut Cicero ait (3), *vitæ quasi communitatem.*

555 Ad secundum negamus, ideas associatas differre à compo-

---

speciei intelligibilis, in quantum proponit nobis quædam signa intelligibilium intentionum, quas intellectus noster ab illis signis accipit, & recondit in seipso. Non est autem hic necesse impugnare sive Hartlejum in sua *Explicatione physica idearum*, sive de la Tourri *de vi attractiva idearum*, qui per attractionem Newtonianam putant explicare se posse associationem, sive conjunctionem idearum. Qui enim inter ideas attractio esse poterit, nisi constituatur, ideas esse modificationes materiæ? Quod si attractio metaphorice accipiatur, ut illam accipit S. Thomas 1. 2. q. 23. a. 4. ubi agens de motibus partis appetitivæ, ait, in ejusmodi partis motibus *bonum habere quasi virtutem attractivam*; id quidem admittimus, modo tamen sic intelligatur, ut quemadmodum voluntas trahitur ab objecto, ita intellectus trahat ad se objectum, *per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem*, ut loquitur S. Thomas 1. p. q. 27. a. 4.

(1) Potissimum vero ideæ compositæ pertinent ad secundam intellectus operationem, quam propterea S. Thomas 1. Poster. lect. 1. vocat *compositionem, vel divisionem intellectus.* Cum enim unum de altero enunciatur, ponitur inter ipsa connexio quædam & colligatio per copulam, quæ est veluti utriusque nexus.

(2) §. 545. Quare S. Thomas 4. con. Gen. c. 35. loquens de iis, quæ uniuntur secundum ordinem tantum, exemplum ponit exercitus, qui fit ex multis militibus, non enim vera compositio fit, cum multi milites uniuntur ad constituendum exercitum.

(3) 4. de fin 4.

positis penes vocabula duntaxat (1); ostensum est enim supra (2) revera extare in intellectu quasdam ideas rerum, quæ ordine tantum uniuntur, vel quæ præterea uniuntur compositione.

QUÆSTIO IX.

De ideis abstractis, & concretis.

556 Jam supra (3) meminimus duplicis abstractionis, naturæ scilicet à conditionibus materialibus & atributi ab attributo. Nunc tertiam addimus, abstractionem nempe formæ à subjeto. Concreta enim dicuntur illa, quæ duo significant, formam, & subjectum, v. g. *sapiens* significat sapientiam, & subjectum in quo est sapientia. Si subjectum seponimus, formam tantum consideramus; quæ idcirco dicitur abstracta; subjectum vero simul cum forma dicitur concretum (4). De his autem duo quæremus, 1. an

---

(1) Vide quam inter se connexa, & apta sint quæ Antonius Genuensis docet Art. Log. Crit. l. 2. c. 2. nam §. 6. non probans distinctionem inter ideas compositas, & associatas, ait: *Ego totam hanc rem ad vocabula pertinere puto.* Mox §. 8. dividit ideas compositas & associatas in naturales, & arbitrarias. *Ideæ*, inquit, *compositæ & associatæ dividi possunt in naturales, & arbitrarias.* Atqui si tota isthæc res ad vocabula pertineret; cum, ipso Genuensi fatente ibid. c. 8. §. 4. *nulla esse possint vocabula quæ suapte natura res significent.... & omnia sint aut fortuita, aut arbitraria, aut hominum placita*; jam universæ ideæ sive compositæ, sive associatæ, forent arbitrariæ, nec ullæ esse possent ideæ naturales tam compositæ, quam associatæ. Peccasset igitur ille in regulam divisionis, constituissetque in ideis compositis, & associatis ideas naturales, quas ipse dari non posse adfirmaret.

(2) §. 551. (3) §. 446.

(4) Concreta abstractis latius patent. *Sciendum*, inquit Damascenus Dialect. c. 51. *quale latius patere, quam qualitas. Nam quale, & qualitatem significat, & quod est ejus particeps: ut calidum calorem, & quod calorem habet.* Nihilominus abstracta in creatis plus esse, quam concreta, innuit S. Augustinus Tract. 39. in Joan. n. 7. cum explicans verba illa Joan. 8. v. 26. *Qui me misit, verax est*, scribit: » Pater verax, Filius veritas, quid putamus esse amplius? Cogi» temus, si possimus, quid est amplius, verax, an veritas? De qui» busdam quæramus: Pius homo plus est, an pietas? sed plus est ip» sa pietas: pius enim à pietate, non pietas à pio. Potest enim esse » pietas, etiamsi ille qui pius erat, factus est impius. Ipse perdidit pie» tatem, pietati nihil abstulit. Quid item pulcher, & pulchritudo? » Plus est pulchritudo, quam pulcher: pulchritudo enim facit pulchrum,

abstracta de concretis, vel concreta de abstractis prædicari possint. 2. an possint prædicari abstracta de abstractis.

ARTICULUS I.

Utrum abstracta de concretis, vel concreta de abstractis prædicari possint.

357 Prædicatio logice accepta distribui solet in identicam, materialem, & formalem. *Identica* dicitur, cum prædicatum, & subjectum sunt omnino idem tam re, quam ratione, ut si dicam: ensis est gladius. *Materialis* vocatur, cum prædicatum, & subjectum re quidem sunt unum, & idem, attamen ratione distinguuntur, seseque mutuo excludunt; ut si dicam: animalitas est rationalitas; nam utraque re ipsa est idem in homine, sed in utraque est notio omnino diversa. *Formalis* denique, de qua nunc agimus, est, cum prædicatum continet sub se subjectum; subjectum vero continet in se prædicatum, licet notio prædicati diversa sit à notione subjecti; ut cum dico: homo est animal; nam licet notio animalis diversa sit à notione hominis attamen homo continetur sub animali, & continet in se animal (1).

558 Videntur autem abstracta prædicari posse de concretis, & econtra, I. quidem, quia abstracta, & concreta non differunt, nisi penes diversum modum significandi. Ergo.

559 II. Licet animal sit veluti pars in definitione hominis, vere tamen de homine prædicatur. Ergo licet humanitas sit veluti pars hominis, potest tamen de ipso vere prædicari.

» non pulcher facit pulchritudinem. Castus, & castitas? Castitas pla» ne plus est, quam castus. Si enim castitas non esset, unde esset is» te castus non haberet ... Numquid dicturi sumus, plus veritas, quam » verax? Si hoc dixerimus, Filium incipiemus dicere Patre majorem ... » Filius veritas, Pater verax: quid plus sit quæro, sed æqualitatem » invenio. Verax enim Pater non ea veritate verax est, cujus partem » accepit, sed quam totam genuit."

(1) De hac formali prædicatione videtur loqui Cicero, cum 1. de leg. 29. scribit: » Quæcumque est hominis definitio, una in omnes va» let: quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in gene» re, quæ si esset, non una omnes definitio contineret."

Propositio. *In creatis neque abstracta de concretis, neque concreta de abstractis prædicari possunt.*

560 Probb. ex S. Thoma (1). In creatis concreta sive substantialia, sive accidentalia significant totum compositum ex forma, & subjecto; abstracta vero significant partem totius concreti, scilicet, solam formam, ut dictum est (2). Atqui neque pars prædicari potest de toto, neque totum de parte, ut supra diximus (3); cum enim unum affirmatur de altero, vere asseritur, unum esse alterum: falso autem asseritur, partem esse totum, vel totum esse partem; alioquin totum non esset majus sua parte. Itaque in creatis (4), neque abstracta de concretis neque concreta de abstractis prædicari possunt. Quare falsum est dicere hominem esse humanitatem (5);

---

(1) L. de Ente, & Essen. c. 7. (2) §. 556. (3) §. 506.

(4) In creatis, inquam; nam ut ostendit S. Thomas 1. p. q. 3. a. 3. cum loquimur de Deo, æque uti possumus nominibus concretis, & abstractis; concretis quidem, quia de rebus simplicibus non aliter loqui possumus, quam per modum compositorum à quibus cognitionem accipimus; abstractis vero, ut significemus ejus simplicitatem. Quapropter æqua dicere possumus, Deus est justus, sapiens, bonus; ac, Deus est justitia, sapientia, bonitas; cum enim in Deo nulla sit compositio, quidquid prædicatur de Deo, est ipse Deus. Hinc S. Augustinus Tract. 48. in Joan. n. 6. » Quomodo, *inquit*, vita Filius, & habens vitam Filius? Quod habet, hoc est: tu aliud es, aliud habes. » Verbi gratia, habes sapientiam: numquid tu es ipsa sapientia? Denique quia non es tu ipse quod habes, si amiseris, quod habes, redis ut non habeas: & aliquando resumis, aliquando amittis... Non » sic est Deus Dei Filius, non sic est Verbum Patris ... Sic habet sapientiam, ut ipse sit sapientia, faciatque sapientes, sic habet vitam, » ut, sit ipse vita, faciatque viventes.“ Et S. Bernardus serm. 80. in Cant. n. 3. » Anima, & animæ magnitudo, etsi inseparabiles, diversæ tamen ab invicem sunt. Quomodo non diversæ, cum hæc in subjecto, illa subjectum, & substantia sit? Sola summa & increata natura, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vindicat meram singularemque suæ essentiæ simplicitatem ... Nempe in semet manens, quod » habet est, & quod est, semper, & uno modo est.“ Et n. 7. » Si » quid itaque de Deo proprie dici possit, rectius congruentiusque dicetur, Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, quam Deus est » magnus, bonus, justus, aut sapiens.“

(5) » Id quod est homo (inquit S. Thomas loc. cit.) habet in se » aliquid, quod non habet humanitas: & propter hoc non est totaliter idem, homo, & humanitas; sed humanitas significatur ut pars for-

aut humanitatem (1) esse hominem : sicut falsum esse dicere, sapientem esse sapientiam; aut sapientiam esse sapientem.

» malis hominis." Idipsum & Damascenus docet l. adv. Jacobitas n. » 14." Quidnam est, *inquit*, divinitas? quid rursus humanitas? Subs» tantia, an accidens? natura, an hypostasis? credo dicetis substan» tiam, & naturam. Nam quod neutrum sit accidens, nemini non ma» nifestum est. Quod autem nec hypostasis sit, satis antehac osten» sum fuit. Nam si nomen divinitatis, & nomen humanitatis hypos» tasim significant, dicere possis tres divinitates propter tres hypostа» ses, atque infinitas humanitates propter infinitam hypostasium mul» titudinem, aut hypostasim in hypostasibus esse."

(1) Agens Lockius Essai &c. l. 3. c. 8. de ideis abstractis, & concretis, atque expendens, utrum in substantiis reperire sit nomina aliqua abstracta : » Quant, *inquit*, à nos idées des substances, elles n'ont » que peu de noms abstraits, ou plutôt elles n' en ont absolument point. » Car quoique les Ecoles ayent introduit les noms d' *Animalité* d' *Hu*» *manité*, de *Corporéité*, & quelques autres; ce n' est rien en com» paraison de ce nombre infini de noms de substances auxquels les Scho» lastiques n' ont jamais été assez ridicules pour joindre des noms abs» traits : & le petit nombre qu' ils om forgé, & qu' ils ont mis dans » la bouche de leurs Ecoliers, n' a jamais pu entrer dans l' usage ordi» naire, ni être autorisé dans le Monde ... Et en effet ce ne fut que la » doctrine des *formes substantielles*, & LA CONFIANCE TEMERAIRE de cer» taines personnes, destituées d' une connoissance, qu ils prétendoient » avoir, qui firent premierement fabriquer & ensuite introduire les mots » d' *Animalité*, & d' *Humanité*, & autres semblables, qui cependant n' » allerent pas bien loin de leurs Ecoles, & n' ont jamais pu être de mise » parmi les gens raisonnables. Je sai bien que le mot *humanitas* étoit » en usage parmi les Romoins, mais dans un sens bien différent; car » il ne signifioit pas l' essence abstraite d' aucune substance. C' étoit le » nom abstrait d' un *Mode*, son concret étant *humanus*, non pas *homo*." *Quod pertinet ad nostras ideas substantiarum, eæ nonnisi paucæ sunt nominum abstractorum, imo ne omnino quidem sunt. Nam licet Scholæ induxerint nomina* Animalitatis, Humanitatis, Corporeitatis, *& alia quædam; id pro nihilo est habendum, si comparetur cum infinito numero nominum substantiarum, quibus Scholastici non ita fuere ridiculi, ut nomina abstracta ponerent : exiguus autem ille numerus, quem ipsi invenerunt, & suis tradidere discipulis, numquam potuit in communem usum transire, neque esse in mundo auctoritate probatum ... Ac revera non alia quam doctrina formarum substantialium, & temeraria fiducia quarumdam personarum cognitione destitutarum, quam habere præsumunt, causa fuit, quæ primum extruxit, induxit postea nomina* Animalitatis, & Humanitatis, *aliaque similia, quæ interea nec longe ab eorum Scholis abfuerunt, nec umquam*

561 Ad primum neg. cons. Nam ex eo quod abstractum

---

recepta fuere inter gentes ratione utentes. Equidem scio, verbum humanitas *usitatum fuisse apud Romanos, sed sensu longe diverso; non enim significabat essentiam abstractam cujusdam substantiæ; sed erat nomen abstractum cujusdam modi, cujus concretum erat humanus, non autem homo.* Hæc quidem Lockius pro sua in Scholasticos benignitate. Scilicet:

Vanus stolidis hæc omnia parturit error.

Itaque non putat ille, in substantiis aliquod esse nomen abstractum, & si quæ pauca sunt, ea esse ab Scholasticis invecta, veluti *animalitatem, humanitatem, corporeitatem*, atque hæc insuper Scholarum fines numquam pertransisse, nec in vulgarem usum recepta, aut reliquorum fuisse auctoritate probata. Quæso, utrum hæc nomina, *abstractum*, & *concretum* transierint in communem hominum usum, & in Mundo fuerint passim ab omnibus auctoritate probata. Idem de philosophicis quibusque nominibus peto. Idem de nominibus cujuscumque artis. *Et Dialectici, & Physici*, inquit Cicero 3. de fin. *verbis utuntur iis, quæ ipsi Græciæ nota non sunt; Geometræ vero, Musici, Grammatici etiam more quodam loquuntur suo. Item ipsæ Rhetorum artes quæ sunt totæ forenses, atque populares, verbis tamen in dicendo quasi privatis utuntur, ac suis. Atque ut omittam has artes elegantes, & ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi.* Eruntne repudianda tam multa verba, propterea quod à communi loquendi consuetudine remota sunt? Quæ est igitur hæc Lockii consequutio; nomina abstracta in substantiis vulgari usu non sunt recepta; itaque nulla sunt? Sed ille addit, Scholasticos haud potuisse invenire nomina abstracta, quibus infinitus pene substantiarum numerus significaretur, ne ridiculi evaderent, Scolastici autem, sicuti animalitatem, humanitatem, corporeitatem non verentur dicere, ita nec gravate ferent nominа equinitatis, leonitatis, petreitatis, hæcceitatis, &c. Subsannant juniores Philosophi: sed eorum delectamus jocis. Laërtium audiant de Diogene Cynico hæc scribentem: » Diogenes Cynicus, Platone de ideis » disserente, & nominante mensalitatem, & cyathitatem: Equidem (inquit) ò Plato, mensam, et cyathum video: mensalitatem vero, & » cyathitatem nequaquam video. Recte (inquit Plato) oculos enim, » quibus mensa cyathusque conspicitur, habes: mentem vero, qua mensalitas, & cyathitas videtur, non habes.“ Porro si ad significandam Appii, ac Lentuli nobilitatem Ciceroni dicere licuit 3. Famil. 7. *Appietatem*, & *Lentulitatem*; si idem Cicero 9. Attic. 12. scripsit: *syllaturit animus ejus, & proscripturit jamdiu*: Scholasticine peccabunt, quod in substantiis abstracta ponant? Anne Appius, Lentulus, Sylla substantiæ non erant?

differt à concreto penes diversum modum significandi, sequitur, non posse invicem prædicari; abstractum enim ex modo significandi se habet ut pars, concretum vero ut totum.

Verum, addit Lockius, doctrina formarum substantialium, & *temeraria* quædam *fiducia* nonnullorum, qui scire sibi arrogant, quæ ignorant, primæ extiterunt causæ cudendi, inducendique nomina *animalitatis*, & *humanitatis*; nam ceteroqui *humanitas* Latino sermone nullius substantiæ essentiam, sive naturam abstractam significat. En Lockius ex Philosopho Grammatici personam induit. Sed vide quam imperite. Si vel Ciceronianum Lexicon adiisset, invenisset profecto, *humanitatem* à Cicerone quandoque acceptam pro natura humana, quandoque pro comitate, urbanitateque, quandoque etiam pro eruditione, & doctrina. Videri potest Gellius l. 13. c. 16. ubi de vocabulo *humanitatis* agit. Ita Lockius qui aliis ignorantiam exprobrat, ostendit quam minimum fuerit in litteris latinis exercitatus. Quod de doctrina formarum substantialium habet, ad rem non pertinet; sive enim formæ substantiales sint, sive non sint, mens potest naturam animalis, atque hominis abstracte cognoscere; quemadmodum sive accidentia, vel modi reipsa distinguantur à substantia, sive non distinguantur (quod alterius loci est investigare) mens, ipso Lockio fatente loc. cit. potest abstracta eorum cognoscere, v. g. albedinem, dulcedinem, æqualitatem &c. Lockius ergo peccat adversus Dialecticæ regulas, dum non causam pro causa adsumit.

Multo magis peccat, cum illos qui ad exprimendam naturam hominis, *humanitatis* nomen adhibent, traducit veluti temerarios novatores venditantes scientiam, qua carent. Ipse (uti scribit Petrus Coste in ejus Elogio præfixo Versioni Gallicæ Operis de intellectu humano an. 1755.) non nisi postremis vitæ suæ annis doctrinæ rerum sacrarum animum applicuit, immo ne rite quidem applicuit, uti ejus Epistolæ de *Tolerantismo*, & opus de *Christianismo rationali* ostendunt; & nihilominus Theologos lacessere, & Patres Ecclesiæ traducere audet tamquam *temerarios*, ostentatoresque doctrinæ, qua sunt destitut. Ecquis enim vel minimum versatus in Patrum, Theologorumque sententiis ignorat, quam illi sæpissimè tam ante, quam post exortas hæreses Nestorianam, & Eutichianam voce *humanitatis* usi sint ad designandum in Christo Domino naturam humanam adsumptam? Videatur Nazianzenus Orat. 36. *Quæ autem*, inquit, *humanitatis* ἀνθρωποτητος *à Deo propter nos susceptæ causa extitit*? Et paulo post: *Quod cum causa conjunctum invenimus, id humanitati adsignandum, quod autem simplex causæque expers, divinitati adscribendum.* Qua ratione occurrit Arianis, & Eunomianis objicientibus adversus Christi Divinitatem illud Prov. 8. *Dominos creavit me in initio viarum suarum*, quod sit intelligendum de Christi humanitate. Vide etiam S. Cyrillum Alex. in Actis Concilii Ephesini pag. 139. Edit.

562 Ad secundum dicendum, animal comparari ad hominem ut totum, non ut partem, quemadmodum supra (1) diximus; licet consideretur ut pars, quatenus per differentiam contrahitur. Animal enim non solum dicit formam, sed etiam id cujus est forma. At vero humanitas solum est forma; ideoque numquam potest induere rationem totius.

ARTICULUS II.

Utrum abstracta prædicari possint de abstractis.

563 Videntur posse prædicari, I. quia sicut se habet animal ad hominem, ita animalitas ad humanitatem. Sed animal prædicatur de homine. Ergo & animalitas de humanitate.

564 II. Sicut animal est genus respectu suorum inferiorum, ita & animalitas. Ergo sicut animal, ita & animalitas de inferioribus prædicari posunt.

Propositio. I. *In accidentibus abstracta de abstractis prædicari possunt.* II. *Secus in substantiis.*

565 Prob. utraque pars ratione S. Thomæ (2). Genus vere de speciebus prædicatur, & species de individuis. Atqui in accidentibus abstracta habent rationem generis, & speciei, non vero concreta; è contra in substantiis rationem generis & speciei habent concreta, secus abstracta. Siquidem in substantiis, ex materia, & forma fit unum per se, una quadam natura ex earum conjunctione resultante; in accidentibus vero ex forma & subjecto non fit unum per se, neque ex eorum conjunctione una quædam natura consurgit. Itaque in accidentibus abstracta de abs-

---

Paris. an. 1671. ubi explicans verba Apostoli 2. Cor. 2. v. 14. *Christi bonus odor sumus Deo*: „Quemadmodum, *ait*, humanitatis ἀνθρωποτητος odor plane hominem, ita divinitatis θεότητος odor „Deum indicat.“ Confer item S. Athanasium apud Euthimium in Panoplia p. 1. tit. 9. Petrum Diaconum l. de Incarnatione c. 5. Sophronium in Synodica Act. 11. Syn. sextæ. Si hos aliosque plurimos doctissimos Ecclesiæ Patres Lockius inter Scholasticos recensebit, Scholastici bene habebunt. Sed numquam ferent, ut tot tantaque sapientiæ lumina traducantur velut *temerarii* novatores, inscii, scientiamque ostentantes.

(1) 512. (2) L. de Ente, & Essen. c. 7.

tractis prædicari possunt, minime vero in substantiis (1). Quapropter affirmare recte possumus, prudentiam v. g. esse virtutem, intellectum esse animæ facultatem, potentiam esse vim agendi &c. quæ omnia abstracta sunt, non recte autem diceremus, animalitas est humanitas vel humanitas est rationalitas.

566 Ex quibus consequitur; in substantiis genus, & spe-

(1) Hæc si scivisset Lockius, haud scripsisset Essai &c. l. 3. c. 8. §. 1. „C' est ce que nous voyons dans l' usage ordinaire des langues, „*qui ne permet pas que deux termes abstraits, ou deux noms d'* „*idées abstraites soient affirmés l' un de l' autre.* Car quelque affinité „qu' il paroisse y avoir entr' eux, & quelque certain qu' il soit, par „exemple, qu' un homme est un animal, qu' il est raisonnable, qu' il „est blanc &c. cependant chacun voit d' abord la fausseté de ces pro„positions, l' *Humanité* est *Animalité*, ou *Raisonabilité*, ou *Blan„cheur.* Cela est d' une auſſi grande évidence qu' aucune des maximes „les plus généralement reçues. Toutes nos affirmationis roulent donc „uniquemen sur des idées concretes." *Hoc illud est, quod in communi linguarum usu videmus, qui non sinit; ex duobus terminis abstractis aut ex duobus, nominibus idearum abstractarum, unum de altero affirmari. Nam quæcumque esse inter illa videatur affinitas, & quamlibet certum sit, v. g. hominem esse animal, esse rationalem, esse album; quisque tamen statim videt falsitatem harum propositionum*, Humanitas, est animalitas, *aut* rationalitas, *aut* albedo. *Idque est æque evidens, ac quæcumque effata communissime recepta. Omnes igitur affirmationes nostræ unice versantur circa ideas concretas.* Ex Lockio igitur, quæcumque affirmatio unice versatur circa ideas concretas, nec umquam contingere potest, ut ex duobus nominibus idearum abstractarum unum possit affirmari de alio. Petimus autem abs Lockio, utrum ideæ, & nomina *qualitatis*, *frigoris*, *caloris*, & *soliditatis* sint abstracta, vel concreta. Concreta non dicet, alioqui non essent simplices ideæ; ipse autem illas inter simplices ponit ib. l. 2. c. 3. §. 1. Si autem ideæ illæ abstractæ sunt; idearum vero abstractarum una non potest de alia affirmari, cur Lockius ib. affirmat, *le plus considérables des Qualités tactiles sont le froid, le chaud, & la solidité? Inter qualitates tangibiles, digniores animadversione sunt frigus, calor, & soliditas.* Nonne aperte sibi contradicit, cum docet fieri non posse, ut una idea abstracta de alia affirmetur; & nihilominus affirmat, frigus, calorem, & soliditatem esse qualitates tactum afficientes? Præterea nomina soliditatis, & duritiei sunt abstracta; & tamen ipse Lockius affirmat ib. c. 4. §. 4. *que la solidité diffère de la dureté: soliditatem differre à duritie.* Ille nimirum lapsus in hæc absurda fuit, quia Scholasticos spernens, non animadvertit differentiam intercedentem inter ideas & nomina accidentium & substantiarum; quodque in substantiarum tantummodo ideis & nomi-

ciem prædicari debere de inferioribus in concreto, ut cum dico, Homo est animal, Petrus est homo. In accidentibus vero genus & speciem prædicari debere in abstracto, ut cum dico albedo est color; hæc enim propositio album est coloratum non est revera generis de specie; siquidem album non solum dicit albedinem, sed etiam ejus subjectum; albedo autem exprimit solam essentiam talis coloris.

567 Consequitur item, in substantiis differentiam, proprium, & accidens prædicari debere in concreto de suis inferioribus. Sic dicitur, homo est rationalis, risibilis, albus; dici vero non potest, homo est rationalitas, risibilitas est albedo. Nam differentia, proprium, & accidens prædicantur de speciebus: species vero in substantiis accipiuntur in concreto: de concretis autem abstracta prædicari non possunt, ut dictum est (1).

568 Ad primum neg. maj. nam animal se habet ad hominem tanquam totum, ut supra diximus (2); animalitas vero significatur tamquam pars concreti, scilicet amimalis.

569 Ad secundum neg. ant. Hoc enim ipso quod animalitas significatur ut pars, nequit esse genus.

QUÆSTIO X.

De Ideis completis, & incompletis.

570 Quia, ut ait S. Thomas (3), *omnia nomina à nobis imposita ad significandum aliquid completum subsistens, significant in concretione, prout competit compositis: quæ autem imponuntur ad significandas formas simplices, significant aliquid, non ut subsistens, sed ut quo aliquid est, sicut albedo significat ut quo aliquid est album*; idcirco post tractationem de ideis abstractis, & concretis tractationem subjicimus de ideis completis, & incompletis (4).

---

nibus locum habet, extendit universim ad omnes ideas, & nomina abstracta. (1) §. 560. (2) §. 512. (3) 1. p. q. 13. a. 1. ad 2.

(4) Juniores Philosophi ideas completas vocant *adæquatas*, incompletas vero *inadæquatas*. Falluntur tamen; nam dari possunt ideæ completæ quæ sint inadæquatæ. Adæquatum enim, & inadæquatum in ideis dicitur relative ad intellectum, ita ut idea repræsentans objectum quod explet totam capacitatem intellectus, dicatur adæquata, ut idea entis, & veritatis in communi; idea autem repræsentans objectum, quod non explet totam capacitatem intellectus, ut idea substantiæ, vel accidentis, aut hujus, vel alterius veritatis, dicatur inadæquata. Si autem adæquatio, vel inadæquatio idearum referatur ad objecta re-

Completa est idea totius; incompleta est idea partis componentis totum (1). De his autem quæremus 1. an completæ sint ideæ accidentium. 2. an sint completæ ideæ substantiarum.

---

præsentata, non negamus, ideas adæquatas esse quæ totum objectum, inadæquatas quæ partem distincte repræsentant. Vide S. Thomam 1. p. q. 12. a. 7. atque inde cognosces, quam falso scripserit Heinecius Log. §. 27. doctrinam hanc nos debere Leibnitio.

(1) Lockius Essai &c. l. 2. c. 31. §. 1. ideas completas appellat quæ perfecte repræsentant prototypos; contra incompletas vocat eas, quæ non repræsentant nisi partem prototyporum ad quos referuntur. Si de perfectione essentiali id Lockius intelligat, libenter admittimus. Si autem intelligat de perfectione accidentali, id valde negamus; sequeretur enim, vix reperiri posse ideam aliquam completam; quandoquidem in unaquaque re sunt pene infiniti respectus, & modi quibus ad alias referri potest; pleræque etiam sunt proprietates, & notæ, quas omnes perfecte scire vix, aut ne vix quidem cuiquam mortalium datum est.

Genuensis autem definiens ideas adæquatas, & inadæquatas Art. Log. Crit. l. 2. c. 2. §. 10. *Primæ*, inquit, *sunt quæ exhibent clare, & distincte omnes objecti partes, proprietates, notas: secundæ vero, quæ non omnes exhibent.* Addit porro de ideis abstractis: *ideæ hujusmodi sunt semper adæquatæ.* Rationem reddit, quia *objecta idearum abstractarum sunt ut plurimum ipsæ ideæ.* Addit præterea, hujusmodi esse *ideas Geometricarum, & Arithmeticarum rerum*, v. g. *objecta idearum circuli, & quadrati sunt ipsæ ideæ circuli, & quadrati.* Quis hæc intelliget? Nam 1. si omnes partes, proprietates, notæ clare & distincte exhibendæ sunt, ut idea sit adæquata, ecquæ in mente nostra idea erit adæquata? quæ est enim idea, quæ unico veluti adspectu exhibere hæc omnia possit? 2. si idcirco ideæ abstractæ, sunt adæquatæ, quia ipsæ ideæ sunt idearum objecta, cur Genuensis affirmat, illas *semper* esse adæquatas, cum eodem tempore contestetur, eas *ut plurimum* esse idearum objecta? Si *ut plurimum*, igitur *non semper*; vel non ideo sunt adæquatæ, quia sunt idearum objecta. 3. quis poterit assequi, objecta idearum abstractarum esse ipsas ideas? Objecta idearum, teste eodem Genuensi §. cit. sunt illa ad quæ *ideæ referuntur.* Si ergo ipsæ ideæ abstractæ essent objecta earumdem idearum, ideæ abstractæ referrentur ad seipsas; essent igitur subjectum, & terminus ejusdem relationis. Jam vero subjectum, & terminus relationis relative opponuntur. Igitur ideæ abstractæ, si essent ipsa idearum objecta, seipsis relative opponerentur. 4. Si ideæ rerum Geometricarum sunt adæquatæ, quia abstractæ, cur non item ideæ abstractæ aliarum rerum? 5. si ideæ *circuli*, & *quadrati* sunt adæquatæ: adæquatæ vero ideæ sunt, quæ *clare & distincte exhibent*

ARTICULUS I.

Utrum ideæ accidentium, sive modorum sint completæ.

571 Affirmat Lockius *Essai* &c. l. 2. c. 31. §. 3. & videtur ita dicendum, I. quidem quia ideæ modorum sunt simplices. Atqui omnes ideæ simplices sunt adæquatæ, & completæ; cum enim sint effectus potentiarum, quas Deus in rebus constituit ad producendum has, vel illas sensationes in nobis, debent perfecte respondere hujusmodi potentiis. Ideæ igitur modorum completæ sunt.

572 II. Ideæ modorum complexorum pendent ab anima, quæ plures ideas simplices simul conjungit, non respiciendo ad archetypos reales, & actu existentes. Ergo tantam habent perfectionem quantam ab anima receperunt. Sunt igitur omnes perfectæ, adeoque completæ.

---

omnes objecti partes, proprietates, notas; ideæ igitur circuli, & quadrati clare & distincte exhibebunt omnes partes, proprietates, notas circuli, & quadrati. Satis ergo erit habere ideas circuli, & quadrati ad cognoscendas clare, & distincte omnes partes, proprietates, notas circuli, & quadrati; nam quod clare, & distincte exhibetur in ideis, clare, & distincte cognoscitur. Erit ergo perfectus Geometra, qui circuli, quadrati, & aliarum figurarum Geometricarum definitiones tenet; is enim earum figurarum habens ideas abstractas, ideoque adæquatas, jam novit omnes proprietates, & notas earumdem figurarum. Quid autem requiritur, ut sit quis perfectus Geometra, nisi ut figurarum geometricarum propietates, & notas, sive potestates compertas habeat? Sed inquiet Genuensis, ideæ illæ abstractæ ideo sunt adæquatæ, quia *tantum exhibent, quantum cogitamus*. Mirum! Non ergo ideæ adæquatæ sunt quæ omnia exhibent, partes, proprietates, notas. Sufficiet, ut tantum exhibeant, quantum cogitamus, scilicet, si cogitamus unam partem, vel unam proprietatem, vel unam notam, idea exhibens illam partem, proprietatem, notam, adæquata erit. Itaque omnis idea adæquata erit. Sed longior evaderet hæc adnotatio, si omnia vellemus persequi absurda, quæ paucis lineis Genuensis est complexus.

Propositio. *Ideæ accidentium, sive modorum sunt omnes incompletæ.*

573 Prob. ratione S. Thomæ : Omnia accidentia, & modi sunt formæ quædam, substantiæ superadditæ; accidentia enim, & modi comparantur ad subjectum, ut actus ad potentiam (1). Atqui omnis formæ idea est incompleta; omnis quippe forma comparatur ut pars ad id cujus est forma. Ideæ igitur accidentium, & modorum sunt incompletæ.

574 Præterea. Accidentia, & modi per se non sunt, sed insunt substantiæ, & per substantiam definiuntur; quid enim aliud est accidens, quam ens accedens substantiæ, seu substantiæ inhærens? & quid aliud est modus, quam modificatio substantiæ? Ideæ ergo accidentium, & modorum repræsentant aliquid quod per se ipsum non est : quod autem per se ipsum non est, quomodo in sua idea erit completum (2) ?

575 Ad primum dist. min. ideæ simplices repræsentantes totum, sunt adæquatæ, & completæ, conc. repræsentantes partem, nego. Cum accidentia, & modi sint formæ, ut dictum est (3), eorum ideæ, licet simplices, nequeunt esse adæquatæ, & completæ (4). Ratio autem, quam Lockius adhibet, si quid

---

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 3. a. 6. Ex quo principio Patres ostendunt, nulla accidentia in Deo esse. Confer S. Athanasium Orat. 5. Nysseum l. 1. con. Eunom. S. Augustinum l. 5. de Trin. c. 1. & S. Fulgentium Inquis. 2. ad Ferrand.

(2) Vide S. Thom. 9. Metaph. lect. 1. ubi ostendit, ad substantiam omnia referri, *quia omnia alia entia, scilicet, qualitas, quantitas, & hujusmodi, dicuntur secundum rationem substantiæ. Et hoc patet ex hoc quod omnia accidentia habent rationem substantiæ, quia in definitione cujuslibet accidentis oportet ponere proprium subjectum, sicut in definitione simi ponitur nasus.*

(3) §. 573.

(4) S. Thomas 7. Metaph. lect. 1. *Videntur*, inquit, *accidentia in abstracto significata, esse non entia, quia nihil ipsorum est aptum natum secundum se esse, immo cujuslibet eorum esse est alteri inesse . . . . Et ideo quando significantur in abstracto, quasi sint secundum se entia, & à substantia separata, videtur, quod sint non entia. Licet modus significandi vocum non consequatur immediate modum essendi rerum, sed mediante modo intelligendi, quia intellectus sunt similitudines rerum, voces autem intellectuum ... Licet autem modus essendi accidentium non sit ut per se sint, sed solum ut insint;*

probaret, probaret utique, ideas simplices nihil differre à sensationibus; si enim ideo sunt completæ, quia sunt effectus potentiarum à Deo constitutarum ad producendum sensationes, per quas potentiis perfecte respondent; quis non videt, ideas simplices esse ipsasmet sensationes? Cum autem ex eodem Lockio *Essai &c. l.* 2. *c.* 11. §. 6. compositio idearum fiat per unionem plurium idearum simplicium, consequitur ex principiis Lockii, universas ideas tam simplices, quam compositas, sensationes esse. Sunt autem ex ejusdem Lockii principiis *ib. c.* 8. §. 8. ideæ indistinctæ à perceptionibus. Igitur omnes nostræ perceptiones essent sensationes. Sensationes autem sunt effectus potentiarum, quæ materiam non excedunt. Vide nunc consequutionem. Igitur perceptiones sunt effectus potentiarum materiam non excedentium. Nullum est igitur in homine principium intrinsecum percipiens, quod materiam excedat. En destructa animæ spiritualitas (1).

---

intellectus tamen potest ea per se intelligere, cum sit natus dividere ea, quæ secundum naturam conjunctæ sunt; & ideo nomina abstracta accidentium significant entia, quæ quidem inhærent, licet non significent ea per modum inhærentium. Et post pauca: » Quia acci-» dentia non videntur entia, prout secundum se significantur, sed so-» lum prout significantur in concretione ad substantiam, palam est, » quod singula aliorum entium sunt entia propter substantiam. Et ex » hoc ulterius apparet, quod substantia est ens simpliciter, & non » ens secundum aliquid, sicut est in accidentibus. Esse enim album » non est simpliciter esse, sed secundum quid. Quod ex hoc patet, » quia cum incipit esse albus, non dicimus, quod incipiat esse sim-» pliciter, sed quod incipiat esse albus. Cum autem Socrates incipit » esse homo, dicitur simpliciter, quod incipit esse; unde patet quod es-» se hominem, dicit esse simpliciter. Esse autem album significat es-» se secundum quid."

(1) Addimus, non recte concludi ex Lockii principio, omnes nostras ideas simplices esse completas. Nam etiam admissis certis illis potentiis constitutis à Deo in rebus ad producendas in nobis tales, vel tales sensationes (Jam non soli Scholastici ad potentias innominatas sese recipiunt. Quidni vero constituta erit in mente potentia quædam sive intellectus agens ad tales, vel tales ideas producendas?) nonne hujusmodi potentiæ aliquando impediri poterunt, ne sensationes producant omnino conformes, & respondentes iisdem potentiis? Saccarum, (ut Lockii exemplo utamur) producit in nobis ideas albedinis, & dulcedinis, & nihilominus aliquando infirmis saccarum videtur amarum. Eritne in saccaro potentia ad producendam amaritudinem? Sensationes ergo non semper perfecte respondent potentiis, quas

576 Ad secundum neg. ant. cum enim omnes nostræ ideæ per sensus acquirantur, ut supra ostendimus (1), & ipse Lockius affirmat, fieri non potest, ut plures ideæ simplices simul conjungantur, quin mens respiciat ad archetypos reales. Certe si Lockio fatente, ideæ simplices referuntur ad archetypos reales, hoc est, ad potentias in rebus exstantes ad producendas sensationes; non apparet, cur eædem ideæ simplices simul conjunctæ, ad eosdem archetypos conjunctim referri non debeant. Quod si nullo modo ad eos referrentur, essent omnino confictæ. Quis autem intelliget, ideas omnino confictas, posse esse completas, ita ut nihil ipsis desit, quo perfectæ sint (2)?

Lockius statuit. Quomodo ergo simplices ideæ semper erunt completæ, ex hoc quod potentiis illis sunt perfecte conformes?

(1) §. 338. sqq.

(2) Animadvertas, quæso, quam acutus ratiocinator fuerit Lockius; nam l. 2. c. 31. §. 1. ait: » J' appelle idees completes celles qui repré-» sentent les Originaux d' où l' Esprit suppose qu' elles sont tirées, qu' il pretend qu' elles représentent, & auxquels il les rapporte." *Ideas completas appello illas quæ archetypos repræsentant; unde spiritus putavit, illas esse acceptas, quosque vult per illas repræsentari, & ad quos illas refert.* Ibidem vero §. 3. de ideis complexis modorum scribit, illas esse completas » parce que n'etant pas regardées comme des » copies de choses réellement existantes, mais comme des archétypes » que l' Esprit forme pour s' en servir à ranger les choses sous certaines » dénominations." *Cum non considerentur veluti exemplaria rerum realiter existentium, sed tamquam archetypi, quos spiritus format, ut iis utatur ad res ordinandas sub certis denominationibus.* Si ideæ completæ sunt quæ repræsentant archetypos, *unde spiritus putavit, illas esse acceptas*; quomodo ideæ complexæ modorum erunt completæ? nam si ipsæ sunt *archetypi quos spiritus format*; igitur non repræsentant archetypos, unde *spiritus putavit, illas esse acceptas.* An fortasse archetypi quos spiritus format, erunt accepti ab aliis archetypis? Sed hi archetypi à quibus illi alii archetypi erunt accepti, vel erunt à spiritu formati, vel secus? Si formati erunt à spiritu, rursus quæremus, an sint accepti ab aliis archetypis à spiritu formatis, & ita porro in infinitum? Si autem archetypi à spiritu formati, non sunt accepti ab aliis archetypis à spiritu formatis; igitur vel ideæ complexæ modorum non sunt completæ, vel ideæ completæ non sunt illæ quæ repræsentant archetypos, unde spiritus putavit, illas esse acceptas.

ARTICULUS II.

Utrum ideæ substantiarum sint completæ.

577 Videntur autem esse incompletæ (1), I. quia tantum abest, ut essentiæ reales substantiarum sint completæ, quin sint nobis omnino incognitæ. Ergo.

578 II. Ideæ substantiarum quas habemus, nihil aliud sunt, quam collectio idearum simplicium, quæ tam multæ, & diversæ sunt, ut nemo possit comprehendere universam illam collectionem in idea substantiæ, quam sibi format. Sunt igitur ideæ substantiarum omnes incompletæ.

Propositio. I. *Omnis idea substantiæ, quæ totam repræsentat essentiam substantiæ in concreto, completa est*; II. *incompleta vero, quæ partem essentiæ substantiæ*, III. *vel ipsam essentiam in abstracto repræsentat.*

579 Prob. 1. p. Idea substantiæ repræsentans totam essentiam substantiæ in concreto, includit suppositum; cum enim dico, *Homo*, significo suppositum habens humanitatem. Atqui essentia substantiæ includens suppositum est completa, quia suppositum est id quod complet naturam in ratione substantiæ (2). Idea igitur substantiæ repræsentans totam essentiam substantiæ in concreto, completa est.

580 Prob. 2. p. Idea partis est incompleta, quandoquidem completa est idea totius. Incompleta est igitur idea, quæ repræsentat partem essentiæ substantiæ. Sic idea repræsentans ani-

(1) Ita censet Lockius Essai l. 2. c. 31 §. 6. sqq.

(2) Vide Damascenum *De natura composita* n. 5. ubi Acephalis objicientibus: *Si duas in Christo essentias ponitis, duas itidem hypostases personasque statuatis oportet*, respondet: » Nos vero nullam quidem essentiam esse dicimus sine hypostasi, nullamque naturam sine » persona; natura quippe, & essentia in hypostasibus, & personis » considerantur: at essentia ipsa nullatenus est hypostasis, neque natura est persona. Nam si substantia, & natura idem sunt ac hypostasis, omnino necessarium est, ut in Sancta Trinitate, quemadmodum essentiam unam, unamque naturam dicimus, sic unam quoque » hypostasim, & personam unam confiteamur, &c.«

mam rationalem, vel corpus humanum est completa relate ad hominem, quia tam anima rationalis, quam corpus humanum sunt partes hominis.

581 Prob. 3. p. Essentia substantiæ in abstracto significatur ut pars, quemadmodum supra diximus (1). Sed idea partis est incompleta. Incompleta est igitur idea repræsentans essentiam substantiæ in abstracto.

582 Ad primum dist. sunt nobis incognitæ secundum se, concedo; per differentias accidentales, nego. Ita respondet S. Thomas (2), cum docet, quod non solum in substantiis separatis, sed *in rebus sensibilibus etiam ipsæ differentiæ essentiales nobis ignotæ sunt, unde significantur per differentias accidentales, quæ ex essentialibus oriuntur, sicut causa significatur per suum effectum* (3).

583 Ad secundum neg. ant. licet enim ex collectione earundem, vel diversarum proprietatum colligamus, substantias esse ejusdem, vel diversæ speciei, essentia tamen substantiæ in ea collectione minime possita est; v. g. ex eo quod in auro proprietates videam diversas à proprietatibus ferri, cognosco essentiam auri diversam esse ab essentia ferri, sed hæc diversitas essentiarum non consistit in ea diversitate proprietatum.

QUÆSTIO XI.

De Univocis, Æquivocis, Analogis, & Denominativis.

584 Antequam Aristoteles ad Categorias progrediatur, quasdam *Protheorias*, sive principia, & definitiones ponit Geometrarum more; quæ quidem *Protheoriæ*, quæ in Scholis *Anteprædicamenta* vocari solent, quinque numerantur. Prima est de univocis, æquivocis, analogis, & denominativis (4). Altera

---

(1) §. 560. not. *id quod.* (2) L. de Ente, & Essen. c. 6.

(3) Si autem, ut Lockius habet *loc. cit.* essentiæ reales substantiarum essent omnino incognitæ, illarum ideæ ne incompletæ quidem forent. Dum ergo conciperem, hominem esse animal ratione præditum, nihil reale conciperem. Si autem illæ sunt omnino incognitæ, quomodo potuit Lockio constare illas non esse completas?

(4) Confer Cassiodorum l. de art. & discip. liber. litt. c. 3. ubi scribit: „Organa, vel instrumenta Categoriarum, sive Prædicamentorum „sunt æquivoca, univoca, denominativa.“ Siquidem Categoriæ referri possunt, vel ad ens quod dividunt; vel ad inferiora, de quibus præ-

est de complexis, & incomplexis. Tertia, & quarta continent duo principia, quorum primum est: *Cum aliquid prædicatur de subjecto, quidquid realiter dicitur de prædicato, dicitur etiam realiter de subjecto.* Secundum. *Duorum generum, quorum unum sub altero non collocatur, diversæ sunt differentiæ. In generibus autem, quorum unum sub altero continetur, eædem sunt differentiæ.* Quinta demum Protheoria est de conditionibus requisitis, ut aliquid collocari in Categoriis possit. Sunt autem hæ conditiones, 1. ut sit ens reale; de his enim Categoriæ ab Aristotele instituuntur. 2. ut sit incomplexum; quod enim est multiplicis essentiæ ad diversas Categorias pertinet. 3. ut sit ens completum; partes quippe reducuntur ad totum. 4. ut sit genus, vel species: nam differentiæ reducuntur ad species. 5. ut sit ens finitum, quia ens infinitum sub nullo genere continetur, ut dictum est (1).

585 His animadversis, quæremus 1. de analogia, quotuplex sit. 2. de ejus utilitate. 3. de quinque universalibus, an sint analoga, vel univoca. 4. de entis. 5. & accidentis analogia. 6. de denominativis, & denominationibus.

ARTICULUS I.

Utrum multiplex sit Analogia.

586 Præmittendnm, quid univocationis, æquivocationis, & analogiæ nominibus significetur. Univoca dicuntur ea, *quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen, est omnino, sive simpliciter eadem* (2). Sic nomen figuræ est commu-

---

dicantur; vel inter se. Relatæ ad ens dicuntur *analogatæ*, ens vero dicitur *analogum*. Relatæ ad inferiora dicuntur *univocæ*. Categoriæ autem accidentium relatæ ab substantiam dicuntur *denominativæ*, substantia vero dicitur *denominata*. Sic à quantitate homo dicitur quantus.

(1) §. 497.

(2) Vide S. Thom. 11. Metaph. lect. 3. & Clementem Alex. Strom. 8. p. 782. » Ex his, *ait*, quæ sunt sub decem prædicamentis, alia » quidem sunt synonima, (non quidem Grammaticorum more, qui- » bus synonyma sunt, quæ significatione, non voce conveniunt, ut ensis, mucro, gladius, quæque idem Clemens, ib. vocat πολυώνυμα, id est multorum nominum) » quorum & nomen est ambobus com- » mune. Sicut bos, & homo quatenus animal. Sunt enim synonyma, » quorum amborum nomen est commune, ut animal; & ratio eadem, » hoc est, definitio, nempe essentia animata.“ Similiter univoca definit Damascenus Dialect. c. 32.

ne circulo, triangulo, & quadrato; & ratio, sive definitio figuræ est eadem in circulo, triangulo, & quadrato.

587 Æquivoca sunt, *quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen, est omnino diversa* (1). Sic nomen *canis* est æquivocum, quia in solo nomine conveniunt canis animal, & canis sidus.

588 Porro æquivocorum alia sunt à casu, seu pure æquivoca; alia ex cogitatione (2), sive ex consilio (3). Priora sunt, in quibus *nullus ordo, aut respectus attenditur unius ad alterum, sed omnino per accidens est, quod unum nomen diversis attribuitur; ideoque nulla similitudo in rebus illis attenditur, sed solum unitas nominis* (4), ut in allato *canis* exemplo. Posteriora dicuntur analoga.

589 Est autem analogia, proportio & comparatio quædam (5) inter ea, quæ sub eodem nomine rationes habent diversas, sed proportione, & comparatione conveniunt (6). Quare analoga dicuntur illa; *quorum nomen commune est, & ratio significata per nomen, licet simpliciter diversa, est tamen eadem per quamdam proportionem, & similitudinem.* Sic *nomen visus dicitur de visu corporali, & intellectu, eo quod sicut visus est in oculo, ita intellectus est in mente* (7).

590 Videtur autem analogia non esse multiplex, I. quia apud Geometras (8) una est analogia, scilicet Proportionum similitudo.

591 II. Si multiplex foret analogia, esset genus ad species.

---

(1) Adeatur Clemens Alex. loc. cit. p. 783. ubi ὁμώνυμα vocat, quæ *utuntur eodem nomine, non habent autem eamdem rationem, ut homo, qui est animal, & homo pictus.*

(2) Ex homonymis (ait Clemens Alex. pag. cit.) » alia quidem habent idem nomen ex fortuna, ut Ajax Locrus, & Ajax Salaminius: » alia autem ex cogitatione." Qua ex re factum est, ut de analogis Græci, ut plurimum, disputent sub nomine æquivocorum. Vide Ammonium apud Lequien not. in c. 46. Dialect. S. Joan. Damasc.

(3) Confer. S. Thom. 1. con. Gen. c. 33. ubi de æquivocis à casu, & ex consilio, eadem ac Clemens scribit.

(4) S. Thom. loc. cit.

(5) S. Thom. ib. c. 34. post Ciceronem de Univ. 12. » Quæ græce » ἀναλογία, latine comparatio, proportiove dici potest."

(6) Hæc quidem Philosophorum sensu, nam apud Grammaticos, ut notat Gellius Noct. Attic. l. 2. c. 25. ἀναλογία *est similium similis declinatio*, quemadmodum ἀνωμαγία *est inæqualitas declinationum consuetudinem sequens.*

(7) S. Thom. q. 2. de ver. a. 11. (8) Euclides l. 5. def. 4.

Genus autem ad species est univocum, ut infra dicemus. Analoga ergo essent univoca.

Propositio. *Duplex est analogia, proportionis, & proportionalitatis.*

592 Prob. Analogia est proportio; ut dictum est (1). Sed proportio potest esse, vel unius ad alterum, vel plurium ad unum, vel plurium ad diversa. Si est proportio unius ad alterum, vel plurium ad unum (2) est simplex proportio; terminus enim unus est. Si autem est proportio plurium ad diversa, cum termini plures sint, est proportionalitas (3), id est, proportio proportionum. Duplex est igitur analogia, proportionis, & proportionalitatis (4).

---

(1) §. 589.

(2) Proportio plurium ad unum vocari solet analogia *attributionis*, eo quod ab uno, quod dicitur *principale analogatum*, denominatio aliis attribuitur. Sic à sanitate animalis attribuitur sanitas medicinæ, & urinæ, quatenus medicina est causa, urina est signum sanitatis. Vide S. Tom. 5. Metaph. lect. 8. & 1. p. q. 13. a. 5. Vide etiam Clementem Alex. Strom. 8. p. 783. ubi de his analogis loquens: *Dicuntur*, inquit, *ab eodem, & ad idem, ut à medico liber, & scalpellum, medica.*

(3) Proportionalitas enim, ut Geometræ definiunt, est *similitudo, & comparatio duarum, vel plurium rationum inter se.* Quare S. Thomas 5. Metaph. lect. 5. » Æqualitas, *ait*, in proportionibus, vocatur proportionalitas.«

(4) De utraque analogia Clemens Alex. loc. cit. scribit: *Ex his* (nempe ex altero genere æquivocorum, quæ dixerat ex cogitatione fieri) *alia quidem habent idem nomen per similitudinem, ut homo qui est animal, & qui est pictus; alia autem per proportionem, & convenientiam, ut pedes Idæ* (montis scilicet ad Troadem spectantis) *& pedes nostri, propterea quod sint inferius.* Et S. Thomas q. 2. de ver. a. 11. » Convenientia, *inquit*, secundum proportionem potest esse duplex, & secundum hoc duplex attenditur analogiæ communitas: est » enim quædam convenientia inter ipsa, quorum est ad invicem proportio ... sicut binarius cum unitate, eo quod est ejus duplum. Convenientia etiam quandoque attenditur duorum adinvicem, inter quæ » non sit proportio, sed magis similitudo duarum adinvicem proportionum, sicut senarius convenit cum quaternario ex hoc quod sicut senarius est duplum ternarii, ita quaternarius binarii. Prima convenientia est proportionis, secunda autem proportionalitatis.« Et 5. Metaph. lect. 8. » Proportione vel analogia sunt unum quæcumque in hoc

593 Ad primum dicimus, Geometras definire analogiam proportionalitatis, quæ est similitudo proportionum.

594 Ad secundum dicendum, analogiam comparatam ad species, in quas dividitur, esse univocam; comparatam vero ad ea quæ proportionem habent, non esse univocam. Neque repugnat, idem esse, & non esse univocum respectu diversorum.

ARTICULUS II.

Utrum aliqua sit analogiæ utilitas.

595 VIdetur id negandum, I. quia, uti scribit Antonius Genuensis (1), ex analogia factum est, *ut humana apud omnes gentes transferrentur ad Deum.* Et quia *quandoque virtutes, & perfectiones cum temperamentis nostris quasi miscentur: inde provenit, ut plurimi virtutes Deo tribuentes suas, vitia quoque tribuant ... Alii qui diverso temperamento sunt præditi, primos oppugnant, & jure quidem oppugnant: sed sæpe dum vi-*

» conveniunt, quod hoc se habet ad illud, sicut aliud ad aliud. Et hoc » quidem potest accipi duobus modis, vel in eo quod aliqua duo ha- » bent diversas habitudines ad unum, sicut sanativum de urina dictum » habitudinem significat signi sanitatis; de medicina vero, quia signi- » ficat habitudinem causæ respectu ejusdem. Vel in eo quod est ea- » dem proportio duorum ad diversa, sicut tranquillitatis ad mare, & » serenitatis ad aërem; tranquillitas enim est quies maris, & serenitas (*quies*) aëris." Idipsum luculentius explicat S. Thomas 1. Ethic. lect. 7. *Unum nomen*, inquit, *dicitur de multis secundum rationes diversas; non totaliter, sed in aliquo uno convenientes, quandoque quidem in hoc quod referuntur ad unum principium, sicut res aliqua dicitur militaris, vel quia est instrumentum militis, sicut gladius; vel quia est tegumentum ejus, sicut lorica; vel quia est vehiculum ejus, sicut equus. Quandoque vero in hoc quod referuntur ad unum finem, sint medicina dicitur sana, eo quod est factiva sanitatis; dieta vero, eo quod est conservativa sanitatis; urina vero eo quod est sanitatis significativa. Quandoque secundum proportiones diversas ad idem subjectum, sicut qualitas dicitur esse ens, quia est dispositio per se entis, id est, substantiæ; quantitas vero eo quod est mensura ejusdem, & sic de aliis; vel secundum unam proportionem ad diversa subjecta; eamdem enim habent proportionem visus ad corpus, & intellectus ad animam. Unde sicut visus est potentia organi corporalis, ita etiam intellectus est potentia animæ absque participatione corporis.*

(1) Art. Log. Crit. l. 1. c. 12. §. 8.

tant stulti vitia, in contraria currunt. Hinc atrocia Scholarum bella, quæ misere ipsam scindunt Rempublicam. Ergo.

596 II. Analoga sunt æquivoca ex consilio, ut dictum est (1). Sed æquivocatio parit confusionem, & deceptionem, Analogia igitur nullam præsefert utilitatem.

Propositio. *Analogia magnæ, solidæque est utilitatis.*

597 Prob. Nam 1. proportionibus omnia consistunt; Deus enim *omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit* (2). Analogia autem sive proportionis, sive proportionalitatis proportio est, ut diximus (3). 11. Analogia nituntur universæ scientiæ mathematicæ, quinimmo scopus est, ad quem omnia earum præcepta collineant; quippe ex comparatione unius quantitatis ad alteram, aliæ innumeræ proportionaliter fint, cognitioque habetur plane evidentissima rerum cæteroqui abditissimarum (4). 111. quia usus analogiæ frequentissimus est in Sacris litteris; hæ siquidem metaphoras adhibent, ut ostendit S. Thomas (5): metaphoræ autem sine analogia esse non possunt: est enim metaphora, ut eam definit S. Augustinus (6) *de re propria ad rem impropriam verbi alicujus usurpata translatio*: quod non est sine aliqua proportione (7). Denique ex analogia unius rei ad alteram, multoties devenimus in cognitionem rerum ignotarum. Sic causas cognoscimus per effectus, & Deum O. M. per creaturas (8).

---

(1) §. 588. (2) Sap. 11. v. 21. (3) §. 589.

(4) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 17. ubi de proportionibus numerorum, per quos expenduntur etiam proportiones geometricæ, copiose, clare, & profunde disserit.

(5) 1. p. q. 1. a. 9. (6) L. 1. de mendacio c. 10.

(7) Vide eumdem August. l. 83. q. 52. ubi egregie per analogiam explicat, quomodo Deus dicatur irasci, & pœnitere.

(8) Vide quæ diximus q. 5. a. 6. Neque obstat, quod nuper objecit J. B. Robinetus in impio Opere *de Natura* „que les perfections de Dieu ne peuvent point être renfermées dans la même categorie, que de celles de l'homme; qu'il n'y a rien d'univoque entre nos vertus & celles de Dieu, que par consequent ne Pouvons juger de celles ci selon l' ideé que nous avons de la vertu; que cetre misure desqualités humaines, est tout-a-fait inappliquable à la sublimité incompréhensible des perfections de Dieu.“ *Perfectiones divinæ concludi nequeunt in eadem categoria, ut illæ quæ ad hominem pertinent, cum nihil sit*

598 Ad primum, negamus ex analogia factum esse, ut humana, eo modo quo sunt in homine, transferrentur in Deum; analogia enim non perfectam commensurationem, sed proportionem tantum habitudinis significat, ut dictum est (1). Si quæ autem gentes humanas passiones Deo tribuerunt, id non ex analogia contigit, sed quia, ut inquit Apostolus (2), *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum... Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis* (3). Multo magis negamus, diversitate *temperamenti* (4) factum esse, ut virtutes suas, aut vitia

---

univocum inter virtutes nostras, & illas quæ Dei sunt; proindeque judicare de illis minime possumus secundum ideam, quam de virtute habemus; nam hæc mensura qualitatum humanarum applicari nullo modo potest incomprehensibili sublimitati perfectionum Dei: Non, inquam, obstat; nam S. Thomas 3. con. Gen. c. 54. jampridem ostenderat, nullam requiri univocationem inter res creatas, & Deum, ut Deus cognosci à nobis possit, sed sufficere analogiam. » Proportio, *inquit*, intellectus creati est quidem ad Deum intelli» gendum, non secundum commensurationem aliquam, sed secundum » quod proportio significat quamcumque habitudinem unius ad alterum.« Et 1 p. q. 13. a. 1. » Deus in hac vita non potest à nobis videri per » suam essentiam, sed cognoscitur à nobis ex creaturis secundum ha» bitudinem principii, & per modum excellentiæ, & remotionis.« Vide ib. a. 5.

(1) §. 589. (2) Rom. 1. v. 11. & 23.

(3) Cæterum quod ex humanis ad divina animus noster tranferatur per analogiam, Divinæ sapientiæ consilium est, tenuitati nostræ sese accommodantis, *Deo*, ut inquit S. Basilius l. de Spir. San. c. 14. n. 33. *qui nostra gubernat, quasi oculos in tenebris enutritos, ad magnum pietatis lumen paulatim assuefaciendo subvenente ... in aquis solem cernere consuefaciens, ne protinus spectaculo puræ lucis offensi caligaremus.*

(4) Vide quò hæc doctrina tendat: nam si ex diversitate *temperamenti* quandoque virtutes humanæ Deo tribuuntur, quandoque vitia; ii vero, qui hæc Deo tribuunt, oppugnantur ab aliis vi diversi *temperamenti*; quid erit reliquum, quam ut omnis Religio, quæ à Dei notione pendet, ad temperamenti diversitatem revocetur? Fortasse hæc præ oculis habebat Genuensis, cum in priori editione Operis *de Jure & officiis* l. 2. c. 10. §. 6. scribebat: *Civis patriam Religionem servato*; nam diversitas temperamenti consequi solet ad soli diversitatem; nimirum ille animo fortasse habebat defixa, quæ docuerat Autor lib. *de Spiritu legum*: *clymata esse quæ humanitus confinia Religionibus præscribunt.* Quod Genuensis clarius expressit Lo-

homines Deo tribuerint; quid enim commune cum *temperamento* Religio habet? Quod autem Genuensis addit de scholarum bellis Rempublicam scidentibus, eo tantum collineat, ut Scholasticis invidiam creet; neque enim ulla Scholasticis cum Republica administranda pars est, præsertim dum de Deo rebusque divinis disputant (1).

---

gicæ italico idiomate conscriptæ l. 1. c. 3. §. 5. ubi hæc habet: » Tutte le grandi opinioni in materia di Teologia, di Morale, di Politica, di Artisono figlie de' temperamenti de' popoli." *Universæ magni nomionis opiniones in Theologia, in Morali, in Politica, in Artibus progenies sunt temperamentorum populorum.* Si autem ex analogia factum est, ut humana *apud omnes gentes* transferrentur ad Deum; cur Sap. 8. v. 2. dicitur: » Aut ignem, aut spiritum, aut » citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut so» lem, aut lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt? " An hæc aliquid humani habent; aut qui tales Deos putaverunt in omnibus gentibus non sunt numerandi? Videat Genuensis, ne qui proprius Antropomorphitarum, & quorumdam gentium error fuit, ipse ad omnes gentes extendat. Videat præterea, ne Sacram Scripturam accuset, quæ tam sæpe sese nobis accomodat, & per analogiam ex humanis rebus ad divina nos provehit.

(1) Non Scholarum bella, quæ ipso Genuensi fatente ib. de rebus sunt abstractis, & domesticos parietes vix perfodiunt, sed absurdæ minutorum Philosophorum opiniones Rempublicam miserrime scindunt. Utrum hujusmodi Philosophis manus ille tulerit adjutrices alii viderint. Sane Tom. 2. *delle lezioni di comercio* c. 10. §. 9. not. a. Rousseaum mirifice laudat cum tamen is homo seditionum in populis excitandarum auctor sit, & Religionem exuisse videatur. Insuper l. 1. Diceosinæ c. 2. §. 6. laudat Nicolaum Macchiavellum, propterea quod docuerit, Romanos Imperatores, qui Imperio potiti sunt hæreditario jure, fuisse impios, excepto Tito; pios vero, qui per adoptionem ad Imperii fastigium pervenerunt. Insuper ib. c. 12. §. 3. statuit, juri primogenitorum ad Regnum capessendum ponendum esse modum. Tom. 1. *delle Lezioni di Comercio*, pag. 119. not. statuit item formam Regiminis Monarchici aptam non esse fovendæ virtuti. Et Diceosinæ l. 1. c. 6. §. 12. traducit leges fideicommissorum, & juris primogenitorum tamquam filias ambitionis, & avaritiæ. Et ibid. c. 20. §. 34. hanc ponit regulam: » Volete togliere la massima parte de'delitti? premete poco, e lasciate sfogare la natura pe'suoi le» gittinii canali, e mettetevi colla legge da'fianchi". *Vultisne abolere maximam delictorum partem? ne multum compellito; sinite vero naturam exaturari legitimis viis, neque lege urgeto.* Mitto reliqua; nam dicta sufficiunt ad decernendum quidnam misere scindat Rempublicam, Scholarumne bella de rebus abstractis, an recensita opinionum mons-

599 Ad secundum dicendum, pure æquivoca deceptionem, & confusionem parere, eo quod sola in ipsis sit unitas nominis; secus analoga, in quibus præter unitatem nominis, est etiam unitas proportionis, ut supra diximus (1).

ARTICULUS III.

Utrum quinque universalia sint univoca.

600 Videntur esse analoga, I. quia analoga sunt, quæ rationem non omnino eamdem significant, ut dictum est (2). Sed animal v. g. non significat rationem omnino eamdem; aliud est enim animal in homine, aliud in brutis. Ergo.

601. Accidens est analogum, ut infra dicemus. Sed accidens est unum è quinque universalibus. Ergo saltem non omnia quinque universalia sunt univoca.

Propositio. *Quinque universalia sunt univoca ad sua inferiora* (3).

602 Prob. Univoca sunt illa quæ non modo nomen commune habent, sed etiam rationem omnino eamdem, ut dictum est (4). Sed quinque universalia ad sua inferiora rationem habent omnino eamdem: nam genus ex æquo reperitur in omnibus suis speciebus (5); species ex æquo reperitur in omnibus suis

---

tra, quæ Rempublicam ipsam, & supremas legitimas Potestates, earumque jura proxime invadunt.

(1) §. 589. (2) Ib.

(3) Ad sua inferiora, inquam; nihil enim vetat, universalia invicem comparata, proportionem habere analogicam. Sic homo, & bellua differentias habent omnino diversas; nihilominus ad diversas illas differentias eamdem proportionem habent, quia sicut homo se habet ad rationale, ita bellua ad irrationale. Sic etiam substantia, & accidens omnino sunt diversa, sed habent eamdem proportionem, quia sicut substantia dividitur in varia genera, ita & accidens.

(4) §. 586.

(5) Ammonius Comment. in Isag. Porphyrii c. de specie: *Genus*, inquit, *quod in species dividitur, in omnibus istis speciebus ex æquo reperitur; neque species inter alia prior, & posterior alia consideratur, quantum ad participationem generis attinet. Nam homo non est magis animal, quam equus. Rursus si species una dematur, non continuo species aliæ intereant oportet. Homine quippe sublato, non tollitur animal, nec species aliæ, puta, equus, canis, &c.*

individuis ; item differentiæ in speciebus quas constituunt ; & proprietates , & accidentia in iis de quibus prædicantur : sicut enim homo non est magis animal , quam equus ; ita unus homo non est magis homo , & rationalis , & risibilis , & bipes , quam alius homo. Igitur quinque universalia sunt univoca (1).

603 Ad primum dist. min. animal sub ratione communi generis non significat rationem omnino eamdem , nego ; animal ut contractum per differentias , conc. Animal in homine contractum per rationale , significat non modo principium sentiendi , sed etiam ratiocinandi. Attamen ex ratione generica significat duntaxat principium sentiendi ; nam ut ostendimus (2), differentiæ actu non continentur in genere.

604 Ad secundum dicendum , accidens prædicamentale analogum esse , secus accidens logicum.

ARTICULUS IV.

Utrum ens sit analogum.

605 Videtur esse univocum (3) : I. quia conceptus entis repræsentat unum quiddam, nempe ipsum esse; neque inferiora entis pertinent ad conceptum essentialem entis ; alioqui ubicumque inveniretur ratio entis , invenirentur & ejus inferiora , adeoque omnia essent unum. Ergo.

606 II. Inferiora entis addunt aliquid conceptui entis in communi ; cum enim dico substantiam , addo aliquid enti , scilicet , esse per se. Igitur conceptus entis est præcisus à suis inferioribus , adeoque univocus.

---

(1) Ex hoc principio probat S. Thomas. 1. con. Gen. c. 32. nihil posse univoce prædicari de Deo , & creaturis. *Omne* , inquit , *quod de pluribus univoce prædicatur , vel est genus , vel est species , vel differentia , vel accidens , vel proprium. De Deo autem nihil prædicatur ut genus..... & similiter nec ut differentia , nec etiam ut species , quæ ex genere , & differentia constituitur ; nec aliquid ei accidere potest, & ita nihil de Deo prædicatur neque , ut accidens , neque ut proprium: nam proprium de genere accidentium est.* Vide Didymum initio lib. con. Manichæos , ubi probat , nihil posse esse Deo , & cuiquam alteri commune. (2) §. 506.

(3) Ita Scotus in 1. dist. 2. q. 2. quamvis aliis in locis fateatur , ens esse æquivocum , sive analogum. Constans autem Scotistarum sententia est , notionem entis esse communem univoce Deo , & creaturis. Vide Fortunatum de Brixia Metaph. par. 1. prop. 3.

607 III. Deo & creaturis ex æquo commune est esse id quod sunt. Ergo.

Propositio. I. *Notio entis non est univoca* : II. *sed est tantum analogice communis Deo, & creaturis* : III. *necnon substantiæ, & accidentibus.*

608 Prob. 1. p. Si notio entis esset univoca, deberet esse vel genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens ; hæc enim sunt univoca, ut dictum est (1). Atqui notio entis non potest esse genus, ut supra ostendimus (2). Nec potest esse differentia, quia in notione entis omnia conveniunt. Nec potest esse species, quia species est inferior genere. Nec etiam potest esse proprium, vel acidens, quia hæc consequuntur essentiam jam constitutam. Fieri ergo non potest, ut notio entis sit univoca (3).

609 Prob. 2. p. Notio quæ uni competit plene, & perfecte, alteri tantum ex parte, non est univoca, sed analoga ; non enim habet in illis rationem omnino eamdem, sed proportionaliter duntaxat. Atqui notio entis plene, & perfecte competit Deo (4), crea-

---

(1) §. 602. (2) Vide §. 508. Cum not. Ex quo.

(3) Ita Ammonius Comment. in Isag. Porphyrii c. de specie : *Ens*, inquit, *non dividitur in decem categorias, neque ut genus in species, neque ut totum in partes ; ergo* ὡς ὁμώνυμος φωνὴ εἰς διχῇφορα σημαινόμενα, *ut vox æquivoca* (non quidem à casu, sed à consilio) *in diversa significata.* Rationem reddit : *Si ens in decem categorias divideretur ceu genus in species, nullum procul dubio inter illas esset prius, & posterius, nec illa magis de ente participarent, & ista minus. At vero inter eas posterius inspicitur. Substantiam dicimus primum, tum alia deinceps : maxime cum illa intereunte, una pereant & accidentia &c.* Hæc circa finem tertii, vel initium quarti Ecclesiæ seculi scribebat Ammonius, qui, ut refert Eusebius Hist. l. 6. c. 19. obiit circa annum Christi 330. Non igitur sunt ab Scholasticis excogitata.

(4) Hinc Damascenus l. 1. de Fide c. 9. » Ex omnibus, *inquit*, nominibus quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, atque » ὢν id est, *Qui est*..... Nam totum esse velut immensum quoddam » ac nullis terminis definitum essentiæ pelagus complexu suo ipse continet. " Vide Nazianzenum Orat. 36. Non quod Deus sit ipsum ens in communi, sed quod sit ipsum esse purissimum, & substantivum. Quare etsi prisci Philosophi Deum neutro genere τὸ nuncupabant, quæ vox detorqueri Atheo sensu posset ad significandum ens in communi ; nihilominus masculinum ὢν solum Deum verum exprimit, cujus essentia est ipsum esse.

turis autem tantum ex parte (1); Deus enim est per essentiam, creaturæ sunt per participationem. Notio igitur entis est communis analogice Deo, & creaturis (2).

610 Prob. 3. p. Notio quæ uni competit per se, alteri per aliud, non est univoca, sed analoga; non enim habet in illis rationem omnino eamdem. Atqui notio entis substantiæ convenit per se, accidentibus per substantiam, ut dictum est (3). Est ergo analoga ad substantiam, & accidens (4).

611 Ad primum dist. ant. repræsentat unum quiddam, si consideratur id quod explicat, conc. si consideratur id quod involvit, nego. Cum concipio ens, utique notio entis non explicat omnia, quibus convenit ratio entis; attamen hæc omnia involvuntur in ipsa communi notione entis; nisi enim involverentur, nihil essent.

---

(1) Confer Stobæum in Eclogis c. 24. S. Cyrillum Alex. l. 8. con. Julian. ad t. 2. & Boëtium l. de Trin. ubi: *Divina*, inquit, *substantia est id quod est; reliqua enim non sunt id quod sunt; unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, id est, ex partibus suis, & est hoc atque hoc, id est, partes conjunctæ: sed non hoc, vel hoc singulariter; ut cum homo terrenus constet ex anima, & corpore, corpus & anima est, non corpus, vel anima; igitur in parte non est id quod est. Quod vero non est hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere est id quod est, pulcherrimum, fortissimumque, quia nullo nititur.*

(2) Hinc facile conciliantur Patrum, & Philosophorum sententiæ, qui quandoque affirmant, solum Deum proprie ens nominari. Vide Plutarchum lib. 3. Nazianz. Orat. 36. & S. Augustinum Tract. 38. in Joan. Quandoque negant, nomina *esse*, & *essentiam* proprie Deo competere. Vide Picum l. de Ente, & uno c. 3. sqq. Nam cum nulla sit res creata, quæ non sub aliquo genere contineatur, neque ulla sit, quæ solam entis rationem, quæ maxime universalis est, præseferat; ii qui considerarunt, Deum nullo genere contineri, & circumscribi posse, negarunt, ipsum esse ens; infinite enim excedit totam entis amplitudinem. Ii vero, qui considerarunt in Deo immensam essendi plenitudinem, & pelagum nullis terminis circumscriptum, dixerunt, solum Deum proprie esse, quia cætera participant esse, non sunt autem ipsum esse. Vide Marium Victorinum l. 1. adv. Arium.

(3) §. 574.

(4) Ammonius loc. cit. *Substantiam*, inquit, *dicimus primum, tum alia deinceps: maxime cum illa intereunte, una pereant, & accidentia. Quo fit, ut substantia magis de ente participare, quam alia, dicamus; quia substantia accidentibus præbet, ut existant; in ea siquidem subsistunt, cum ipsa accidentibus, ut sit, non egeat; quinimmo accidentia nusquam fuerint, non exstante substantia, cui accidunt.*

Notio igitur entis explicat quiddam unum, scilicet, ordinem ad esse; involvit tamen omnes differentias entium (1). Quare inferiora entis pertinent quidem ad conceptum *implicitum*, ut inquiunt, entis, non ad conceptum *explicitum*. Et quia totum id quod ens involvit, non reperitur in quolibet ente; idcirco non sequitur, omnia entia esse unum, nisi tantum in notione explicita entis. Et per hæc patet solutio ad secundum.

612 Ad tertium neg. ant. ostensum est enim (2), infinitam esse diversitatem inter Ens increatum, & creatum (3).

ARTICULUS V.

Utrum accidens ad sua inferiora sit univocum.

613 Videtur esse univocum: I. quia notio accidentis æque communis est omnibus accidentibus; non enim quantitas v. g. est minus accidens, quam qualitas. Ergo.

614 II. Sicut substantia generalis se habet ad inferiores substantias, ita acidens ad inferiora accidentia. Sed substantia generalis est univoca. Ergo & accidens generale.

---

(1) Eodem modo in Divinis attributis unum concipi non potest, quin involvatur aliud. Nam ut scribit Plotinus Enneade 6. l. 7. c. 1. *Si fas non est penes Deum esse aliquid, quod non sit totum, & universum, profecto necessarium est, in unoquoque eorum, quæ Dei ipsius propria sunt, omnia contineri.* Non quod attributa Dei solis vocibus differant, aut proprium unicuique nomini significatum, & notio non subsit, ut adversus Eunomium S. Basilius l. 1. & Nyssenus l. 12. ostendunt; sed quod licet significatio, & notio explicita unius attributi non sit significatio, & notio explicita alterius; unum tamen attributum divinum involvat alia; nam cæteroqui non conciperetur ut infinitum. Hinc Theologi docent, attributa Dei distingui, ut ajunt, penes explicitum, & implicitum: non penes excludens, & exclusum. *Nullum est nomen*, ait S. Basilius loc. cit. *quod totam Dei naturam comprehendat, & quantum satis sit explicet. Quare multa sunt, ac diversa, quæ propriam habent significationem.* Vide S. Anselmum Monol. c. 16.

(2) §. 609.

(3) Jure ac merito S. Eulogius Orat. 5. apud Photium Cod. 230. »In Deo, *inquit*, ens est supra esse: at nostrum esse neque proprie »ens est. Quomodo enim sit proprie ens, quod à non ente descendit, & quod natura sua in non ens desinit?«

Propositio. *Accidens analogum est ad genera accidentium.*

615 Prob. ratione S. Thomæ (1). *Quæcumque non conveniunt in uno genere generalissimo, non potest de eis aliquid univoce dici*; sic enim in nullo genere conveniunt, adeoque nec in specie. Atqui genera accidentium non conveniunt in accidente tamquam in uno genere generalissimo: nam ut infra ostendemus, novem prædicamenta accidentium sunt suprema genera, non essent autem suprema, si in aliquo genere generalissimo convenirent (2). Accidens igitur ad genera accidentium est analogum.

616 Ad primum dist. ant. notio accidentis æque communis est omnibus accidentibus, quoad rationem inhærendi, conc. quoad rationem afficiendi substantiam, nego. Inhærere substantiæ, seu esse in substantia, omnibus quidem accidentibus commune est, quemadmodum omni enti commune est esse. At quoniam in ipso inhærendi modo accidentia sunt primo diversa, ex diversa ratione, qua inhærendo afficiunt substantiam; idcirco notio communis accidentis non est univoca ad genera accidentium, sed analoga; est enim in ipsis simpliciter diversa.

617 Ad secundum neg. maj. substantia enim generalis comparatur, ut genus ad substantias inferiores, non autem accidens ad inferiora accidentia.

ARTICULUS VI.

Utrum omnis denominatio sit à forma.

618 Superest agere de denominativis. Ut autem scribit Clemens Alex. (3), *denominativa sunt, quæ ex aliquo altero sunt denominata, ut à fortitudine fortis* (4).

---

(1) In 1. d. 25. q. 1. a. 2.

(2) Vide Damascenum Dial. c. 36. ubi scribit: *excepta substantia, reliqua novem prædicamenta, etiamsi accidentia sint, habere tamen singula, tam constituentes, quam dividentes differentias, ac unumquodque genus* γενικώτατον *generalissimum esse.*

(3) Strom. 8. p. 782.

(4) Damascenus Dialect. c. 36. » Sunt, *inquit*, nonnulla, quæ inter » univoca, & æquivoca medium locum tenent; atque nomine, & defi» nitione partim conveniunt, partim dissident: quæ quidem denomi-

619 Videntur autem denominationes non debere accipi á forma : I. quia plurima sunt, quæ denominantur à suis effectis, sicut à floribus arbor dicitur florens.

620 II. Denominatio quandoque est intrinseca, quandoque extrinseca, ut cum paries denominatur visus; visio autem non est forma parietis.

Propositio. *Quælibet denominatio vel est à forma, vel ab aliquo se habente ad modum formæ.*

621 Prob. In qualibet denominatione tria sunt, denominativum (1), sive subjectum denominatum; id quod denominat; & ipsa denominatio. Atqui denominatio non accipitur à denominativo, hoc enim est quod denominatur. Accipitur ergo ab eo quod denominat. Sed denominans, vel est forma, vel est aliquid se habens ad modum formæ : nam denominans determinat subjectum denominatum : omne autem determinans, vel est forma, vel se habet ad modum formæ (2). Denominatio igitur vel est à forma, vel ab aliquo se habente ad modum formæ. Et per hæc patet responsio ad primum.

622 Ad secundum dicimus, etiam extrinsecam denominationem esse ab aliquo se habente ad modum formæ, quia denominans, licet extrinsece, determinat denominatum.

» nativa dicuntur; ut à Grammatica Grammaticus. Nomine quippe » conveniunt, verum nominis terminatione, hoc est, extrema syllaba » differunt. Ac rursus definitione conveniunt, ac discrepant; quoniam » Grammatica scientia est : Grammaticus autem, substantia in qua est » scientia. " Idem differentiam adsignat inter denominativa, & analoga, *quod denominativa ea à quibus denominata sunt, complectantur, ut Grammaticus Grammaticam, justus justitiam. Quæ autem ab uno dicuntur* (id est analoga attributionis) *nequaquam. Neque enim medicum instrumentum medicinam continet.*

(1) Idem Damascenus ib. » Nec grammatica, *ait*, nec musica, nec » justitia denominativa sunt : sed grammaticus, musicus, & justus. Nam » grammaticus à grammatica denominatur, & musicus à musica, & jus- » tus à justitia. "

(2) Licet S. Thomas 1. p. q. 13. a. 11. doceat, unumquodque denominari à sua forma, sicut à prudentia denominatur prudens; nihilominus ib. q. 37. a. 2. ait, contingere, *aliquid denominari per id, quod ab ipso procedit, non solum sicut agens actione, sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus.* Sic autem explicat, quomodo Pater, & Filius dicantur se diligere Spiritu Sancto.

QUÆSTIO XII.

De idearum seriebus, sive de Categoriis.

623 Quæ græce Κατηγορίαι, latine *Prædicamenta* dicuntur (1). *Prædicamenta* autem, inquit Clemens Alexandrinus (2) *dicimus esse elementa eorum quæ sunt* (3). Sive ut in Scholis diffiniuntur: *Series generum, & specierum sub uno supremo genere contentorum* (4). De iis autem quæremus: 1. an sufficienter enumerentur: 2. an recte sint ordinatæ. Sic autem de universa serie objectorum idearum nostrarum satis erit constitutum.

---

(1) Nam quod Græcis κατηγορέω, Latinis est *accuso*, & per translationem *enuncio*, sive *prædico*. Etenim in categoriis superiora de inferioribus prædicantur. Demonax in Herminum Peripateticum ex ambiguitate vocis, quod categoria vel prædicamentum, vel accusationem significet, ita lusit: *Equidem arbitror, Hermine, te non indignum decem categoriis*, id est, decem accusationibus.

(2) Strom. 8. pag. 782.

(3) Quintilianus l. 3. c. 7. prædicamenta vocat *elementa, circa quæ versari videatur omnis quæstio.*

(4) De Categoriis agens Cassiodorus l. de art. & disc. liber. c. 3. scribit: »Hoc opus Aristotelis intente legendum est, quando sicut dictum »est, quidquid homo loquitur, inter decem ista prædicamenta inevi»tabiliter invenitur." At si Gassendum audiamus l. 2. adv. Aristot. exerc. 3. n. 4. omnia in Categoriis *sic remanent confusa, ut categoriæ omnes includantur vel in uno acari*; quasi in uno acari distingui plura non possint, quæ ad diversas series pertineant. Genuensis autem Art. Log. Crit. l. 2. c. 4. §. 6. putat categorias non alium usum habere, quam sophistice disserendi, & contendentibus ad solidam veritatis cognitionem noxias quoque esse. Nimirum hæc dicenti sine ulla ratione, debemus credere: cum tamen ipse statuat, nemini etiam docto credendum, nisi rationem reddat. Cur ergo Quintilianus loc. cit. Categorias *elementa* vocat *circa quæ versari videatur omnis quæstio*? Cur Clemens Alex. prædicamenta appellat *elementa eorum quæ sunt*? Eruntne inutilia, & noxia hujusmodi elementa, quia sic placet Genuensi aut etiam Auctori *Artis cogitandi*, quem citat? *Rerum*, inquit Boëtius Præf. in Prædic. Arist. *diversarum indeterminatam, infinitamque multitudinem, decem prædicamentorum paucissima numerositate conclusit* (Aristoteles), *ut quæ infinita sub scientiam cadere non potuerant, decem generibus propriis definita, scientiæ comprehensione claudantur.*

ARTICULUS I.

Utrum Categoriæ sufficienter enumerentur.

624 Pythagorei olim Categorias viginti numerabant, quarum decem essent bonorum entium, & totidem malorum. In serie bonorum ponebant lumen, unum, intellectum, quietem, masculinum, dextrum, finitum, par, rectum, & quadratum. In serie malorum, tenebras, multitudinem, opinionem, motum, fœmininum, sinistrum, infinitum, impar, curvum, & altera parte longius (1).

625 Platonici suprema genera rerum ita distribuebant, ut primum genus esset substantia : secundum, accidens quod in substantia : tertium, accidens in quo substantia : quartum motus : quintum relatio. In secundo genere ponebant quantitatem, qualitatem, figuram : in tertio locum, & tempus: in quarto actionem & passionem : in quinto omnia relativa (2).

626 Epicureis hæc generum erat series:

Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concursus, motus, ordo, positura, figura (3).

627 Ex junioribus Philosophis quidam (4) septem numerant Categorias his versibus comprehensas:

Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Aliis qui putant, quietem esse meram privationem, Categoriæ universæ sunt.

Mens, corpus, motus, nexus, mensura, figura.

628 Aristoteles (5) decem recensuit Categorias, eæque sunt

---

(1) Vide S. Thom. 1. Metaph. lect. 8. & 1. Ethic. lect. 6. Confer etiam Stanlejum Hist. Phil. T. 2. p. 8. sect. 1. c. 1. sqq.

(2) Vide Plotinum Enneade 6. l. 3. c. 3.

(3) Lucretius l. 2.

(4) Vide Purchotium Log. 1. p. c. 5.

(5) Sunt qui putant, librum de Categoriis adscribendum esse Architæ. » Architas (inquit Boëtius loc. cit.) duos composuit libros, quos » καθόλου λόγου inscripsit, quorum in primo hæc decem prædicamenta disposuit. Unde posteriores quidam non esse Aristotelem hujus divisionis inventorem suspicati sunt, quod Pytagoricus vir eadem conscripsisset; in qua sententia Jamblicus philosophus est non ignobilis, cui non consentit Themistius &c. «

substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, quando, ubi, situs, & habitus, quæ hisce exprimuntur versibus:

Arbor sex servos fervore refrigerat ustos.
Cras ruri stabo, sed tunicatus ero.

Arbor denotat substantiam; *sex* quantitatem; *servos* relationem; *fervore* qualitatem; *refrigerat* actionem; *ustos* passionem; *cras* quando; *ruri* ubi; *stabo* situm; *tunicatus* habitum (1).

629 Videtur autem hæc distributio liberius efficta: I. quia præterit ens, itemque plura accidentia, ut sunt quies, motus, cognitio, volitio; præterit etiam vacuum, itemque universalia, & entia moralia, & artificialia. Divisio igitur mala est.

630 II. In eadem distributione plura continentur, quæ sunt meræ denominationes extrinsecæ, scilicet, *ubi*, *tempus*, & *habitus*. Ergo.

Propositio. *Absolutus est denarius Categoriarum numerus.*

631 Prob. ratione S. Thomæ (2). Tot debent esse categoriæ, quot modis ens contrahi potest ad diversa genera secundum diversum modum prædicandi: nam quot modis aliquid prædicatur, totidem significatur aliquid esse. Atqui decem sunt modi, quibus aliquid prædicari potest: nam prædicatum tripliciter se habere potest ad subjectum, uno modo, cum est id quod est subjectum, ut cum dico, Socrates est homo. Alio modo, cum prædicatum su-

(1) Gassendus loc. cit. n. 1. arbitratur *alienam esse à Dialectica categoriarum tractationem.* Putasne, Gassendus animadverterit ad ea, quæ scribebat, dum hæc dicebat? Adeatur Boëtius loc. cit. ubi utilitatem hujus Operis expendens: *Cum res*, inquit, *infinitæ infinitis quoque vocibus significarentur, & sub scientia venire non possent, hac definitione, qua decem prædicamentorum divisio facta est, cunctarum rerum, & vocum significantium acquirimus disciplinam. Hinc est, quod ad Logicam tendentibus, primus hic legendus liber ocurrit, idcirco quod cum omnis Logica syllogismorum ratione sit constituta; syllogismi vero propositionibus conjungantur; propositiones vero sermonibus constent: prima est utilitas, quid quisque sermo significet, propria scientiæ definitione cognoscere.* Et paulo post: *Non de rerum generibus, neque de rebus* (primaria scilicet intentione, ut in aliis scientiis) *sed de sermonibus, rerum genera significantibus, in hoc opere tractatus habetur.* Inficiabiturne Gassendus tractationem de sermonibus, rerum genera significantibus, ad Logicam pertinere?

(2) 5. Metaph. lect. 9. & 3. Phys. lect. 5.

mitur ab eo quod inest subjecto, ut cum dico, Socrates est Philosophus. Tertio modo, cum prædicatum sumitur ab eo, quod est extra subjectum, ut cum dico, Socrates Athenis degebat. Si prædicatum est id, quod est subjectum, habetur primum genus, nempe *substantia*, de qua omnia predicantur. Si prædicatum sumitur ab eo, quod inest subjecto, hoc quod inest, vel inest per se, & absolute, vel cum respectu ad aliud. Si quod inest per se, consequitur materiam, habetur *Quantitas*, quæ substantiam corpoream extendit in partes. Si consequitur formam, habetur *Qualitas*, quæ substantiam modificat. Si est cum respectu ad aliud, habetur *Relatio*. Si autem prædicatum sumitur ab eo, quod est extra subjectum, vel hoc est omnino extra subjectum, nec est mensura subjecti, & dicitur *Habitus*, ut Socrates est calceatus. Si est mensura subjecti, cum mensura extrinseca sit vel tempus, vel locus, ex tempore habetur *Quando*, ex loco habetur *Ubi*, non considerato ordine partium in loco; quo ordine considerato, habetur *Situs*. Si vero id à quo sumitur prædicatum, est aliquomodo in subjecto; siquidem est secundum principium, habetur *Actio*; nam actionis principium in subjecto est. Si autem est secundum terminum, habetur *Passio*; quia passio ad subjectum patiens terminatur. Constat autem, inveniri non posse aliquod prædicatum, quod vel non sit id, quod est subjectum; vel non sumatur ab eo, quod inest subjecto, aut est extra subjectum. Absolutus igitur est denarius Categoriarum numerus (1).

---

(1) De hoc denario numero scribit Clemens Alexandrinus Strom. 8. pag. 782. » Ex iis quæ dicuntur absque complexione " (id est, quæ sunt incomplexa; complexa enim in prædicamentis directe non sunt, cum sint multiplicis essentiæ, ut diximus §. 584.) » alia quidem signifi» cant οὐσίαν (*substantiam*), alia autem *quale*, alia vero *quantum*, alia » autem quæ *referuntur* ad aliquid, alia autem *ubi*, alia vero *quando*, » alia autem *situm* esse, alia autem *habere*, alia vero *agere*, alia au» tem *pati*..... Ex iis autem quæ collocantur sub decem prædicamen» ta, alia quidem per se dicuntur, ut novem prædicamenta : alia » autem relata ad aliquid. " Et S. Augustinus l. 5. de Trin. c. 7. Arianis occurrens, docensque negationem additam non mutare prædicamentum, ejusdem denarii numeri meminit; ait enim : » Sicut secundum » *substantiam* ajo, Homo est; sic secundum substantiam nego, cum » dico : Non homo est. Et cum quæritur, quantus sit; & ajo, Qua» drupedalis est, id est, quatuor pedum, secundum *quantitatem* ajo; » qui dicit : Non quadrupedalis, secundum quantitatem negat. Candi» dus est, secundum *qualitatem* ajo : Non candidus est, secundum » qualitatem nego. Propinquus est, secundum *relativum* ajo : Non pro» pinquus est, secundum relativum nego. Secundum *situm* ajo, cum

632 Reliquæ, quas commemoravimus, categoriæ expungendæ sunt in iis, in quibus ad decem prædictas non reducuntur. Et quidem Pythagoreorum, & Epicureorum categoriæ suprema genera esse non possunt. Quis enim dixerit, lumen, masculinum, quadratum, intervalla, figuras, &c. esse suprema genera? Categoriæ Platonicorum, si *situm*, & *habitum* addas; demas vero *motum*, & *figuram*, ad nostras Categorias facile reducuntur. Categoriæ juniorum Philosophorum in multis pecant: 1. quidem, quia in illis *Mens* ponitur loco supremi generis; mens autem, si accipiatur ut est communis Deo, Angelis, & hominibus, genus esse non potest, alioqui Deus sub genere contineretur, quod demonstravimus (1) esse non posse. Si autem accipiatur ut est communis Angelis & hominibus, nec etiam genus esse potest; ita enim homo esset mens corpori unita, adeoque non esset vere compositus ex anima & corpore: 2. quia in illis. *mensura* ponitur ut supremum genus, cum tamen ratio mensuræ sit attributum quantitatis: 3. quia ponitur *quies* ut genus supremum, quæ tamen est mera privatio motus: 4. quia neque *motus*, neque *figura* possunt esse suprema genera; motus quidem, quia reducitur ad actionem, vel passionem; figura vero, quia est species qualitatis. Denique si *nexus* accipiatur, ut illum juniores Philosophi accipiunt, pro partium textura, & ordine, nec etiam genus supremum esse potest: nam per ipsos corpora differunt ex diversa textura, & ordine partium. Qui autem fieri potest, ut id in quo aliqua differunt, habeat rationem supremi generis?

633 Ad primum respondemus, ens non præteriri: nam illud est ex quo fit enumeratio decem categoriarum (2), ut dictum

» dico: Jacet; secundum situm nego, cum dico: Non jacet. Secun» dum *habitum* ajo, cum dico: Armatus est; secundum habitum ne» go, cum dico: Non armatus est..... Secundum *tempus* ajo, cum di» co: Hesternus est; secundum tempus nego, cum dico: Non hester» nus est. Et cum dico: Romæ est, secundum *locum* ajo; & secundum » locum nego, cum dico: Non Romæ est. Secundum id quod est *fa*» *cere* ajo, cum dico: Cædit; si autem dicam: Non cædit, secundum » id quod est facere nego, ut ostendam non hoc facere. Et cum dico: » Vapulat, secundum prædicamentum ajo, quod *pati* vocatur; & se» cundum id nego, cum dico, Non vapulat. Et omnino nullum » prædicamenti genus est, secundum quod aliquid ajere volumus, nisi » ut secundum idipsum prædicamentum negare convincamur, si præpo» nere negativam particulam voluerimus."

(1) §. 497.

(2) Boëtius in Prædic. c. 4. *Divisio*, inquit, *fere est generis in spe-*

est (1) : non constituit autem ens primam categoriam, quia genus esse non potest, ut demonstravimus (2). Quies prætermittitur, quia revera non est ens, sed privatio motus : in prædicamentis autem continentur entia, ut supra diximus (3); nisi velimus, privationes ad prædicamenta reduci, ut observavimus (4) ex S. Augustino. Motus prætermittitur, quia est aliquid incompletum, & reducitur ad diversa prædicamenta. Cognitio, & volitio minime prætermittuntur ; pertinent enim ad genus actionis. Vacuum prætermittitur, cum non sit aliquid positivum. Universalia, tantum abest, ut sint prætermissa, quin categoriæ aliud non sint, quam series generum, & specierum : ad species autem reducuntur differentiæ, ac proprietates, & logica accidentia ; hæc siquidem consequuntur essentiam jam constitutam. Entia moralia nec etiam sunt prætermissa ; sunt enim habitus, vel actus humani : habitus autem pertinent ad genus qualitatis; actus ad genus actionis. Entia artificialia, si considerentur ex parte formæ, non sunt prætermissa ; forma enim artefactorum pertinet ad genus qualitatis. Si autem considerentur ex parte formæ ; & subjecti, nec etiam prætermittuntur, sed pertinent ad diversa prædicamenta; cum enim sint unum *per accidens*, ad idem prædicamentum pertinere non possunt.

634 Ad secundum negamus, prædicamentis *ubi*, *quando*, & *habitus* contineri denominationes omnino extrinsecas : nam licet in illis denominans sit extrinsecum, denominatio tamen intrinseca est. Certe corporalia, quæ sunt in loco, circumscribuntur terminis loci, ut ita sint in uno loco, ut non sint alibi. Similiter quæ sunt in tempore, continuo mutantur (5). Mutatur etiam aliquatenus vestis, cum induitur, reponitur, vel projicitur (6). Quis autem di-

---

cies : prædicamentorum vero, quoniam genus unum non habent, divisio esse non potest, sed potius enumeratio est.

(1) §. 631. (2) §. 602. (3) §. 584.

(4) Vide not. 1. pag. 338. sq.

(5) *Dies non stant*, inquit S. Augustinus in Psalm. 89. *non manent, celerrima mutabilitate transcurrunt, nec una hora in eis invenitur, in qua ita simus, ut non alia pars ejus transierit, alia ventura sit, nulla stet, ut sit.*

(6) Agens S. Augustinus in lib. 83. qq. quæst. 73. de diversis modis quibus *habitum* dicimus : » Tertium, *inquit*, genus est, cum ipsa quæ ac» cidunt, mutantur, ut habitum faciant, & quodammodo formantur » ab eis, quibus habitum faciunt, sicut est vestis : nam cum reposita, » vel projecta est, non habet eam formam, quam sumit, cum indui» tur, atque inducitur membris. Ergo induta accipit formam, quam

xerit. hæc omnia nihil esse aliud, quam denominationes extrinsecas (1)?

ARTICULUS II.

Utrum Categoriæ à Peripateticis sint recte ordinatæ.

635 Quia prædicamenta ad Logicam pertinent quoad eorum coordinationem tantum, de hac modo agemus, de reliquis in aliis Philosophiæ partibus.

636 Videtur autem non recte ordinari categoria substantiæ 1. quia in illa dividitur substantia in corpoream, & incorpoream, cum potius dividenda sit in cogitantem, & extensam.

» non habebat exuta : cum ipsa membra, & cum exuuntur, & cum » induuntur, in suo statu permaneant. " Hinc explicat illud Apostoli de Christo Phil. 2. *Habitu inventus ut homo*, quod susceptione humanitatis, hæc quidem mutata sit, non autem Verbum adsumens : » Quo » nomine (habitus) *ait*, oportet intelligi, non mutatum esse Verbum » susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur : quam- » quam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit. " Si hæc Gassendo perspecta fuissent, abstinuisset, puto, ab irridendis Aristoteleis, neque scripsisset l. 2. Exerc. 3. n. 4. *Categoria habitus erit paulo ditior, si ex sartoribus tamen, & armamentariis possit quidpiam corrogare, & surripere.* Nam cognovisset, categoriam habitus conferre posse ad Religionis nostræ explicanda dogmata, & ad Scripturarum intelligentiam.

(1) De prædicamento habitus hæc accipe ex S. Thoma 3. Physic. lect. 5. *In aliis animalibus natura dedit sufficienter ea quæ ad conservationem vitæ pertinent, ut cornua ad defendendum, corium grossum, & pilosum ad tegendum, unculas, vel aliquid hujusmodi ad incidendum sine læsione. Et sic cum talia animalia dicuntur armata, vel vestita, vel calceata, quodammodo non denominantur ab aliquo extrinseco, sed ab aliquibus suis partibus.. .. Sed hujusmodi non poterant dari homini à natura ; tum quia non conveniebant subtilitati complexionis ejus ; tum propter multiformitatem operum, quæ conveniunt homini, in quantum habet rationem, quibus aliqua indeterminata instrumenta accommodari non poterant à natura ; sed loco omnium inest homini ratio, qua exteriora sibi præparat loco horum, quæ aliis animalibus intrinseca sunt. Unde cum homo dicitur armatus, vel vestitus, vel calceatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem neque causæ, neque mensuræ. Unde est speciale prædicamentum, & dicitur habitus.* Vide eumdem S. Thom. 1. 2. q. 49. a. 1.

637 II. In hac categoria ponitur *vivens* sub corpore, cum tamen poni debeat supra corpus : nam vivens latius patet, quam corpus, quippe & Angeli vivunt.

638 Si *vivens* esset sub corpore, valeret argumentari á vivente ad corpus ; ideoque dici pósset : est vivens, ergo est corpus quod tamen dici nequit. Melius ergo categoria substantiæ ordinatur á junioribus Philosophis, ut substantia dividatur in mentem, & corpus ; mens in increatam, & creatam ; creata in Angelos, & mentes humanas, &c.

Propositio. *Decem categoriæ recte à Peripateticis sunt ordinatæ.*

DE SUBSTANTIA.

639 Initium à substantia ducentes, hæc quatuor modis potest accipi : 1. pro essentia (1) : Sic autem acepta, invenitur in omnibus generibus entium ; omnia enim quæ sunt, essentiam habent : 2. prout significat individuum in genere substantiæ, & vocatur *substantia prima* (2), & hypostasis (3), vel persona : 3. prout significat substantiam creatam universaliter acceptam (4), & vocatur *substantia secunda* (5). Denique accipitur substantia, prout abstrahit à prima, & secunda, à creata, & increata, & vocatur substantia *communiter dicta* (6). Porro substantia constituens pri-

(1) S. Augustinus l. 12. de Civ. c. 2. » Sicut, *ait*, ab eo quod est sapere, vocatur sapientia, sic ab eo quod est esse, vocatur essentia; » nomine quidem novo, quo usi veteres non sunt Latini sermonis auc» tores, sed jam nostris temporibus usitato, ne deesset etiam linguæ » nostræ, quod Græci appellant οὐσίαν. " Vide S. Thom. l. de Ente, & Essen. c. 1. ubi similia scribit.

(2) *Prima*, inquam, quia, ut ait S. Thomas q. 7. de pot. a. 9. » Pri» ma intellecta sunt res extra animam, in quæ primo intellectus in» telligenda fertur. " Individua autem sunt extra animam.

(3) Vide Damascenum Dial. c. 30.

(4) De utraque acceptione substantiæ agens S. Augustinus l. 7. de Trin. c. 6. » Substantia, *inquit*, vel persona non ita dicitur, sicut ho» mo, quod est commune omnibus hominibus, sed quomodo dicitur » hic homo, velut Abraham, velut Isaac &c.

(5) *Secunda substantia* dicitur, quia, ut docet S. Thomas loc. cit. » secunda intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelli» gendi ; hæc enim secundo intellectus intelligit, in quantum reflectitur » supra seipsum, intelligens se intelligere, & modum quo intelligit. "

(6) Vide S. Thom. in 1. d. 25. q. 1. a. 1. ad 7.

mam categoriam, sumi non potest pro *essentia*, alioqui nihil esset præter substantiam (1). Neque sumitur pro *substantia prima*; quandoquidem individuum, & hypostasis genus esse non potest (2). Nec etiam sumitur pro substantia *communiter dicta*, alioqui Deus sub genere contineretur: quod demonstravimus (3) esse non posse. Itaque substantia, quæ primam categoriam constituit, est *substantia creata universim accepta*, seu ens creatum in se, & per se subsistens (4). Hæc igitur est genus supremum. Substantiæ autem creatæ, aliæ quidem sunt materiæ expertes, ut Angeli; aliæ materiales, scilicet *corpora*. Corpora vero alia sunt cœlestia, alia sublunaria. Cœlestia sunt vel ipsi cœli, vel astra. Sublunaria vel sunt elementa, vel mixta. Ex mixtis quædam sunt inanimata, ut ligna, lapides, metalla &c. quædam animata, (5) seu *viventia*, quorum aliqua sensu carent, ut arbores; quædam sunt sensu prædita (6), scilicet *animalia*. Inter hæc autem quædam ratione sunt destituta, videlicet bruta; quædam ratione utuntur, hoc est, homines (7). Recte igitur constituta est categoria substantiæ.

---

(1) Hoc sensu ait S. Augustinus in Psalm. 68. ser. 1. n. 5. » Intelli» gitur alio modo substantia illud, quo sumus quidquid sumus..... Na» turæ ipsæ substantiæ dicuntur. Deus est quædam substantia: nam » quod nulla substantia est, nihil omnino est.“

(2) Idem S. Augustinus l. 7. de Trin. c. 6. » Non sicut homo, *inquit*, » subdividitur in Abraham, Isaac, & Jacob, ita unus homo in aliquos » singulos homines subdividi potest; omnino enim non potest, quia » unus homo jam singulus homo est.“

(3) §. 497. (4) Vide Damascen. Dialect. c. 47.

(5) De plantis loquens S. Augustinus l. 1. de Civ. c. 20. *Et hoc*, inquit, *genus rerum, quamvis non sentiat, dicitur vivere: ac per hoc potest & mori.* Quod probat ex Psalm. 77. v. 47. *Occidit in grandine vineas eorum.*

(6) Vide quæ diximus p. §. 247. Cum not.

(7) Seneca Epist. 59. *Homo*, inquit, *species est, equus species est, canis species. Ergo commune aliquod quærendum est his omnibus vinculum, quod illa complectatur, & sub se habeat. Hoc quid est? animal. Ergo genus esse cœpit omnium horum, quæ modo retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed sunt quædam, quæ animam habent, nec sunt animalia. Placet enim satis, & arbustis animam inesse. Itaque & vivere illa, & mori dicimus. Ergo animantia superiorem tenebunt locum, quia in animalia in hac forma sunt, & sata. Quædam anima carent, ut saxa. Itaque aliquid erit animantibus antiquius, scilicet, corpus. Hoc si dividam, ut dicam, corpora omnia aut animata esse, aut inanimata, etiamnum est aliquid superius, quam corpus. Dicimus enim, quædam corporalia esse, quædam incorporalia.*

640 Ad substantiam hæ proprietates accedunt : 1. ut non sit in altero tamquam in subjecto (1) : 2. ut non habeat contrarium (2) : 3. ut non suscipiat magis & minus : 4. ut sit subjectum contrariorum.

DE QUANTITATE.

641 Quantitas est primum accidens afficiens substantiam corpoream (3) : proinde definitur : *accidens extendens substantiam* (4). Extensio autem fieri potest vel ita ut una pars sit alteri continua, vel ita ut una pars sit ab altera discreta. Quapropter quantitas (5) recte dividitur in continuam, & discretam. Extensio autem continua, vel est in longum tantum, & dicitur linea ; vel est in longum, & latum, & dicitur superficies ; vel est in longum, latum, & profundum, & dicitur corpus (6). Quantitas discreta est

---

Quid ergo erit, ex quo hæc deducantur ? Ipse autem Seneca statuit, hoc esse *Quod est* ; nos autem dicimus esse substantiam.

(1) Confer S. August. l. 7. de Trin. c. 5. ubi scribit : » De his re-» bus recte intelligitur (substantia), in quibus subjectis sunt ea quæ » in aliquo subjecto esse dicuntur, sicut color, aut forma in cor-» pore. Corpus enim subsistit, & ideo substantia est : illa vero in » subsistente, atque subjecto corpore, quæ non substantiæ sunt, sed » in substantia. "

(2) Idem S. August. l. de nat. & grat. c. 54. » Substantiæ, *inquit*, » non per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua, & ignis, dicuntur » sibi esse contrariæ. "

(3) Vide S. Thom. 1. 2. q. 52. a. 1. & S. August. Epist. 187. al. 57. c. 4. » Cum sit corpus, *inquit*, aliqua substantia, quantitas ejus in » magnitudine molis ejus. "

(4) Loquimur hic de quantitate molis ; nam quantitas successiva, seu tempus, non est propria species quantitatis ; in tempore enim nulla pars permanet.

(5) Neque hic loquimur de quantitate virtutis, quæ proprie quantitas non est, sed accipitur vel ex præstantia naturæ ; vel ex duratione, aut efficacia operandi ; & convenit etiam substantiis immaterialibus. Vide S. August. l. de quant. animæ c. 32. n. 69. sqq. & S. Thom. 1. p. q. 42. a. 1.

(6) Corpus intellige mathematicum, non physicum. De utroque S. Basilius Hom. 3. Hexam. n. 4. scribit : » Philosophi hoc corpus di-» cunt firmum, quod quasi solidum est, & plenum, quod ita appella-» tur, ut à mathematico distinguatur. Est autem mathematicum, quod » in solis consistit dimensionibus, in latitudine, inquam, ac profun-» ditate & longitudine. "

numerus, qui dividitur in parem, & imparem. Recte igitur distributa est categoria quantitatis.

642 Sex autem recensentur quantitatis proprietates: 1. divisibilitas in partes: 2. extensio relate ad locum: 3. impenetrabilitas: 4. mensurabilitas: 5. ratio æqualitatis, vel inæqualitatis: 6. figurabilitas.

DE RELATIONE.

643 Relatio communissime accepta est *ordo unius rei ad aliam* (1). Dividitur in *realem*, & *rationis* (2). Realis est inter res, quæ naturalem ordinem habent inter se (3). Sic pater refertur ad filium, filius ad patrem. Relatio realis, alia vocatur *transcendentalis*, & *secundum dici*; alia *prædicamentalis*, & *secundum esse* (4). Prior est res absoluta in seipsa, secundario autem ordinata ad aliud (5), ut relatio moventis, & moti (6). Posterior est ipsum *accidens relativum* (7); & definitur, *accidens reale, cujus totum esse est ad aliud.* Hæc posterior constituit prædicamentum relationis, & idcirco dicitur *prædicamentalis.* Nam relatio communissime accepta non potest esse supremum genus; alioquin & Relationes Divinæ continerentur sub genere: quod demonstravimus (8) esse non posse. Similiter relatio quæ abstrahit à relatione reali, & rationis, non potest esse genus supremum; nam ens reale,

(1) S. Thomas q. 7. de pot. a. 9. Qua ex definitione S. Augustinus. l. 5. de Trin. c. 5. infert, relationem ex proprio conceptu nullam imperfectionem involvere, proindeque reperiri posse inter Divinas Personas.

(2) De relatione rationis vide quæ diximus q. 2. ar 3.

(3) Confer S. Thom. 1. p. q. 13. a. 7. & q. 28. a. 1.

(4) S. Thom. ib. q. 13. a. 7. ad 1. De utraque videri potest S. August. l. 5. de Trin. c. 16. ita scribens: » Ea sunt accidentia relativa, » quæ cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt. » Sicut amicus relative dicitur; neque enim esse incipit, nisi cum ama» re cœperit: fit ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. » Nummus autem cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen » mutatus est, cum esse cœpit pretium: neque cum dicitur pignus, » & si qua sunt similia."

(5) Dicitur *transcendentalis*, quia consequitur quodlibet ens creatum; nullum enim creatum ens est, quod non aliquo modo referatur ad aliud.

(6) Vide S. Thom. 1. p. q. 13. a. 7. ad 1.

(7) Vide not. 4. huj. pag.

(8) §. 497.

& rationis nequeunt in uno genere convenire, cum sint primo diversa. Relatio autem *transcendentalis*, cum sit primario res absoluta, pertinet ad categorias, ad quas res illæ absolutæ pertinent (1). Igitur relatio quæ est accidens relativum, constituit supremum genus hujus categoriæ.

644 In relativis autem possunt considerari : 1 subjectum quod refertur : 2. terminus ad quem refertur : 3. ratio, seu causa, & fundamentum, propter quod refertur: 4. ipsa relatio, quæ in hisce relativis primario significatur. Sic pater est subjectum, quod refertur ad filium ; filius est terminus, ad quem pater refertur ; generatio est ratio, propter quam pater ad filium refertur ; paternitas est ipsa relatio. Atqui relationes non distinguuntur specie ex subjectis ; possunt enim in uno eodemque subjecto reperiri plures specie diversæ relationes : igitur distingui debent ex terminis, & rationibus, sive fundamentis referendi.

645 Jamvero rationes, ob quas unum ad alterum referri potest, sunt 1. convenientia, vel discrepantia inter se, sive, ut ajunt ; *unitas*, *& numerus*. 2. *actio*, vel *passio*. 3 ratio *mensuræ*, *& mensurabilis* (2). Triplex est igitur species relationis. Et quidem si duo conveniunt in natura, ut duo homines, relatio dicitur *identitas* : si in quantitate, ut duo trianguli perfecte cohærentes, relatio dicitur *æqualitas* ; si in qualitate, ut duæ figuræ similes, relatio dicitur *similitudo*. Si vero discrepent in natura, relatio dicitur *diversitas* (3) ; si in quantitate *inæqua-*

(1) Quapropter S. Augustinus l. 7. de Trin. c. 4. » Absurdum est, » *inquit*, ut substantia relative dicatur ; omnis res ad seipsam subsistit."

(2) Rationem accipe ex S. Thoma 5. Metaph. lect. 17. » Cum relatio quæ est in rebus, consistat in ordine quodam unius rei ad aliam, » oportet, tot modis hujusmodi relationes esse, quot modis contingit, » unam rem ad aliam ordinari. Ordinatur autem una res ad aliam, » vel secundum esse, prout esse unius rei dependet ab alia ; & sic est » tertius modus : vel secundum virtutem activam, & passivam, se» cundum quod una res ab alia recipit, vel alteri confert aliquid ; & » sic est secundus modus : vel secundum quod quantitas unius rei po» test mensurari per aliam ; & sic est primus modus."

(3) De relationibus *unitatis*, & *diversitatis* loquens S. Augustinus Epist. 170. al. 66. n. 6. » Relativa, *inquit*, aliquando eadem sunt, ali» quando diversa. Eadem, scilicet, cum frater refertur ad fratrem, » amicus ad amicum, vicinus ad vicinum, cognatus ad cognatum.... » In his enim quod est iste ad illum, hoc est ille ad istum." Has (relationes appellant *æquiparantiæ*) » Diversa sunt autem, sicut pater ad » filium, filius ad patrem, socer ad generum, gener ad socerum, do-

litas; si in qualitate, *dissimilitudo.* (1).

646 Ad alteram speciem relationis pertinet relatio causæ ad effectum, & effectus ad causam. Sic David dicitur pater Salomonis, quia ipsum genuit: Salomon dicitur filius Davidis, quia à Davide genitus.

647 Denique relatio potentiarum, & habituum ad objecta pertinet ad tertiam speciem; siquidem potentiæ, & habitus mensurantur ex objectis: ex ipsis enim speciem accipiunt (2).

648 Ex relationibus autem quædam sunt *mutuæ*, quædam *non mutuæ*. Et *mutuæ* quidem dicuntur, si in termino respondet alia relatio ejusdem speciei, ut paternitati filiatio. *Non mutuæ* dicuntur, si in termino non respondet alia relatio ejusdem speciei (3).

649 Relativorum porro hæc sunt proprietates, 1. quod inter se opponantur relative (4), sed non sint per se contraria. 2. quod per se non suscipiant magis, & minus. 3. quod convertantur ad invicem (5). 4. quod sint simul natura, & cognitione, hoc est, simul existant, & simul cognoscantur (6).

» minus ad servum, servus ad dominum." (Has vocant *disquiparantiæ.*) » Non est quidem hoc iste ad illum, quod ille ad istum; sed » ambo tamen homines sunt &c.

(1) Hinc. S. Basilius Epist. 8. al. 141. n. 3. docet, in Divinis Filium Patri dici non posse neque similem, neque dissimilem; *enimvero simile, & dissimile, qualitatum habita ratione, dicuntur: Deus autem liber est à qualitate.*

(2) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 17.

(3) Non mutua est relatio creaturæ ad Deum, quia licet hæc relatio sit accidens creaturæ, nullum tamen accidens in Deo est, quo referatur ad creaturam, sed sola relatio rationis. Vide S. Thom. 1. P. q. 13. a. 7. Hinc. S. Augustinus l. 5. de Trin. c. 16. explicat, quomodo aliqua in tempore dicantur de Deo, quin Deus mutetur, ut cum dicitur dominus creaturæ, quæ sempiterna non est: » Quod ergo, *in-* » *quit*, temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, ma- » nifestum est relative dici: non tamen secundum accidens Dei, quod » ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens ejus ad quod di- » ci aliquid Deus incipit relative."

(4) Vide Damascenum in Dialect.

(5) » Omnia quæ relative dicuntur, ad invicem dicuntur" inquit, S. Augustinus l. 7. de Trin. c. 1.

(6) Vide S. Thom. q. 7. de pot. a. 2. ad 1.

DE QUALITATE.

650 Omnis qualitatis divisio quatuor speciebus continetur, quarum prima est, *habitus*, & *dispositio*; altera, *potentia* & *impotentia*: tertia *passio*, & *patibilis qualitas* (1), quarta *forma*, & *figura*. Nam *qualitas proprie importat quemdam modum substantiæ* (2). Totidem ergo debent esse species qualitatis, quot modis substantiæ, sive subjecta affici possunt. Determinatio autem subjecti potest accipi, vel relate ad ipsam naturam subjecti: vel secundum actionem, & passionem: vel secundum quantitatem (3). Si consideretur relate ad ipsam naturam subjecti, hæc potest bene, vel male se habere. Habitus autem, & dispositio determinant ipsam naturam subjecti ad bene, vel male se habendum (4). Et quidem si determinatio dimoveri per se (5) difficiliter possit, dicitur *habitus* (6). Si autem ea determinatio di-

---

(1) Vide S. Thom. 7. Phys. lect. 5.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 49. a. 2. Ne autem juniores Philosophi Scholasticos accusent, quod puras voces venditent, rogamus, ut legant Homiliam 6. S. Basilii in Hexam. ubi n. 3. scribit: » Nec cui» quam incredibile videatur quod dictum est, lucis scilicet splendorem » aliud quiddam esse; aliquid vero aliud, ipsum corpus luci subjectum. » Primum quidem ex eo quod composita omnia sic à nobis dividan» tur, & in recipientem substantiam, & *in qualitatem* ipsi advenien» tem. Quemadmodum igitur aliud natura est albor, aliud corpus de» albatum: sic etiam quæ modo retulimus, licet natura diversa, ta» men Creatoris potentia fuere conjuncta."

(3) Vide S. Thom. 1. 2. q. 49. a. 2.

(4) S. Augustinus l. 83. q. 73. » Multis modis, *inquit*, habitum dici» mus: vel habitum animi, sicut est cujuscumque disciplinæ perceptio, » usu roborata, atque firmata: vel habitum corporis, secundum quem » dicimus, alium alio esse succulentiorem, & validiorem, quæ magis » proprie habitudo dici solet: vel habitum eorum quæ membris nos» tris accommodantur extrinsecus, secundum quem dicimus vestitum, » calceatum, armatum, & si quod ejusmodi est. In quibus omnibus » generibus (siquidem nomen hoc ductum est ab illo verbo, quod est » habere) manifestum est, in ea re dici habitum, quæ accidit alicui, » ita ut eam possit etiam non habere."

(5) *Per se*, inquam; nam ex conditione subjecti aliquando habitus facile dimovetur. Sic habitus scientiæ, dum non excolitur, amittitur.

(6) Hinc Cicero Top. 1. *Habitus*, ait, *in aliqua perfecta, & constanti animi, aut corporis absolutione consistit.* Verum habitus corporis proprie habitus non sunt, ut not 4. præc. animadvertimus

moveri facile possit dicitur, *dispositio*. Habemus igitur primam qualitatis speciem, quæ rursus dividitur: nam habitus alius est infusus, ut habitus virtutum Thologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis; alius est acquisitus, qui vel est intellectualis, vel moralis. Intellectualis quintuplex est, ut supra diximus (1) Moralis dividitur in virtutes cardinales, prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem & in vitia ipsis opposita. Dispositio autem alia est spiritualis, ut opinio: alia corporalis, ut sanitas.

651 Jamvero determinatio subjecti secundum actionem, & passionem, pertinet, ad secundam, & tertiam speciem qualitatis. Secundum actionem quidem: nam ut subjectum operetur, debet esse instructum vi, & facultate operandi, sive *principio proximo operativo*. Hæc facultas si plurimum valeat, dicitur *potentia* (potentia, inquam, activa) (2): si parum, dicitur *impotentia*, seu *tenuis potentia*. Utraque autem dividitur in plures species, vegetandi, sentiendi, intelligendi, appetendi, movendi, &c. (3).

652 Si autem determinatio subjecti sit secundum passionem, habetur tertia species qualitatis. *Passio* autem dicitur 1. quæcumque receptio (4), sic vero pertinet ad aliam categoriam, de qua infra. 2. cum in subjecto recipitur aliquid cum abjectione alterius rei, quæ ipsi convenit ex natura, vel ex propria inclinatione: sic pati dicitur qui infirmatur, quia abjicitur sanitas. 3. cum abjicitur aliquid quod subjecto non convenit, & sic pati dici-

---

cum S. Augustino, cui S. Thom. subscribens, ait q. 10. de ver. a. 2. » Ea quæ superadduntur in potentiis sensitivis, non superadduntur per » modum habitus, sed per modum passionis. In potentiis vero intel» lectivis animæ per modum habitus; quia sensitiva pars agitur instinc» tu naturæ magis, quam agat; intellectiva vero pars est domina sui » actus; & ideo competit ei habere promptitudinem ad actus, ut possit » operari, cum libet."

(1) §. 184.

(2) Vide S. Augustinum l. de nat. & grat. c. 45. sqq. & S. Gregorium Nyssenum l. 22. con. Eunomium, ubi sic habet: »In is qui» bus inest à natura efficiendi vis & facultas, alterum *potentia* consi» deratur, alterum secundum actus expletionem. Quemadmodum exem» pli gratia, navium fabricatorem semper esse potentia dicimus eum, » qui ædificandæ navis arte præditus est; operari vero, cum in ope» ribus ipsis suam ostendit scientiam."

(3) Confer S. Thom. 1. de anima lect. 12.

(4) Sic intellectio quandoque dicitur passio, non quod vera actio non sit, sed quia in intellectu recipitur.

tur etiam qui sanus evadit, ægritudine abjecta (1). 4. sumitur pro motibus appetitivis, quibus animal prosequitur bonum, & aversatur malum; & sic amor, ira, odium dicuntur passiones (2). 5. accipitur passio pro qualibet qualitate alterante subjectum; quæ quidem si cito transit, ut rubor ex verecundia, dicitur *passio*; si diu perseverat, ut pallor ex temperamento, dicitur *passibilis qualitas* (3). Postremo modo acepta passio constituit hanc tertiam speciem, qua continentur omnes sensibiles qualitates alterantes subjectum, ut calor, frigus &c.

653 Denique determinatio subjecti secundum quantitatem pertinet ad quartam speciem qualitatis, scilicet, ad *formam*, & *figuram*. Ac figura quidem consequitur quantitatem molis; figura enim est, quæ termino, vel terminis continetur (4): nulla autem quantitas est, quæ non aliquibus terminis contineatur. Figurarum porro multæ sunt species, circuli, parallelogrammi &c. Forma vero hic accipitur non pro forma naturali, sed pro ea, quam artifex ponit in materia subjecta, disponendo ejus partes ex regulis artis (5).

654 Qualitatum hæ recensentur proprietates, 1. habere contrarium, 2. suscipere magis & minus, 3. fundare rationem similitudinis, vel dissimilitudinis. Hæc tertia proprietas convenit omnibus speciebus. Prima, & secunda conveniunt primæ, & & tertiæ speciei.

DE ACTIONE, ET PASSIONE.

655 Cum aliquid fit, effectus emanat ab agente & in subjecto recipitur. Emanatio dicitur *actio*; receptio dicitur *passio*; fieri dicitur *motus*, vel *mutatio*; motus quidem, si effectus

(1) Vide S. Thom. 1. 2. q. 22. a. 1.

(2) Vide S. August. l. 9. de Civ. c. 4.

(3) Hanc posteriorem idem S. Augustinus l. 5. con. Julian. c. 18. vocat *affectionalem qualitatem*; priorem vero illam, *affectionem*. » Quantum ad animum attinet: affectio est timere, affectionalis qua» litas, timidum esse. Sic aliud est iratus, aliud iracundus; aliud ebrius, » aliud ebriosus. Illæ affectiones, istæ affectionales sunt qualitates. Quan» tum autem ad corpus, sic aliud est pallens, aliud pallidum; aliud » rubens, aliud rubicundum, & si qua hujusmodi, quorum plurimis desunt » usitata vocabula." Vide S. Thom. 3. p. q. 63. a. 2. ad 2.

(4) S. Thom. 7. Phys. lect. 5.

(5) Vide S. Thom. 1. 2. q. 49. a. 2.

producitur in tempore ; mutatio , si producitur in instanti. *Agens* vero est causa efficiens, quæ si agit virtute propria, dicitur causa *principalis* ; si agit virtute alterius , dicitur *instrumentalis.* Itaque *actio* est emanatio effectus ab agente : *passio* est receptio effectus in subjecto (1).

656 Actio autem quandoque producit effectum in alio subjecto extra ipsum agens , ut urere , secare, &c. quandoque manet in ipso agente, ut intelligere, velle , &c. Prior vocatur *actio transiens* ; posterior , actio immanens (2). Hæc autem aliquando ita manet in agente , ut nihil extra producat , & dicitur *formaliter immanens* ; aliquando ita manet in agente , ut nihilominus producat aliquid extra ipsum agens , ut est actio, qua Angeli movent corpora , & vocatur *virtualiter transiens.* Actiones immanentes sunt intellectio , appetitio, sensatio, vegetatio. Actiones transeuntes , aliæ quidem sunt naturales , illæ nimirum quibus substantiæ , vel accidentia producuntur ; aliæ artificiales, quibus pro diversitate artium diversa opera artificiose fiunt.

DE RELIQUIS CATEGORIIS.

657 *Ubi* communissime acceptum significat præsentiam rei in loco; quæ quidem præsentia non solum creatis rebus, sed etiam Deo convenit , qui ob suam immensitatem est ubique præsens. *Ubi* creatarum rerum dividitur in *spirituale* , seu *definitivum* , & *corporale* , sive , ut vocant , *circumscriptivum. Ubi* vero spirituale aliud est Angelicum, sive præsentia Angelorum in loco , in quo aliquid extra operantur (3) ; aliud est animæ humanæ in corpore , quod informat. Accedit *ubi Sacramentale*, quo Christus ineffabili modo est realiter præsens in Eucharistia

---

(1) Vide S. Thom. in 1. d. 8. q. 4. a. 3. ad 3.

(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 18. a. 3. ad 1. Confer etiam S. Agustinum in illud Psal. 126. *Ita filii excussorum* , scribentem : » Qui ex-» cutit , aut se excutit , aut aliquid aliud : si aliquid aliud excutiat , ex-» cutiens est , excussus non est : si autem se excutiat , & excutiens est, & » excussus. Intendite , hoc planius dicam , si potuero. Si aliud excu-» tiat , excutiens est , non excussus : si ab alio excutiatur , excussus » est, non excutiens : si autem excutiat seipsum , excutiens est , quia » excutit se ; & excussus , quia excutitur à se."

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 52. a. 2. statuentem differentiam inter ubi *definitivum* Angelorum , & ubi *circumscriptivum* corporum.

sub speciebus panis, & vini (1). Hæ autem ubicationes ad hanc categoriam non pertinent (2). Itaque *ubi circunscriptivum* duntaxat, sive proportio locati ad locum (3), est hujus categoriæ genus supremum. *Quid enim*, ut ait S. Augustinus (4), *potest contineri loco, nisi corpus?* Dividitur autem *ubi circumscriptivum* pro divisione locorum, nimirum, sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum.

658 *Situs* aliud non est, quam positio, sive ordo partium corporis secundum locum (5). Partes autem corporis possunt esse positæ in loco, vel secundum ordinem à natura præstitutum, vel præter hujusmodi ordinem. Quare situs alius est *naturalis*, ut quod in homine caput sit pars superior; Deus enim.

Os homini sublime dedit, Cœlumque videre.

Alius est *præternaturalis*, ut si brachium luxetur.

659 Proportio rei existentis ad tempus, à quo mensuratur, dicitur *quando* (6). Species ejus sunt heri, cras, hodie &c. Tempus autem differt ab æternitate, & ab ævo; ab æternitate quidem, quia æternitas non habet neque initium, neque terminum, sed est tota simul (7). Ab ævo autem, quia ævum est mensura creaturæ, quæ *habet initium, & non habet teminum* (8), cujusmodi est duratio Angelorum, & animarum rationalium. Tempus vero est mensura rerum, quæ habuerunt initium, & terminum sunt habituræ, hoc est, rerum omnium corruptioni obnoxiarum, ideoque mutabilium tam secundum operationem, quam secundum esse (9).

---

(1) Confer S. Thom. 3. p. q. 76. a. 5. ad 1. quo loco ponit differentiam inter ubi *sacramentale*, & ubi *definitivum*.

(2) » Quis idoneus est (inquit S. Augustinus Tract. 111. in Joan. » n. 3.) loca ista, vel quæ sunt in locis istis, sine spatiosis capacitati» bus, & sine corporeis molibus cogitare? Nam ut idem S. Augusti» nus advertit Epist. 140. al. 120. c. 23. n. 57. » Localia spatia non » occupant, nisi corporum moles. Non est hoc spiritus vitæ, non est » hoc anima rationalis, multo minus Deus omnium benignissimus con» ditor.«

(3) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 9.

(4) Ser. 50. al. 15. de diversis, c. 9.

(5) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 17.

(6) Vide S. Thom. 3. Phys. lect. 5.

(7) S. Augustinus in Psal. 109. n. 16. » Noli, *inquit*, quærere quan» do; æternitas non habet quando. Quando, & aliquando verba sunt » temporum.«

(8) S. August. l. 4. de Gen. ad litt. c. 18. n. 32.

(9) S. Thom. 1. p. q. 10. a. 5.

660 Denique cum *habitus* significet ordinem indumenti ad indutum, ejus categoria dividitur pro diversitate indumentorum (1).

661 Ad primum dicimus, substantiam dividi non posse in cogitantem, & extensam; nam licet cogitare sit proprietas substantiæ spiritualis, & extensio sit proprietas substantiæ corporeæ; non sunt tamen differentiæ essentiales dividentes substantiam; nam neque essentia substantiæ spiritualis in actuali cogitatione, neque essentia corporis physici in actuali extensione posita est, ut alibi ostendemus.

662 Ad secundum respondemus, non omne vivens poni sub corpore, sed vivens per animam, seu quod constituitur ex corpore, & anima. Angeli autem viventes sunt, non ea vita quæ est ab anima sed per suam substantiam, cui convenit agere se ad operationem (2).

663 Ad tertium concedimus, omne vivens per animam habere corpus; negamus vero, omne vivens esse corpus: quia non omne quod vivit, per animam vivit; anima enim, & Angeli vivunt per propriam substantiam, quatenus se agunt ad operandum. Quare autem substantia dividi non possit in mentem, & corpus, dictum est supra (3).

QUÆSTIO XIII.

De Hypotheoriis.

664 Hypotheoriis, quæ vulgo *Postprædicamenta* dicuntur, quidam continentur modi diversa rerum genera consequentes (4). Hi autem modi quinque recensentur, 1. *oppositio*, 2. *prioritas*, 3. *simultas*, 4. *motus*, 5. *modus habendi* (5). De motu copiose age-

(1) Vide S. Thom. 11. Metaph. lect. 12.

(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 18. a. 2. (3) §. 632.

(4) Confer S. Thom. 1. 2. q. 49. a. 1.

(5) Boëtius in Aristotelis Prædicamenta l. 2. c. 10. quamquam refert, Andronicum non putare hanc de Postprædicamentis adjectionem Aristoteli esse adscribendam; nihilominus ait: » Porphirius hanc ad» jectionem vacare, & carere ratione non putat; cujus hanc prodidit » causam. Ut enim multa sunt, quæ quod communibus conceptioni» bus non sese suggererent, in hujus libri principiis ab Aristotele præ» dicta sunt, ut de æquivocis, & univocis, & denominativis, & de iis » omnibus usque ad substantiæ disputationem, quæ ad ipsorum com» mentorum utilitatem, cognitionemque prædicta sunt; ita & quædam » fuisse, quæ essent quidem in communibus sensibus, egerent tamen

mus in Physica. De reliquis modo : ac 1. de oppositionis divisione ; 2. de simultate, & prioritate. Deinde agemus de modis.

ARTICULUS I.

Utrum oppositionis divisio sit adæquata.

665 Oppositio repugnantiam quamdam præsefert inter ea, quæ invicem opponuntur : quæ quidem debent esse distincta ; nulla enim res sibi ipsi repugnat (1). Quadruplex est oppositio, 1. relativa, 2. contraria, 3. privativa. 4. contradictoria.

666 Ac relativa quidem, est *repugnantia inter duo, eo quod unum refertur ad aliud.* Sic pater opponitur filio (2). Est autem hæc oppositio omnium minima : non enim destruit alterum extremum, sed tantummodo distinguit unum extremum ab altero ; atque invenitur inter Divinas Personas, quæ per oppositionem relativam distinguuntur inter se (3).

667 Oppositio contraria, est *repugnantia inter duas formas ejusdem generis proximi, quæ ab eodem subjecto mutuo se expellunt*, ut inter calorem & frigus. Proinde ea dicuntur contraria, quæ sub eodem genere proximo (4) maxime distant, & mutuo se destruunt (5).

» utilioris divisionis modo ; hæc diligenter supposita sunt, ut quid es- » sent, prope teneretur, ne falsis opinionibus traductus audientis ani- » mus luderetur." Qua sane Porphyrii ratione præocupata jampridem fuit instantia Gassendi Aristoteleis exprobrantis l. 2. Exerc. 3. quod male diviserint ens in decem categorias, propterea quod præter illas decem, & Anteprædicamenta, & Postprædicamenta probentur ; minime animadvertens, tam illa, quam ista ad Prædicamenta reduci ; illa quidem tamquam principia ; ista vero tamquam adfectiones rerum in diversis Prædicamentis positarum. Quemadmodum nescisse videtur, quænam sint, & dicantur *transcendentia*. Si enim tenuisset, *transcendentia* dici, quæ per omnia genera veluti divagantur, non ausus fuisset scribere : *Audio esse quædam transcendentia, quæ categoriæ nullis catenis stringere, ac tenere valeant.*

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 28. a. 3.

(2) Vide S. Thom. Opus. 37. c. 1.

(3) S. Thom. 1. p. q. 40. a. 2.

(4) *Proximo*, inquam, ut calor, & frigus ; nam si distent in genere remoto, ut lapis, & homo, disparata dicuntur, non opposita.

(5) S. Augustinus Enchir. c. 14. » Nullus cibus, *inquit*, simul dul- » cis, & amarus : nullum corpus simul ubi album, ibi & nigrum, » nullum simul ubi deforme, ibi & formosum."

668 Privativa oppositio est *repugnantia inter formam, ejusque carentiam in subjecto apto ad illam habendam* ut inter visionem, & cæcitatem (1). Differt autem negatio à privatione, quod negatio sit carentia formæ in subjecto minime apto ad illam habendam, ut cæcitas in lapide. Privatio vero duplex est: una quidem quæ tollit actum, non potentiam, ut tenebræ, quæ auferunt præsentiam lucis in aere; altera, quæ tollit, simul actum, & potentiam, ut cæcitas. Ab ista ad formam non est naturaliter reditus, bene vero ab illa (2). Etsi vero privatio secundum se non suscipiat magis, & minus: est enim carentia formæ; nihilominus prout forma ei opposita potest suscipere magis, & minus, privationes dicuntur majores, vel minores. Sic tenebræ aliquando majores, aliquando minores sunt pro majori, vel minori lucis defectu (3).

669 Denique oppositio contradictoria est *repugnantia inter ens, & non ens*; estque propterea omnium maxima, nec habet medium, quod esse non potest inter ens, & non ens.

670 Videtur autem hujusmodi divisio redundare, I. quia in qualibet oppositione unum oppositum habet negationem alterius: sic cæcus est non videns: pater est non filius. Ergo una tantum est oppositio contradictoria.

671 II. Eadem divisio videtur esse diminuta: nam præter recensitas oppositiones, est etiam oppositio subcontraria, & subalterna.

Propositio. *Divisio tradita oppositionis sufficiens est, & adæquata.*

672 Prob. ratione S. Thomæ (4). unum alteri opponitur, vel ratione ordinis, vel ratione remotionis. Si ratione ordinis, habetur oppositio relativa; in relativis enim unum non potest esse alterum, alioqui nulla esset relatio: quandoquidem nulla res ad seipsam refertur. Si ratione remotionis, id potest tripliciter contingere, aut enim unum ita removet alterum, ut nihil relinquat, & habetur oppositio contradictoria: aut relinquit subjectum dumtaxat, & habetur oppositio privativa: aut relinquit subjectum, & genus, & habetur oppositio contraria; nam

(1) Vide S. Aug. l. de nat. boni, c. 16.
(2) Vide S. Thom. 8. Metaph. lect. 4.
(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 11. a. 4. ad 1.
(4) 5. Metaph. lect. 12.

contraria non solum sunt in eodem subjecto, sed in eodem genere proximo, ut dictum est (1), Divisio ergo oppositionis sufficiens est, & adæquata (2).

673 Ad primum neg. conseq. nam ex antecedente solum infertur, contradictionem aliquo modo includi in aliis oppositionibus (3).

674 Ad secundum dicimus, oppositionem subcontrariam, & subalternam locum habere tantummodo in propositionibus; hìc autem loquimur de oppositione rerum.

ARTICULUS II.

Utrum in iis, quæ sunt simul, unum possit esse altero prius.

675 Prioritas, & simultas quintuplex est, 1. ordinis, 2. dignitatis, 3. temporis, 4. naturæ, 5. secundum existendi consequentiam.

676 Ordine priora dicuntur illa, quorum unum præcedit alterum, vel secundum positionem, sicut punctum dicitur prius linea, & linea prior superficie, & binarius prior ternario; vel secundum cognitionem, sicut principia sunt priora conclusionibus;

---

(1) §. 667.

(2) Quare Archytas, referente Simplicio, ajebat: » Et lege, & natura opponi invicem dicuntur contraria, veluti bonum malo, & sanum ægro, & verum falso. Quædam, ut habitus privationi, ut vita morti, & visio cæcitati, & scientia oblivioni. Quædam, ut quæ ad aliquid quodammodo se habent, ut duplex dimidio, princeps subdito, & dominus servo. Alia, ut affirmatio negationi, veluti, hominem esse, & hominem non esse, & probum esse, & non esse."

(3) Id S. Thomas explicat 10. Metaph. lect. 6. » Cum quatuor modis aliqua alicui opponantur: uno modo ut contradictio, sicut sedens non sedenti: alio modo ut privatio, sicut cæcus videnti: tertio modo ut contrarietas, sicut nigrum albo: quarto modo ad aliquid, sicut filius patri. Inter ista quatuor genera oppositionis primum est contradictio. Cujus ratio est, quia contradictio includitur in omnibus aliis tamquam prius, & simplicius. Opposita enim secundum quodcumque oppositionis genus, impossibile est, simul existere. Quod quidem contingit ex hoc, quod unum oppositum de sui ratione habet negationem alterius. Sicut de ratione cæci est, quod sit non videns: & de ratione nigri, quod non sit album: & similiter de ratione filii est, quod non sit pater ejus cujus, est filius."

vel secundum rationem causæ: hæc enim ordine præcedit effectum. Ordine autem dicuntur esse simul, quæ sunt ejusdem ordinis, ut species contentæ sub eodem genere (1).

677. Priora dignitate dicuntur illa, quorum unum excellentia præcedit alterum, sicut Rex primus est in Republica. Ea vero quæ sunt ejusdem præstantiæ, dicuntur esse simul dignitate (2).

678 Tempore priora sunt illa, quorum unum præcedit alterum duratione: quæ vero non sese invicem duratione præcedunt, dicuntur esse simul tempore. Hinc priora tempore dicuntur non ea tantum, quæ non eodem tempore existunt; sed etiam ea, quorum unum fuit altero prius, ut in præteritis factis, bellum enim Trojanum fuit prius bellis Romanorum: & similiter ea, quorum unum prius altero continget, licet utrumque sit futurum: sicut festum futuri Paschatis dicitur prius festo futuro Pentecostes, cum tamen utrumque sit futurum (3).

679 Jam vero prioritas naturæ est inter ea, quæ tempore quidem sunt simul, at unum pendet ab altero tamquam à causa: sicut sol dicitur natura prior luce, quia licet numquam sit sol sine luce, est tamen causa lucis (4). Simultas autem naturæ est inter ea quæ sese mutuo ponunt, & destruunt, scilicet, inter relativa, quorum unum sine alio nec essse, nec concipi potest (5).

---

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 42. a. 3.

(2) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 13.

(3) Vide S. Thom. ibid.

(4) Eunomium refellens S. Basilius l. 1. adv. ipsum n. 20. »Illud »vero, *inquit*, aut non intellexit, aut ultro occuluit, quoddam or»dinis esse genus, non nostra constitutum ordinatione, sed ipsa ne»cessitudine naturali contingens, quo se modo habent ignis, & lux, »quæ ex ipso est. Nam in iis causam priorem esse dicimus: posterius »vero id quod ab ipsa est, non intervallo hæc à se invicem dirimen»tes, sed cogitatione causam ante effectum intelligentes." Et Nazianze»nus Orat. 33. »Perspicuum est, *ait*, causam non omnino antiquiorem »esse iis, quorum causa est; neque enim sol lucem tempore antecedit."

(5) Omnes modi prioris, & posterioris, ut advertit S. Thomas 5. Metaph. lect. 13. ad hunc unum reduci possunt, quod prius possit esse sine posteriori, nequaquam posterius sine priori. Quæ ratio est, cur in Divinis Personis nulla sit prioritas ne quidem originis; numquam enim *solus Pater sine Verbo fuit*, ut ait Chrysostomus Hom. 3. in Joan. nec Pater, & Verbum sine Spiritu Sancto. Vide S. Thom. 1. p. q. 33. a. 1. ad 3.

680 Denique priora secundum existendi consequentiam ea dicuntur, quorum unum infert existentiam alterius, hoc vero non infert illius existentiam: sic homo infert animal, non econtra; nam species non reciprocatur cum genere, ut dictum est (1). Ea vero, quorum existentia mutuo infertur, dicuntur esse simul secundum existendi consequentiam: sicut enim valet, est homo, ergo est animal rationale; ita, est animal rationale, ergo est homo (2).

681 Videtur autem, fieri non posse, ut eorum quæ sunt simul, unum sit altero prius, I. quia prioritas, & simultas opponuntur; sed opposita nequeunt esse simul, ut dictum est (3). Ergo.

682 II. Si in iis quæ sunt simul, unum posset esse altero prius, essent, & non essent simul: quod contradictionem involvit.

Propositio. I. *Fieri non potest, ut in iis quæ sunt simul, unum sit altero prius in eodem genere simultatis, & prioritatis.* II. *Bene vero in diverso genere.*

683 Prob. 1. p. Si duorum, quæ sunt simul, unum posset esse altero prius in eodem genere simultatis, & prioritatis, essent, & non essent simul secundum eamdem rationem; essent quidem ex hypotesi; non essent, quia unum esset altero prius. Hæc autem contradictoria sunt. Quare in iis, quæ sunt simul tempore, vel natura, unum non potest esse prius altero, tempore, vel natura.

684 Prob. 2. p. Si prioritas, & simultas sunt diversi generis, nulla sequitur contradictio ex hoc quod eorum, quæ sunt simul, unum sit altero prius: non enim id est secundum eamdem, sed secundum diversam rationem; sic autem tollitur contradictio. Quare duorum, quæ sunt simul tempore, unum potest esse natura prius altero (4). Et per hæc patet responsio ab objecta.

---

(1) §. 510. (2) Vide S. Thom. 5. Metaph. lect. 13.
(3) §. 665.
(4) Id S. Augustinus egregie explicat l. 12. Confess. c. 29. petito exemplo ex sono, & cantu, qui quidem tempore sunt simul, & nihil hominus sonus præcedit cantum natura, sive ut S. D. ait *origine*. » Quis » sic acutum cernat animo, ut sine labore magno dignoscere valeat, » quomodo sit prior sonus, quam cantus. Ideo quia cantus est forma-

QUÆSTIO XIV.

De ideis modorum.

685 UT completa sit tractatio idearum relatarum ad objecta, restat agendum de modis. De his autem tria quæremus 1. de eorum distinctione à re cujus sunt modi. 2. de eorum distinctione ab accidentibus, 3. de genere, ad quod reducuntur.

ARTICULUS I.

Utrum modi distinguantur à re, cujus sunt modi.

686 MOdus, ut habet S. Thomas (1), mensurationem quam

» tus sonus, & esse utique aliquid non formatum potest, formari » autem quod non est, non potest. Sic est prior materies, quam id » quod ex ea fit: non ideo prior, quia ipsa efficit, cum potius fiat; » nec prior intervallo temporis. Neque enim priore tempore sonos edi- » mus informes sine cantu, & eos posteriore tempore in formam can- » tici coaptamus, aut fingimus, sicut ligna quibus arca, vel argentum » quo vasculum fabricatur. Tales enim materiæ tempore etiam præce- » dunt formas rerum quæ fiunt ex eis. At in cantu non ita est; cum » enim cantatur auditur sonus ejus; non prius informiter sonat, & dein- » de formatur in cantum. Quod enim primo utcumque sonuerit, præ- » terit, nec ex eo quidquam reperies quod resumptum arte componas: » & ideo cantus in sono suo vertitur, qui sonus ejus, materies ejus est. » Idem quippe formatur, ut sit cantus, & ideo, sicut dicebam, prior » materies sonandi, quam forma cantandi: non per faciendi poten- » tiam prior (*id est in genere causæ efficientis*); neque enim sonus » est cantandi artifex, sed cantanti animæ subjacet ex corpore de » quo cantum faciat. Nec tempore prior; simul enim cum cantu edi- » tur. Nec prior electione (*id est dignitate*); non enim potior sonus, » quam cantus; quandoquidem cantus est non tantum sonus, verum » etiam sonus speciosus. Sed prior origine (*sive natura*), quia non » cantus formatur, ut sonus sit, sed sonus formatur, ut cantus sit." Ex quibus consequitur, duorum, quæ sunt simul tempore, unum posse esse altero prius in diverso genere causæ; sicut sonus ut materies cantus, est prior cantu; cantus ut forma soni, est prior sono; tempore autem sonus & cantus simul sunt.

(1) In 3. d. 27. q. 3. a. 3.

dam significare videtur (1). Mensuratio autem potest esse, vel in substantia, vel in accidentibus; & idcirco, ut idem S. Thomas docet (2), modus alius est substantialis (3), alius accidentalis (4). Rursus mensuratio vel potest esse intrinseca, vel extrinseca; quapropter modus alius est intrinsecus, ut curvitas in tibia; alius extrinsecus, ut quod columna sit mihi dextera, vel sinistra. Modi autem intrinseci, vel sunt absoluti, ut rectitudo, aut curvitas lineæ; vel sunt respectivi (5), sive, ut ajunt, *connotativi*, ut respectus scientiæ ad objectum. Denique modi alii sunt positivi, ut intensio caloris; alii negativi, ut caloris remissio (6).

---

(1) Quare S. Augustinus l. 4. de Gen. ad litt. c. 3. *Mensura*, inquit; *omni rei modum præfixit.*

(2) De ver. q. 21. a. 6. ad 5.

(3) Hoc sensu S. Augustinus l. de nat. boni con. Manichæos c. 21. de omnibus quæ à Deo facta sunt, ait: *Ipsa etiam sub Deo, qui omnia in mensura, & in numero, & pondere disposuit, necesse est, ut aliquo modo cohibeantur.*

(4) Cicero l. 2. de nat. Deor. 50. *Solis*, inquit, *accessus, & recessus frigoris, & caloris modum temperant.*

(5) Lockius, quem posteriores Logici, qui à Paripateticis recesserunt, sequuti sunt, Essai &c. l. 2. c. 12. §. 3. omnes ideas ad tria capita revocat, 1. modorum, 2. substantiarum, 3. relationum. Sed mala divisio est; nam quæ est ratio, quare relationes non debeant revocari ad modos? Cum enim modi ex ipso Lockio ib. §. 4. sint affectiones substantiæ; substantia autem affici possit, & in seipsa, & respectu alterius substantiæ: evidens est, principiis Lockii relationes revocari debere ad modos. Peccat igitur divisio Lockii contra regulas Logicæ.

(6) Genuensis Art. Log. Crit. l. 2. c. 10. §. 8. modos dividit in simplices, & compositos. Inter simplices collocat *figuram*, *colorem*, *odorem*, inter compositos, *amorem*, *odium*, *misericordiam.* Rationem reddit, quia illa unum tantum modum significant, ista plures simul modos complectuntur. Rogamus, ut nos doceat, ecqui sint isti plures modi, quos complectuntur *amor*, *odium*, *misericordia.* Amor, inquit, vix potest definiri. Quid erit hinc consequens? Cæteri amorem facile definierunt. Id si Genuensis ignoravit, cur amorem, cujus naturam nesciebat, reposuit inter modos compositos? Sed amor, inquit ib. §. 10. pro rerum, quæ amantur varietate varius est. Anne figuræ pro varietate linearum, & angulorum, non solum variæ, sed infinitæ sunt? Anne color varius est pro varietate refractionis lucis? Quid ergo malum: figura, & color erunt modi simplices, non item amor, qui simplicissimus in se est, & unam tantum divisionem patitur, scilicet, amoris amicitiæ, & concupiscentiæ? Sed egregius Philosophus, dum conatur ostendere varietatem amoris pro varieta-

687 Videntur autem modi esse indistincti à re, cujus sunt modi: I. nam modus nihil est aliud, quam ipsa rei entitas hoc modo se habens.

688 II. Modus sine re esse non potest; neque enim potest esse intensio v. g. caloris sine ipso calore.

Propositio. I. *Modi intrinseci positivi absoluti distinguuntur à re cujus sunt modi.* II. *Modi negativi nihil rei addunt præter negationem.* III. *Modi extrinseci nihil ponunt in re, sed circa rem.* IV. *Denique modi respectivi sunt aliquid distinctum à re, si in ipsa rei natura non includantur.*

689 Prob. 1. p. Ea inter se distinguuntur, quorum unum sine altero esse potest; nam aliter idem posset esse sine se ipso. Sed potest res esse, sine modis intrinsecis positivis absolutis: sic calor potest esse, quin sit intensus. Ergo.

690 Prob. 2. p. Negatio non est ens, sed entis carentia. Igitur modi negativi nihil addunt rei positivum, sed solam negationem; sic calori nihil additur, cum ex intenso fit remissus, sed potius aliquid ei detrahitur.

691 Prob. 3. p. Si modi extrinseci aliquid in re ponerent, jam essent intrinseci. Essent igitur, & non essent intrinseci: quod fieri non potest.

692 Denique si modi respectivi non includuntur in ipsa rei natura; res igitur ex seipsa alteram non respicit: ut ergo alteram respiciat, necesse est aliquid addi; nisi enim aliquid adderetur, numquam ex seipsa alteram respiceret. Si autem res ex sui natura alteram respiciat, non oportet, aliquid addi: nam quod ex se tale est, non eget altero, ut tale fiat.

693 Ad primum dicimus, non posse rei entitatem hoc modo se habere, nisi aliquid addatur: nam si nihil accedat, erit

---

te rerum, primo loco ponit affectum masculi erga fœminam, animadvertique vult, *in hoc amore observari totius sanguinis quemdam fervorem*; nulla, ne levi quidem mentione facta amoris supremi Numinis, qui totum possidere humanum debet cor. Denique concludit, amorem sumi pro quavis cupiditate, *ut amor regni, amor pecuniæ, quæ sunt circumlocutiones ambitionis, avaritiæ, & aliorum affectuum*. Præclare sane agit Principum causam, cum omnem Regni, & pecuniarum amorem ad ambitionem, & avaritiam amandat. Itaque Supremæ Potestates exuere debebunt omnem Regni, & pecuniæ amorem, ne ambitionem, & avaritiam amasse videantur?

sola entitas rei, quæ proinde non hoc potius quam illo modo se habebit.

694 Ad secundum dicimus, ex quo modus esse non potest sine re, id tantum sequi, modum, scilicet, necessario pendere à re; non autem sequi, esse à re indistinctum. Sane creaturæ esse non possunt sine Creatore: quis autem dixerit, creaturas à Creatore non esse distinctas?

ARTICULUS II.

Utrum modi distinguantur ab accidentibus.

695 Videntur non distingui: I. quia non minus accidentia, quam modi, sunt quædam affectiones substantiæ.

696 II. Nullum est accidens absolutum non modale, quod reipsa esse possit, quin subjectum afficiat. Ergo nonnisi modalia accidentia erunt, quæ à modis nomine distinguuntur.

Propositio. *Modi intrinseci tam absoluti, quam respectivi, ab accidentibus absolutis, & respectivis distinguuntur* (1).

697 Prob. Modi intrinseci tam absoluti, quam respectivi distinguuntur à re cujus sunt modi, ut dictum est (2). Atqui accidentia absoluta, & respectiva afficiunt possunt modis intrinsecis absolutis, & respectivis: sic quantitas quæ est accidens absolutum, potest habere modum absolutum curvitatis, vel rectitudinis in linea, vel superficie: sic paternitas, quæ est accidens respectivum, habet modum oppositionis relativæ filiationi. Modi igitur intrinseci tam absoluti, quam respectivi distinguuntur ab accidentibus absolutis, & respectivis. De modis negativis, & extrinsecis, nihil est, quod addere debeamus; satis enim constat ex dictis (3) quid sit dicendum.

698 Ad primum respondemus, accidentia absoluta, & respectiva afficere substantiam, modos autem afficere & ipsa accidentia.

---

(1) Est contra juniores Philosophos, qui dividentes omne quod est, in substantiam, modum, & relationem, nullum accidens absolutum non modale admittunt. An autem dentur accidentia absoluta non modalia, reipsa distincta à substantia, dicemus alibi.

(2) §. 689. & 692. (3) §. 690. sq.

699 Ad secundum neg. ant. reipsa enim in Eucharistia existunt accidentia absoluta sine subjecto. Sed hac de re alias.

ARTICULUS III.

Utrum modi habendi revocentur ad genus qualitatis.

700 Varios habendi modos distinxit Aristoteles: 1. per *inhærentiam*; dicimur enim habere scientiam, & virtutem: 2. per *circumpositionem*; sic tunicam habere dicimur: 3. per *comprehensionem*, ut vinum in dolio haberi dicitur: 4. per *possessionem*, sicut dominus habere dicitur agrum: 5. per *relationem*, ut pater dicitur habere filium (1).

701 Videntur autem hi modi habendi pertinere ad qualitatem: I. quia, ut supra dictum est (2), qualitas significat quemdam modum substantiæ.

702 II. Habitus ut diximus (3), pertinet ad qualitatem. Sed ut docet S. Thomas (4), nomen habitus ab habendo sumptum est. Igitur modi habendi ad qualitatem pertinent.

Propositio. *Modi habendi ad diversa genera pertinent.*

703 Prob. ratione S. Thomæ (5). Modi habendi diversi sunt, vel secundum quod aliqua res dicitur aliquid habere, vel secundum quod aliqua res se habet in seipsa, vel ad aliquid aliud. Atqui hujusmodi diversitas pertinet ad diversa genera. Nam inter ea quæ habent, & quæ habentur, vel est aliquid medium, vel nihil est medium. Si nihil est medium, ut inter subjectum, & quantitatem, vel qualitatem ipsum afficientes: modi sic habendi pertinent ad eadem genera, ad quæ pertinent res quæ habentur. Si vero inter habens, & id quod habetur, est aliquid medium, vel est media sola relatio, ut inter patrem, & filium, & sic modus habendi pertinet ad relationen; vel est medium aliquid per modum actionis, & passionis, quatenus unum est continens, alterum contentum, unum ornans, alterum ornatum: & sic pertinent ad genera actionis, & passionis, vel habitus. Si autem modi habendi accipiantur secundum quod aliqua res bene vel male se habet in seipsa, vel ad aliquid aliud, sic pertinent ad primam spe-

(1) Vide Damascen. Dialect. c. 62. (2) §. 631.
(3) §. 650. (4) 1. 2. q. 49. a. 1. (5) Loc. cit.

ciem qualitatis, quæ dicitur habitus (1). Constat igitur, modos habendi ad diversa genera pertinere (2).

704 Ad primum respondemus, non omnem modum substantiæ esse qualitatem quæ est accidens, sed illum duntaxat, qui est determinatio subjecti secundum esse accidentale (3).

705 Ad secundum dicimus habitum qui est qualitas, esse illum quo quis bene, vel male se habet in seipso, aut ad aliud: id autem non competit cuilibet habendi modo, ut dictum est (4).

QUÆSTIO XV.

De ideis claris, & obscuris, distinctis, & confusis.

706 Postquam consideravimus ideas relatas ad objecta, progredimur ad eas considerandas, prout sunt relatæ ad intellectum. Sic autem possunt esse vel claræ, vel obscuræ, vel distinctæ, vel confusæ, vel abstractivæ, vel intuitivæ, vel veræ, vel falsæ. De his igitur modo agemus. Atque primum quæremus de claritate, obscuritate, distinctione, & confusione idearum: 2. de causis earum obscuritatis, & confusionis: 3. de remediis quibus tolli obscuritas, & confusio possint.

---

(1) De diversis habendi modis disserens S. Augustinus l. 83. q. 73. in varias classes illos distribuit, additque: *In quibus omnibus generibus manifestum est, ea in re dici habitum, quæ accidit alicui..... Verumtamen hoc interest, quod quædam eorum quæ accidunt nobis ut habitum faciant, non mutantur à nobis, sed ipsa nos mutant.... sicut sapientia cum accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam vero sic accidunt, ut & mutent, & mutentur; sicut cibus ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur, & nos refecti cibo, ab exilitate, atque languore in robur, atque valentiam commutamur. Tertium vero genus est, cum ipsa quæ accidunt, mutantur, ut habitum faciant, sicut est vestis.*

(2) Hinc Damascenus Dial. c. 62. *Illud*, inquit, *minime dubium, quin habere in æquivocorum numero sit censendum.*

(3) Vide S. Thom. 1. 2. q. 49, a. 2.

(4) §. 703. Vide S. Thom. loc. cit.

ARTICULUS I.

Utrum omnis idea clara, sit etiam distincta.

707 Ideam claram dico illam, qua statim fit nota res quæ per eam repræsentatur (1). Sic ideæ motus, existentiæ, numeri, temporis &c. claræ sunt (2). Econtra obscura est idea, qua res non ita repræsentatur, ut statim fiat menti nota (3). Sic ideæ essentiarum, & virtutum rerum naturálium, in seipsis sunt nobis obscuræ, nec aliter quam ex effectis deprehendi possunt (4).

708 Distinctam ideam voco illam quæ repræsentat omnia quæ *formaliter* continentur in objecto (5). Confusam illam nomino, quæ

---

(1) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 19.

(2) Lockius definiens ideam claram, Essai &c. l. 2. c. 29. §. 2. ait: » Nos idées simples sont claires, lorsq' elles sont telles que les » objets mêmes d' où on les reçoit, les présentent, ou peuvent les » présenter avec toutes les circonstances requises à une sensation, ou » perception bien ordonnée. " *Ideæ nostræ simplices claræ sunt, cum objecta, ex quibus fuerunt acceptæ, repræsentant, aut repræsentare possunt cum omnibus circumstantiis requisitis ad sensationem, aut perceptionem recte ordinatam.* Hæc definitio permiscet notionem ideæ claræ cum notione ideæ distinctæ. Quid enim aliud requiri potest, ut idea distincta sit, quam ut valeat repræsentare objectum *cum omnibus circumstantiis* requisitis ad ordinatam perceptionem? nisi forte Lockius velit, rem confuse cognosci, cum cognoscitur ordinate cum omnibus circumstantiis. Similiter hallucinatus fuit Malebrancius, cum ideam claram definivit esse illam, qua simplici intuitu videtur quidquid res includit. Quæ enim idea potest esse magis distincta, quam illa qua videtur quidquid res includit? Conferri potest Arnaldus *Des vrai. & fauss. idées*, c. 23.

(3) Pari modo errat Lockius, cum loc. cit. definit, ideam obscuram esse illam, cui deficit *cette exactitude originale*: *hæc exacta originalis proportio.* Nam dari potest idea quæ clara sit, quin repræsentet objectum cum omnibus circumstantiis requisitis ad ordinatam perceptionem.

(4) Consule S. Thom. 1. Poster. lect. 4.

(5) Quæ pertinent ad objecti constitutionem, dicuntur esse in objecto *formaliter*; nam forma est quæ rem constituit. Si illa omnia cognoscuntur, idea est distincta, quippe exhibet omnia, per quæ objectum ab aliis secernitur. Quod si idea ita repræsentat objectum, ut mentem nihil fugiat eorum quæ sunt in objecto tam *formaliter*, quam

repræsentat aliquid in quo plura *formaliter* continentur, quin repræsentet ea plura (1). Sic idea trianguli distincta est, quia repræsentat ea quæ pertinent ad constitutionem trianguli, scilicet, constare tribus lineis, & tribus angulis. Idea figuræ confusa est, quia, nullam figuram determinatam repræsentat.

709 Videtur autem omnis idea clara esse distincta: I. quia nisi distincta foret, non possemus per illam discernere ab aliis objectis objectum per eam repræsentatum. Non ergo esset clara: non enim statim nota fieret res per illam repræsentata.

710 II. Non potest idea esse clara, nisi illam distinguam à cæteris ideis. Sed hoc ipso distincta quoque est. Ergo.

Propositio: I. *Potest esse idea clara, quin sit distincta:* II. *Non potest ulla esse distincta, quin sit item clara.*

711 Prob. 1. p. Potest dari idea qua res statim nota fiat in communi, quin tamen repræsentet omnia pertinentia ad rei illius constitutionem (2). *Sicut cum aliquid videtur à remotis, prius*

---

virtualiter, objectum dicitur comprehendi, hoc est, tantum cognosci, quantum cognosci potest; id enim *virtualiter* contineri dicitur in objecto, ad quod virtus ejus potest se extendere. Itaque si quis omnes potestates v. g. trianguli, vel circuli perspectas haberet, triangulum, vel circulum comprehenderet. Nam ut ait S. Augustinus Epist. 147. al. 112. c. 9. » Aliud est videre, aliud est totum videndo compre» hendere; quandoquidem id videtur quod præsens utcumque sentitur: » totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus » lateat videntem. « Hinc Beati in Patria etsi Divinam essentiam, Personas, & Attributa clare, distincteque videant; Deum tamen minime comprehendunt; non enim omnia vident, ad quæ virtus Divina quæ infinita est, potest se extendere, id est, omnia possibilia.

(1) S. Thomas 1. p. q. 85. a. 3. » Manifestum est, *inquit*, quod » cognoscere aliquid in quo plura continentur, sine hoc quod habea» tur notitia uniuscujusque eorum quæ continentur in illo, est cog» noscere aliquid sub confusione quadam..... Cognoscere autem dis» tincte id quod continetur in toto universali, est habere cognitio» nem de re minus communi. Sicut cognoscere animal distincte, est » cognoscere animal in quantum est animal: cognoscere autem ani» mal distincte, est cognoscere animal in quantum est animal ratio» nale, vel irrationale, quod est cognoscere hominem, vel leonem. « Vide quæ diximus §. 470.

(2) Qui ideam distinctam definiunt esse illam qua omnes objecti notæ ac proprietates ita secernuntur, ut singillatim enumerari pos-

deprehenditur esse corpus, quam deprehendatur esse animal : & prius deprehenditur esse animal, quam deprehendatur esse homo : & prius homo, quam Sortes, vel Plato (1). Sed hujusmodi idea clara est, non autem distincta. Ergo (2).

712 Prob. 2. p. Fieri non potest, ut idea sit distincta, quin repræsentet omnia quæ sunt *formaliter* in objecto, ut supra dictum est (3). Sed nisi talis idea clara foret, jam non hæc omnia repræsentaret ; esset enim obscura : adeoque non ita rem repræsentaret, ut res menti statim nota fieret (4). Nulla igitur esse potest idea distincta, quin sit item clara (5).

713 Ad primum dicimus, non oportere, ut idea sit clara, ut unum objectum discernatur ab aliis objectis : possum enim habere claram ideam animalis, quin discernam, an illud quod à remotis video, sit homo, vel equus. Tunc autem res illa menti quidem statim fit nota in communi, sed minime distincta est notitia eorum, quæ in illa continentur (6) : quod quidem requireretur, ut idea

---

sint, confundunt cognitionem distinctam cum cognitione comprehensiva ; vixque locum relinquunt perceptioni distinctæ. Quotus enim quisque est, qui vel unius rei notas omnes ac proprietates singillatim enumerando percensere possit ?

(1) S. Thom. 1. p. q. 85. a. 3.

(2) Hinc patet, dari posse ideam claram, quæ sit confusa : sicut quis potest clare cognoscere aliquod esse animal, quin discernat, utrum sit homo, vel bellua. Non tamen potest dari idea quæ sit obscura, & non sit etiam confusa, quia ipsa obscuritas confusionem parit. (3) §. 708. (4) §. 707.

(5) Claritas, & obscuritas in ideis potest esse major, vel minor pro ratione virtutis intellectus, & luminis intellectualis, & objecti repræsentati. Nam ut advertit S. Thomas in 3. d. 14. a. 2. quæstiunc. 3. » Claritas, vel limpiditas visionis contingit ex tribus. Primo ex » efficacia virtutis visivæ, quia qui sunt fortioris visus magis limpide » vident. Secundo ex claritate lucis sub qua claritate visibile videtur : sicut clarius videtur aliquid in lumine solis, quam in lumine » lunæ. Tertio ex comparatione visibilis, vel ejus in quo aliquid videtur, ad videntem, quia quod à remotiori videtur, minus clare » videtur. " Hinc idea, & cognitio minus clara si cum clariori comparetur, videri poterit obscura. Vide S. Augustinum l. 4. de Gen. ad litt. c. 23. ubi de matutina, & vespertina cognitione agit.

(6) Quare qui cognoscit, rem aliquam esse, sed ignorat quid ipsa sit, habet quidem ideam claram existentiæ illius rei ; quæ tamen idea confusa est. Et quoniam essentiæ rerum in seipsis magna ex parte sunt nobis ignotæ, inde est, ut magna ex parte ideæ nostræ confusæ sint, licet claræ.

distincta esset, prout supra dictum est (1).

714 Ad secundum respondemus, nos hic non loqui de distinctione idearum inter se, sed de ideis distinctis relatis ad mentem, sive de modis, quibus ideæ objecta menti repræsentant.

ARTICULUS II.

Utrum aliquæ sint causæ obscuritatis, & confusionis idearum.

715 Lockius (2) arbitratur, causam obscuritatis idearum simplicium esse aut crassitudinem organorum, aut tenues celeresque impressiones objectorum, aut memoriæ hebetudinem, quæ ideas ita ut recepit, retinere non potest (3). Confusionis vero causam unice videtur adscribere nominibus, quibus ideæ exprimi solent (4). Genuensis autem (5) ratus, vocabula modorum simplicium esse clarissima, nullamque in iis confusionem esse, præsertim cum sunt abstracta (6), docet (7), compositionem modorum in causa esse, cur eorum vocabula obscura sint, & confusa.

716 Videtur autem omnis obscuritas, & confusio idearum

---

(1) §. 708.

(2) Essai &c. l. 2. c. 29. §. 3.

(3) Cum aliam Lockius non adsignet causam, neque distinguat inter causas intrinsecas, & extrinsecas obscuritatis idearum, suspicari quis posset, omnem percipiendi vim ab ipso esse repositam in dispositione organorum, atque in motionibus objectorum exteriorum; hoc est, in mechanismo materiæ.

(4) Loc. cit. §. 6. sqq. Cum enim post traditam definitionem ideæ distinctæ, & confusæ, sibi objecisset, nullam ideam fore confusam, propterea quod omnis idea quæcumque sit, ab aliis differat, adeoque distingui debeat, uti & nos objecimus §. 710. nesciens id argumentum solvere, confugit ad nomina quibus ideæ exprimuntur, sicque putavit explicari posse, qui fiat, ut aliquæ ideæ sint confusæ.

(5) Art. Log. Crit. l. 2. c. 10. §. 9.

(6) In modis simplicibus abstractis Genuensis ibid. §. 8. recenset figuram. Quærimus ab ipso, utrum chiliogonum figura sit: Non negabit; est enim chiliogonum figura mille lateribus constans. Anne vero chiliogoni ideam distinctam Genuensis habuit? Quid, si figura decies millenis lateribus, quid si centum millibus, quid si decies centenis millibus &c. constaret? nam figuræ polygonæ infinitæ sunt. Qua igitur ratione erit distincta idea figuræ, quæ in infinitas figurarum species dividi potest?

(7) Loc. cit. §. 10.

ad præfatas causas revocari I. quia ideæ, ut docet S. Thomas (1), sunt instar signi, quod à sigillo imprimitur in cera. Atqui si cera vel obduruerit propter frigus, vel sit nimium mollis, vel sigillum non ita sit applicatum, ut signum nitide, & distincte imprimi possit, impressio sigilli obscura est, & confusa. Ergo similiter ideæ obcuræ erunt, & confusæ si organa sint crassa, & tenues, imbecillesque impressiones objectorum (2).

717 II. Cum nomina diversa significent res diversas, si negligatur hæc nominum diversitas & res quæ per unum nomen exprimenda erat, per aliud diversum nomen exprimatur, tollitur distinctio, & confusio inducitur (3). Omnis igitur confusio idearum nominibus est adscribenda.

718 III. Cum ideæ sunt compositæ, facile est confundere ideas simplices, ex quibus componuntur : veluti si quis ideam compositam habeat bestiæ variegatæ, nequit nisi confusam ideam habere leopardi, nec per illam sufficienter distinguere potest leopardum à lince, aut à panthera (4). Compositio igitur causa est confusionis idearum.

Propositio. *Duplex est causa obscuritatis, & confusionis idearum nostrarum* : I. *intrinseca, scilicet, imbecillitas mentis nostræ, & luminis intellectualis* : II. *extrinseca, videlicet, imperfectio sensuum, & minus accurata applicatio objectorum.*

719 Prob. 1. p. Claritas, & distinctio idearum & cognitionis est in ratione virtutis intellectivæ, & luminis intellectualis, ut supra dictum est (5). Ergo quo minor est virtus intellectiva, minusque lumen intellectuale, eo minor erit claritas, & distinctio idearum, & cognitionis, seu augebitur obscuritas, & confusio in ratione inversa virtutis, & luminis. Atqui mens nostra imbecilla est in ordine intellectivo (6) : lumen quoque intellectuale est obumbratum per conjunctionem ad corpus, & ad vires

(1) 2. de Ani. lect. 24. ubi ostendit, *sensum esse susceptivum specierum sine materia, sicut cera recipit signum annuli sine ferro & auro.*

(2) Lockius loc. cit. §. 3.

(3) Idem ib. §. 6.

(4) Idem ib. §. 7. (5) Not. 5. pag. 367. sq.

(6) Quare S. Augustinus l. 2. de serm. Dom. in mon. c. 15. ait: » Hominis anima rationalis lumine veritatis vel tenuiter pro sui capacitate illustratur. «

corporeas (1). Intrinseca igitur causa obscuritatis, & confusionis idearum nostrarum (2) est imbecillitas mentis nostræ, & luminis intellectualis.

720 Prob. 2. p. Intellectus noster ideas accipit ex rebus exterioribus ministerio sensuum, ut supra ostendimus (3). Ergo ubi sensus sunt imperfecti, & objecta externa minus accurate applicata; etiam ideæ imperfectæ, & minus accuratæ erunt, hoc est, minus claræ, & minus distinctæ (4). Et per hæc patet responsio ad primum.

721 Ad secundum dicimus, ex vocum obscuritate, &

---

(1) Vide S. Thom. Opusc. 70. q. 1. a. 1. ad 4. Et S. August. l. 4. Oper. imperf. con. Julian. n. 75. ubi ostendit, tarditatem ingenii esse ex originali peccato: *Nemo est certe*, inquit, *qui nollet, si id esset in hominis potestate, ingenio vividus, atque ad intelligendum acutissimus nasci, & quam rari sint, quis ignorat? Qui tamen omnes ipsi paucissimi, si hominis qui primus factus est, comparentur ingenio, plumbei judicantur. Non enim tunc, sicut nunc, corpus corruptibile aggravabat animam.*

(2) Quæ diximus de claritate, & distinctione, obscuritate, & confusione majori vel minori idearum, & cognitionis, intelligenda non sunt de ipsis ideis, & cognitione relatis ad rem intellectam, sed de illis relatis ad mentem. Quapropter S. Thomas 1. p. q. 85. a. 7. docet, *dupliciter intelligi posse, aliquem intelligere unam & eamdem rem magis quam alium. Uno modo sic quod ly magis determinet actum intelligendi ex parte rei intellectæ: & sic non potest unus eamdem rem magis intelligere, quam alius. Quia si intelligeret eam aliter quam sit, vel melius, vel pejus, falleretur, & non intelligeret.... Alio modo potest intelligi, ut determinet actum intelligendi ex parte intelligentis. Et sic unus alio potest eamdem rem melius intelligere, quia est melioris virtutis in intelligendo, sicut melius videt visione corporali rem aliquam, qui est perfectioris virtutis, & in quo virtus visiva est perfectior.*

(3) Q. 5. a. 11.

(4) Vide S. Thom loc. cit. ubi post relata verba, statim subdit: *Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter: uno quidem modo ex parte intellectus qui est perfectior. Manifestum est enim, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam..... quia actus & forma recipitur in materia secundum materiæ capacitatem. Unde cum etiam in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo... Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad sui operationem. Illi enim, in quibus virtus imaginativa, & cogitativa, & memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum.*

ambiguitate causari quidem in aliis posse ideas obscuras, & confusas : tunc enim objecta sunt minus accurate proposita. At quod voces obscuræ, & ambiguæ obscuritatem, & confusionem pariant in eo ipso qui voces profert, omnino esse non potest : voces enim sunt signa conceptionum. Quare voces obscuræ, & ambiguæ procedunt ex ideis, & conceptionibus obscuris, & ambiguis, non illas causant : nisi forte quis ex industria voces obscuras, & ambiguas proferat : sed tunc in ipso non præcedunt ideæ & conceptiones obscuræ, & confusæ alioqui non ex industria voces obscuras, & ambiguas proferret.

722 Ad tertium dicendum, in ideis compositis nullam esse confusionem, si mens distinguat ideas simplices, ex quibus componuntur. Non est igitur compositio idearum, quæ per se confusionem pariat, sed confusio gignitur ex parte mentis intelligentis, non distinguentis ideas simplices in ideis compositis (1).

ARTICULUS III.

Utrum aliqua sint remedia, quibus tolli possint obscuritas, & confusio idearum.

723 Cum Lockius idearum confusionem vocabulis adscripserit, quibus ideæ exprimuntur, consequenter ad tollendam confusionem remedium in eo statuit, ut in nostris ideis complexis redigatur in unum, qua majori præcisione fieri possit, illud omne, per quod distingui valeant à cæteris ideis; atque ideis illis sic in unum, & ad certum numerum, ordinemque determinatum redactis, idem nomen constanter applicetur (2).

---

(1) Lockius loc. cit. §. 9. hanc aliam sibi videtur addidisse causam confusionis idearum, cum scilicet illæ incertæ sunt, & indeterminatæ. Quod ideæ incertæ, & indeterminatæ, confusæ sint, minime ambigimus; sed ut confusionis, ita & incertitudinis, & indeterminationis causam quærimus.

(2) Essai &c. l. 2. c. 29. §. 12. » Le moyen de prévenir cette » confusion, c' est d' assembler, & de réunir dans notre idée com- » plexe, d' une maniére aussi précise qu' il est possibile, tout ce » qui peut servir à la faire distinguer de toute autre idée & d' appli- » quer constamment le même nom à cet amas d' idées, ausi unies » en nombre fixe, & dans un ordre déterminé.“ *Ratio impediendi hujusmodi confusionem, ea est, ut nempe congeratur, & in unum cogatur in nostra idea complexa eo quo distinctius fieri potest modo, id omne quod potest conferre, ut distinguatur à cæteris; utque*

724 Videtur autem : I. nullum esse remedium ad tollendam obscuritatem, & confusionem idearum : nam causa intrinseca hujusmodi obscuritatis, & confusionis est imbecillitas mentis humanæ, & luminis intellectualis, ut supra dictum est (1); quæ quidem imbecillitas auferri non potest.

725 II. Videtur, si aliquod est remedium, illud esse, quod ponit Lockius, ut pluribus ideis idem nomen attribua-

---

idem nomen constanter attribuatur huic idearum multitudini, ita unitarum certo numero, ordineque determinato. Verum cum ex Lockio compositio idearum sit causa earum confusionis, intelligi vix, ac ne vix quidem potest, qui fieri possit, ut conjungatur, & in unum redigatur in idea complexa, adeoque composita, omne id, per quod à cæteris distinguatur. Nam vel hoc ipsum tollit compositionem ideæ, vel non tollit. Si non tollit, idea perseverabit confusa; etenim perseverante causa, perseverat effectus. Si tollit; igitur idea non erit amplius complexa: quomodo ergo conjungi, & congeri poterit in eadem idea omne id per quod à cæteris distinguatur? nam congeri, & uniri nequeunt, nisi plura: plura autem conjuncta, & unita compositionem faciunt. Nec refert idem nomen applicari huic idearum congerieï, ac veluti cumulo: nam si id fiat, jam in eodem nomine plures ideæ convenient: id autem confusionem non tollit, tum quod ideæ illæ remanent complexæ, & compositæ; tum quod idem nomen applicatum pluribus, ambiguitatem parit. Sed pergit Lockius: » Mais » comme cela n'accommode ni la paresse, ni la vanité des hommes, » & qu'il ne peut servir à autre chose qu'à la découverte, & à la » défense de la verité, qui n'est pas toujours le but qu'ils se pro» posent, une telle exactitude est une de ces choses qu'on doit plu» tôt souhaiter qu'espérer. " *Cum autem id minime componatur cum hominum pigritia, & vanitate, neque conferre ad aliud queat, quam ad manifestandam, propugnandamque veritatem: quod haud semper illi intendunt; hujus generis accurata diligentia optanda potius est, quam speranda.* Tantane est hominum pigritia, & vanitas, ut plerique omnes negligant, vel potius nolint ideas distinctas comparare, ne veritas pateat, & defendatur, huncque sibi finem ita constituant, ut remedium sit optandum potius, quam sperandum? O gravissimum humani generis censorem! Sed qui aliis pigritiam, & vanitatem exprobrat, dicat quæso, utrum ipse in eadam vitia incurrerit? Si incurrit; ignavus igitur, & deceptor fuit, nullamque proinde fidem meretur. Si autem communi aliorum contagio non fuit infectus, cur adhuc ipse mente caligat? Cur statuit Essai &c. l. 4. c. 6. §. 12. *que les essences réelles d'où dépendent leurs propriétés & leurs opérations, nous soient inconnues? Essentiæ reales, unde pendent earum proprietates, & operationes, sunt nobis incognitæ.*

(1) §. 719.

tur; ita enim fiet, ut ad ordinem determinatum ideæ redigantur.

Propositio. *Obscuritas, & confusio idearum per definitiones, & divisiones auferuntur.*

726 Prob. Tollitur obscuritas idearum, cum menti notum fit id quod ideæ repræsentant: tollitur confusio, cum evolvitur id quod in ideis erat involutum, ut supra dictum est (1). Atqui definitione fit notum id quod unaquæque idea repræsentat (2), & quod erat involutum evolvitur (3). Divisione etiam utrumque præstatur: cum enim res in varias veluti classes distribuuntur, tum facile perspicitur quid unaquæque sit, & si quæ plura in illis permixta sint, ad certa capita revocantur, & unum ab aliis sejunctum, percipi facile, deprehendique potest (4). Obcuritas igitur, & confusio idearum per definitiones, & divisiones tolluntur.

727 Ad primum dicimus, ut corporis, ita mentis humanæ imbecillitatem juvari posse, etsi tolli, dum sumus in corpore, omnino non possit. Juvatur autem eo quem diximus (5) modo (6).

---

(1) §. 708.

(2) Ad rem Clemens Alex. Strom. 8. p. 780. *Cujuscumque rei habet aliquis scientiam, ejus etiam dabit definitionem: quemadmodum qui non potest oratione comprehendere, & definire quodlibet, ejus rei numquam habebit scientiam. Ex ignoratione autem definitionis, accidit, ut multæ dubitationes oriantur, & deceptiones. Si enim qui rem novit, habet in animo ejus cognitionem: potest autem etiam oratione explicare id quod habet in animo: ejus autem quod animo cogitatur explicatio, est definitio; necesse est, ut qui rem norit, possit ejus etiam dare definitionem.* Vide S. Thom. 1. Periherm. lect. 4.

(3) Cicero Top. 9. *Definitio*, inquit, *est, quæ id quod quasi involutum est, evolvit.*

(4) Nam ut advertit Clemens Alex. loc. cit. p. 778. sq. *Id quod in summam redigitur ex divisione, appellatur definitio.... Quo fit, ut materiæ quidem locum obtineat divisio, definitioni quærens simplicitatem nominis: artificis autem & opificis definitio, quæ componit, & construit, & ejus quod est, ostendit cognitionem.*

(5) §. 726.

(6) Fatemur tamen, non ita juvari posse imbecillitatem mentis nostræ, ut omnes nostræ ideæ evadant claræ, & distinctæ per definitiones, & divisiones. Non enim facile est, unamquamque rem definire, & in suas veluti partes accurate dividere. Hinc S. Thomas 1. de ani. lect. 1. » Difficile est, *inquit*, scire de anima quid est, & hæc difficultas

728 Ad secundum respondemus, remedium Lockii inane esse; cum enim pluribus ideis idem nomen attribuitur, inducitur potius confusio; siquidem nequit idem nomen satis explicare quidquid illis diversis ideis continetur.

QUÆSTIO XVI.

De ideis abstractivis, & intuitivis.

729 Idea, seu notitia, intuitiva, est rei præsentis non solum in mente (sic enim præsens esse debet quidquid à mente cognoscitur, ut supra dictum est (1)), sed etiam in seipsa; *illud enim proprie videtur, quod habet esse extra videntem* (2). Idea vero, seu notitia abstractiva, est rei absentis, seu quæ non refertur in rem, ut existit in seipsa. Sic notitia Dei quam nunc habemus, est abstractiva, quia videmus ipsum *per speculum in ænigmate* (3), hoc est, per creaturas, ut supra diximus (4). Erit autem intuitiva in Patria, in qua *videbimus eum sicuti est* (5). De utraque duo quæremus: 1. an distinguantur inter se: 2. an utraque sit clara, & distincta.

ARTICULUS I.

Utrum notitia intuitiva differat ab abstractiva.

730 Videtur non differre: I. quia, ut docet S. Thomas (6), notitia intuitiva addit abstractivæ aliquid extra genus notitiæ, nimirum coexistentiam objecti cum ipsa notitia. Ergo.

731 II. Eadem cognitio dicitur vera, vel falsa ex sola extrinseca denominatione objecti quod sit, vel non sit. Ergo eadem notitia potest esse intuitiva, & abstractiva ex sola extrinseca denominatione objecti præsentis, vel absentis.

» est in qualibet re. " Principia etiam essentialia, ex quibus definitio coalescit, non aliter à nobis deprehenduntur, quam ex principiis accidentalibus. Quare S. Thomas ib. ait: *Quia principia essentialia rerum sunt nobis ignota, ideo oportet, quod utamur differentiis accidentalibus in designatione essentialium, & per eas pervenimus in cognitionem essentialium.*

(1) §. 269. (2) S. Thom. in 3. d. 14. q. 1. a. 2. q. 2.
(3) 1. Cor. 13. v. 12. (4) §. 356. sq.
(5) 1. Joan. 3. v. 2. (6) Q. 3. de ver. a. 3. ad 8.

732 III. Deus eadem cognitione novit possibilia, quæ numquam erunt, & præsentia, ac futura. Ratio igitur præsentis, & absentis non variat notitiam.

Propositio. I. *Notitiæ intuitiva, & abstractiva reipsa differunt*: II. *Non tamen essentialiter in ratione notitiæ*: III. *Nisi objectum sit diversum.*

733 Prob. 1. p. Notitia intuitiva reipsa addit aliquid notitiæ abstractivæ, scilicet, attentionem ad rem præsentem coexistentem cum ipsa notitia; quæ attentio esse nequit in notitia abstractiva, quæ fertur in rem absentem. Sed ea quorum uni reipsa aliquid additur, quod in altero desideratur, reipsa differunt. Ergo.

734 Prob. 2. p. Sola præsentia, vel absentia objecti non variant essentialiter ipsum objectum, sed addunt aliquid non pertinens ad formalem constitutionem objecti, scilicet, ejus coexistentiam, vel non coexistentiam cum cognitione. Sed ubi objectum essentialiter est idem, notitiæ non possunt essentialiter differre, cum earum diversitas essentialis pendeat ab objectis. Igitur notitiæ intuitiva, & abstractiva non differunt essentialiter in ratione notitiæ ob solam præsentiam, vel absentiam objecti.

735 Probatio 3. partis sequitur ex dictis; nam si objecta aliunde diversa sunt essentialiter, & ipsæ notitiæ erunt essentialiter diversæ (1).

736 Ad primum dicimus, doctrinam S. Thomæ ibi allatam confirmare alteram propositionis partem.

737 Ad secundum neg. cons. Nam veritas ita consistit in conformitate rei cum mente ut etiamsi mens minime, attendat, judicium sit verum, si res cum mente conformetur: sit falsum, si non conformetur. At vero notitia intuitiva non solum requirit, ut res sit præsens in seipsa, sed ut mens ad ejus præsentiam attendat: quæ attentio desideratur in notitia abstractiva.

738 Ad tertium neg. cons. Quod enim in Deo ob summam perfectionem præstat eadem ejus infinita Essentia, hoc in nobis ob imperfectionem præstant plures diversæ notitiæ.

---

(1) Hac ratione S. Thomas docet 1. 2. q. 67. a. 5. cognitionem Fidei, quæ est abstractiva, non remanere in Patria cum visione, quia variatur objectum. *Quod*, inquit, *eadem numero cognitio quæ est Fidei, maneat in Patria, hoc est omnino impossibile. Non enim remota differentia alicujus speciei, remanet substantia generis eadem numero.*

ARTICULUS II.

Utrum notitiæ intuitiva, & abstractiva, sint claræ, & distinctæ.

739 Videtur notitia abstractiva esse clara : I. quia notitia Dei quam nunc habemus, est abstractiva, ut dictum est (1). Sed hujusmodi notitia clara est : nam evidenter constat Deum esse. Ergo.

740 II. Notitia universalium est abstractiva. Sed hujusmodi notitia clara est : nam ut supra diximus (2), universalia sunt notiora singularibus cognitione intellectiva. Ergo.

Propositio. I. *Omnis notitia intuitiva clara est, & distincta* : II. *Notitia autem abstractiva numquam est distincta:* III. *Potest tamen esse clara quoad existentiam objecti.*

741 Prob. 1. p. Omnis notitia intuitiva est rei præsentis in seipsa, ita ut mens ad rei præsentiam attendat, ut dictum est (3). Sed cum res ita videtur, videtur clare, & distincte : distincte quidem, quia videtur ut est in seipsa : clare autem, quia mens attendit ad ejus præsentiam, ut est in se ipsa. Ergo (4).

742 Prob. 2. p. Notitia abstractiva est rei absentis, sive non fertur in rem, ut existit in seipsa (5), sed prout aliunde colligitur ejus existentia, quemadmodum notitia Dei, dum sumus in corpore, colligitur ex creaturis. Atqui talis notitia nequit esse distincta : non enim potest repræsentare omnia quæ sunt *formaliter* in objecto, quod requireretur, ut esset distincta, sicut supra dictum est (6). Ergo.

743 Prob. 3. p. Potest mens ferri in rem absentem, cujus existentia aliunde certo, & evidenter colligatur, ut dictum est (7). Sed tunc notitia abstractiva clara est quoad existentiam objecti, quæ certo, & videnter constat. Ergo. Et per hæc patet responsio ad primum.

744 Ad secundum dicimus, universalia esse quidem notiora

(1) §. 729. (2) §. 468. (3) §. 733.

(4) Hinc clara & distincta est visio, qua Beati intuitive Deum vident; de qua S. Bernardus ser. 33. in cant. ait : *O vere meridies, plenitudo fervoris, & lucis, solis statio, umbrarum exterminatio.*

(5) §. 729. (6) §. 708. (7) §. 742.

singularibus in seipsis, quia abstracta sunt à materia: quo autem aliquid est immaterialius, eo est intellectui notius. Nihilominus quoad nos notitia universalium non est satis clara: cum enim mens nostra ut intelligat, debeat se convertere ad phantasmata, ut supra ostendimus (1): phantasmata autem sint singularium; sequitur, universalia quoad nos non esse satis clara, nisi mens ad phantasmata: seu ad singularia se convertat (2).

QUÆSTIO XVII.

De veritate, & falsitate idearum.

745 Jam supra dictum est (3), veritatem nihil esse aliud, quam conformitatem rei cum intellectu. Quare *sicut veritas consistit in adæquatione rei, & intellectus: ita falsitas consistit in eorum inæqualitate* (4). Veræ igitur, vel falsæ ideæ non sunt, nisi relatæ ad intellectum. Ideæ autem referri possunt ad intellectum vel simpliciter percipientem, vel judicantem, sive componentem, aut dividentem, hoc est, affirmantem, aut negantem. Insuper res notitiam sui non faciunt in anima, nisi per ea, quæ de ipsis exterius apparent, quia ut dictum est (5), omnis nostra cognitio initium sumit à sensibus. Quare duo hic sese offerunt investiganda: 1. an veritas, & falsitas sint in intellectu percipiente: quod idem est, an ideæ, seu res per illas repræsentatæ dici possint veræ, vel falsæ, quatenus mens simpliciter eas percipit. 2. an veritas, vel falsitas reperiatur in sensibus.

ARTICULUS I.

Utrum veritas, & falsitas sint in intellectu simpliciter percipiente.

746 Videtur simplex perceptio non carere veritate, & falsitate: I. quia etiam res simpliciter perceptæ dicuntur veræ, vel falsæ, sicut dicitur aurum verum, vel falsum.

747 II. Deus omnia quæ cognoscit, simplici intuitu cognoscit; non enim cognoscit componendo, & dividendo; cum

(1) §. 421. (2) Vide S. Thom. 1. p. q. 85. a. 3.
(3) §. 737. (4) S. Thom. q. 1. de ver. a. 10.
(5) §. 337. sqq.

hæc sit imperfectio intellectus humani. Sed in Deo est prima & summa veritas. Ergo in intellectu simpliciter percipiente veritas esse potest.

748 III. Veritas est adæquatio rei, & intellectus, ut supra dictum est (1). Sed intellectus simpliciter percipiens adæquatur rebus. Ergo.

Propositio. I. *Veritas potest esse in intellectu simpliciter percipiente, ut in quadam re vera*; II. *non autem ut cognitum in cognoscente.* III. *Falsitas vero per se quidem potest esse solum in intellectu componente, & dividente*; IV. *per accidens autem in intellectu simpliciter percipiente.*

749 Ita S. Thomas (2). Prob. 1. p. Cui convenit conformitas cum objecto, in eo potest esse veritas, ut in quadam

(1) §. 745.

(2) 1. Periher. lect. 3. » Veritas, *inquit*, in aliquo invenitur dupli-» citer, uno modo sicut in eo quod est verum; alio modo sicut in » dicente, vel cognoscente verum. Invenitur autem veritas sicut in eo » quod est verum tam in simplicibus, quam in compositis: sed sicut » in dicente, vel cognoscente verum non invenitur, nisi secundum » compositionem, vel divisionem. Quod quidem sic patet. Verum » enim ... est bonum intellectus. Unde de quocumque dicatur verum, » oportet, quod hoc sit per respectum ad intellectum. Comparantur » autem ad intellectum voces quidem sicut signa, res autem sicut ea » quorum intellectus, sunt similitudines. Considerandum autem, quod » aliqua res comparatur ad intellectum dupliciter, uno modo sicut men-» sura ad mensuratum, & sic comparantur res naturales ad intellec-» tum speculativum humanum. Et ideo intellectus dicitur verus secun-» dum quod conformatur rei, falsus autem, secundum quod discordat » à re. Res autem naturalis non dicitur esse vera per comparationem » ad intellectum nostrum ... secundum hoc enim sequeretur, quod con-» tradictoria essent simul vera, quia contradictoria cadunt sub diver-» sorum opinionibus. Dicuntur tamen res aliquæ veræ, vel falsæ per » comparationem ad intellectum nostrum, non essentialiter, vel for-» maliter, sed effective, in quantum scilicet natæ sunt facere de se ve-» ram, vel falsam æstimationem, & secundum hoc dicitur aurum ve-» rum, vel falsum. Alio autem modo res comparantur ad intellec-» tum, sicut mensuratum ad mensuram, ut patet in intellectu prac-» tico, qui est causa rerum. Unde opus artificis dicitur esse verum, » in quantum attingit ad rationem artis, falsus vero in quantum deficit à » ratione artis. Et quia omnia etiam naturalia comparantur ad intel-

re vera ; nam veritas dicitur per conformitatem intellectus, & rei, quemadmodum falsitas per difformitatem à re. Atqui intellectui simpliciter percipienti convenit conformitas cum objecto : conformatur enim rebus perceptis, quarum ideæ sunt similitudines ; quandoquidem nisi cum illis conformaretur, jam non illas, sed aliquid aliud perciperet. Ergo.

750 Prob. 2. p. Tunc veritas est in intellectu sicut cognitum in cognoscente, cum cognoscitur conformitas rei, & intellectus, cum enim veritas sit conformitas intellectus, ut dictum est (1) ; idem est cognoscere veritatem, ac cognoscere hujusmodi conformitatem. Atqui intellectus hanc conformitatem tunc primum cognoscit, cum judicat sive componit, vel dividit; cognoscere enim illam conformitatem, nihil est aliud, quam judicare, ita esse in re, vel non esse : quod est affirmare, vel negare, sive componere, vel dividere. Veritas igitur ut cognitum in cognoscente est solum in intellectu componente, & dividente, non vero in intellectu simpliciter percipiente (2).

751 Prob. 3. p. Intellectus per se decipi nequit circa rerum quidditates : nam *sicut res naturalis non deficit ab esse, quod sibi competit secundum suam formam ; ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei, cujus similitudine informatur* (3). Atqui intellectus simpliciter percipiens infor-

» lectum divinum, sicut artificiata ad artem, consequens est, ut » quælibet res dicatur esse vera, secundum quod habet propriam for- » mam, secundum quam imitatur artem divinam. Nam falsum au- » rum est verum orichalcum. Et hoc modo ens, & verum conver- » tuntur, quia quælibet res naturalis per suam formam arti di- » vinæ comparatur ... Et sicut res dicitur vera per comparationem ad » suam mensuram, ita etiam & sensus, & intellectus, cujus mensura » est res extra animam ... Et hoc modo intellectus apprehendens quod » quid est" (id est essentiam, & definitionem rei, ex græco τὸ τί ἐστι, quod explicat plane, ac perfecte quid sit res) „absque compositione, » & divisione, semper est verus ...Intellectus autem potest habitudinem » conformitatis suæ ad rem cognoscere ... Cognoscere autem prædictam » conformitatis habitudinem, nihil est aliud, quam judicare ita esse in » re, vel non esse, quod est componere ; & dividere ; & ideo in- » tellectus non cognoscit veritatem, nisi componendo, vel dividendo » per suum judicium." Conferantur, si licet, hæc quæ descripsimus ex D. Thoma, cum iis quæ tradit Dockius Essai &c. l. 2. c. 32. de veris, & falsis ideis, comperietur, quam hic tenuis, ille sublimis fuerit.

(1) §. 745. (2) Vide S. Thom. 1. q. q. 16. a. 1.

(3) S. Thom. 1. p. q. 17. a. 3.

matur similitudine quidditatis rei. Non ergo deficit circa illam. Falsitas igitur per se esse non potest in simplici perceptione (1), sed esse tantummodo potest in judicio (2). *Quod quidem judicium, si consonet rebus, erit verum, puta, cum intellectus judicat rem esse quod est, vel non esse quod non est. Falsum autem, quando dissonat à re, puta, cum judicat, non esse quod est, vel esse quod non est* (3). Falsitas ergo potest per se esse duntaxat in intellectu componente, & dividente (4).

752 Prob. denique 4. p. In simplici perceptione potest admisceri compositio, ut cum definitio unius attribuitur alteri, vel cum partes definitionis, quæ conjungi nequeunt, invicem conjunguntur (5). Atqui ubi admiscetur compositio, admisceri po-

---

(1) Hìc locum habet quod vulgo dicitur: *Abstrahentium* (hoc est, rem simpliciter sine affirmatione, & negatione percipientium) *non est mendacium.* Vide S. Thom. 1. p. q. 85. a. 1. ad 1.

(2) Confer S. Thom. q. 1. de ver. a. 11. Vide etiam quæ habet 5. Metaph. lect. 22. ubi animadvertit etiam » quod falsum dicitur » uno modo in rebus, per hoc quod oratio significans rem, non con» grue componitur. Quod quidem contingit dupliciter; uno modo per » hoc quod aliquid componitur, quod non debet componi, sicut est » in falsis contingentibus. Alio modo per hoc, quod est impossibile » componi, sicut est in falsis impossibilibus. Si enim dicamus, dia» metrum esse commensurabilem quadrato lateris, est falsum impos» sibile, quia impossibile est, commensurabile componi diametro. Si » autem dicatur, te sedere, te stante, est falsum contingens, quia » prædicatum non inest subjecto, licet non sit impossibile inesse."

(3) S. Thom. 1. Periherm. lect. 3.

(4) Quærens S. Thomas q. 1. de ver. a. 11. utrum in intellectu sit falsitas, animadvertit, intellectum dupliciter accipi posse, uno modo, quatenus aprehendit quidditates rerum, vel intelligit principia, quæ statim nota fiunt, notis rerum quidditatibus; alio modo quatenus intellectus se extendit etiam ad alias operationes, nempe judicium, & ratiocinationem. Docet porro, intellectum per se nunquam esse falsum, cum simpliciter percipit quidditates rerum, nec ullo modo decipi in primis principiis; in aliis vero operationibus falsitatem esse posse; numquam tamen esse, si recte fiat resolutio in prima principia.

(5) S. Thomas 1. p. q. 17. a. 3. » Per accidens, *inquit*, in operatio» ne intellectus, qua cognoscit quod quid est, potest esse falsitas, in » quantum ibi compositio intellectus admiscetur. Quod potest esse du» pliciter, uno modo secundum quod intellectus definitionem unius » attribuit alteri: ut si definitionem circuli attribuat homini: unde de» finitio unius rei est falsa de altera. Alio modo secundum quod partes

test (1) falsitas, quæ per se potest esse in intellectu componente, ut dictum est (2). Igitur in intellectu simpliciter percipiente, potest esse falsitas per accidens.

753 Ad primum jam dictum est (3), falsum aurum esse verum orichalcum. Quare res simpliciter perceptæ, falsæ non sunt, nisi tantum per accidens, ut diximus (4).

754 Ad secundum dicimus, nos hìc loqui de veritate, secundum quod pertinet ad intellectum humanum, qui judicat componendo, & dividendo. Judicium autem intellectus Divini est absque compositione, & divisione, quia sicut intellectus noster intelligit materialia immaterialiter; ita etiam intellectus Divinus cognoscit compositionem, & divisionem simpliciter (5).

755 Ad tertium respondemus cum S. Thoma (6), in intellectu simpliciter percipiente, adæquationem esse, ut in quadam re vera, non autem ut cognitum in cognoscente (7), si-

---

» definitionis componit ad invicem, quæ simul sociari non possunt ... » ut si formet talem definitionem, Animal rationale quadrupes, fal- » sus est intellectus sic definiendo: propterea quod, falsus est in for- » mando hanc compositionem, aliquod animal rationale est quadrupes. » Et propter hoc in cognoscendo quidditates simplices, non potest esse » intellectus falsus: sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit." Quare nihil novi nos docuit Lockhius, cum Essai &c. l. 2. c. 31. §. 1. ait: » Je crois, que, lorque les idées sont nommées *vrayes*, ou *faus-* » *ses*, il y a tonjours quelque proposition tacite, qui est le fondament » de cette denomination."

(1) Hinc S. Thomas 1. p. q. 58. a. 5. infert, nullam falsitatem circa res naturales posse esse in intellectu Angeli, eo quod in eo nulla admiscetur compositio.

(2) §. 751. (3) Not. pag. 378. (4) §. 751.

(5) S. Thom. 1. Periher. lect. 3. (6) 1. p. q. 16. a. 2.

(7) Ut idem S. Thomas advertit q. 1. de ver. a. 3. » Veri ratio con- » sistit in adæquatione rei, & intellectus: idem autem non adæquatur » sibi ipsi, sed æqualitas diversorum est: unde ibi primo invenitur ra- » tio veritatis in intellectu, ubi primo intellectus incipit aliquid pro- » prium habere, quod res extra animam non habet, sed aliquid ei » correspondens, inter quæ adæquatio attendi potest. Intellectus au- » tem formans quidditates (*hoc est simpliciter percipiens*) non habet ni- » si similitudinem rei existentis extra animam ... Sed quando incipit ju- » dicare de re apprehensa, tunc ipsum judicium intellectus est quod- » dam proprium ejus, quod non invenitur extra in re. » Adæquatio igitur rei, & intellectus tunc proprie est, cum intellectus judicat, ideoque tunc proprie veritas est. Hinc autem S. Thomas ibid. concludit, veritatem per prius esse in intellectu judicante, quam in intellectu sim-

cut supra dictum est (1).

ARTICULUS II.

Utrum veritas, & falsitas sint in sensibus.

756 Arbitratus est Epicurus, teste Laertio (2), sensibus semper inesse veritatem Cartesius autem (3), quamvis adserat, sensus interdum falli, ex hoc ipso infert, nullam umquam illis fidem adhibendam esse.

757 Videtur autem cum Epicuro sentiendum, I. quia *omnis sensus ratiocinationis est expers, recordationisque prorsus incapax* (4). Igitur *sensus*, ut habet Empiricus (5), *proprium est, id solum quod præsens est, quodque ipsum movet, apprehendere*; adeoque minime fallitur.

758 II. Nihil est, quod falsi arguere sensus possit; neque enim sensus similis potest similem sensum refellere, v. g. oculus oculum; cum sit par utriusque ratio: neque dissimilis dissimilem, quippe habent diversa objecta: neque denique ratio, quia hæc in intelligendo pendet à sensibus (6): Nulla ergo in sensibus falsitas potest esse.

---

pliciter percipiente. » Patet, *inquit*, ex dictis, quod verum per prius » dicitur de compositione, vel divisione intellectus; secundo de defi- » nitionibus rerum, secundum quod in eis implicatur compositio vera, » vel falsa; tertio de rebus secundum quod adæquantur intellectui Di- » vino, vel aptæ natæ sunt adæquari intellectui humano; quarto de ho- » mine, qui est electivus orationum suarum verarum, vel falsarum, vel » qui facit æstimationem de se, vel aliis veram, vel falsam, per ea » quæ dicit, vel facit: voces autem eodem modo recipiunt veritatis » prædicationem, sicut intellectus quos significant." Ex quibus habes, triplicem esse veritatis speciem, *logicæ*, *metaphysicæ*, & *moralis*. *Logicæ*, quæ posita est in compositione, & divisione intellectus, atque in definitionibus rerum, & vocibus illas significantibus. *Metaphysicæ*, quæ posita est in adæquatione rerum cum intellectu modo jam dicto. Hæc appellatur *transcendentalis*, quia in quoque ente reperitur; quælibet enim res hoc ipso quod est, participatio Dei est, imitaturque artem Divinam. Denique *Moralis*, cum quis talem se exhibet exterius verbis, vel factis, qualis est interius. Huic opponitur mendacium.

(1) §. 749. sq. (2) L. 10. (3) Medit. 1. & 1. p. Princip. §. 4.
(4) Laërtius loc. cit. (5) L. 1. adv. Log.
(6) Lucretius l. 4. hanc eamdem rationem tradit his versibus.

759 III. Si mens posset corrigere errores sensuum, aut id præstaret per seipsam, aut ope alterius sensus: non per seipsam, quia mens nihil intelligit, nisi per sensus: non ope alterius sensus, quia etiam ille posset fallere. Nullo igitur modo mens posset sensuum errores corrigere, si in sensibus esset falsitas.

Quid majore fide porro, quam sensus haberi
Debet? An ab sensu falso Ratio orta valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta est;
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis?
An poterunt oculos aures reprehendere? An aureis
Tactus? An hunc porro tactum sapor arguet oris?
An confutabunt nares, oculive revincent?
Non, ut opinor, ita est, nam seorsum cuoique potestas
Divisa est, sua vis cuoique est; ideoque necesse est
Quod molle, aut durum est, gelidum fervensque seorsum,
Id molle, aut durum, gelidum, fervensque videri:
Et seorsum varios rerum sentire colores,
Et quæcumque coloribus sunt conjuncta, necesse est.
Seorsum item sapor oris habet vim, seorsus odores
Nascuntur; seorsus sonitus; ideoque necesse est
Non possint alios alii convincere sensus
Nec porro poterunt ipsi reprehendere sese &c.

Propositio. I. *In sensibus ad mentem comparatis* (1) *numquam est falsitas, nisi tantum occasionaliter.* II. *Sensus autem ad res comparati, non falluntur circa propria sensibilia, modo sint recte dispositi.* III. *Nihilominus falli possunt circa sensibilia communia* (2), *& per accidens* (3), *quamvis sint recte dispositi.*

760 Ita S. Thomas (4). Prob. 1. p. Sensus ad mentem comparari possunt, vel ut ipsi sunt res quædam, vel ut sunt repræsentativi alterius rei. Atqui si comparentur primo modo, numquam in eis est falsitas; ita enim dispositionem suam intellectui demonstrant, nec omnino possunt, nisi affectionem suam enunciare (5); qua in re nulla est deceptio; non enim decipere dicitur, qui se ostendit sicuti est. Si autem sensus comparentur ad mentem secundo modo, id est, tamquam indicativi alterius rei, cum quandoque repræsentent intellectui res aliter ac sunt in seipsis, causare possunt falsam existimationem in intellectu: quod est intellectui occasionem præbere, ut circa illas res decipiatur (6). Igitur in sensibus ad mentem comparatis nulla est falsitas, nisi tantum occasionaliter.

---

(1) Sensus comparari possunt ad mentem, & ad res. Nam, ut advertit S. Thomas q. 1. de ver. a. 11. „Cognitio nostra, quæ à sensibus initium sumit, hoc ordine progreditur, ut primo incipiat à sensu, secundo perficiatur in intellectu, ut sic sensus inveniatur quodammodo medius inter intellectum, & res; est enim rebus comparatus, quasi intellectus, & intellectui comparatus, quasi res quædam."

(2) „Similitudo (inquit S. Thomas 1. p. q. 17. a. 2.) alicujus rei est in sensu tripliciter. Uno modo, primo & per se; sicut in visu est similitudo colorum, & aliorum propriorum sensibilium. Alio modo per se, sed non primo, sicut in visu est similitudo figuræ, vel magnitudinis, & aliorum communium sensibilium. Tertio modo, nec primo, nec per se, sed per accidens; sicut in visu est similitudo hominis, non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accidit esse hominem."

(3) Vide not. præced. (4) Locis cit.

(5) Quo sensu S. Augustinus l. de vera Relig. c. 33. ait: „Ne ipsi quidem oculi fallunt; non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant, ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro."

(6) Non quod nuncium eorum sit falsum, sed quod intellectus ma-

761 Prob. 2. p. Si sensus recte dispositi falli possent circa propria sensibilia, hoc esset illis à natura; nam cuilibet potentiæ naturale est ferri in proprium objectum. Sed quod est à natura, Auctori naturæ tribuitur. Deus ergo dedisset nobis sensus fallaces, ut in errores induceremur: quod absque injuria Creatoris dici non potest (1). Insuper naturalis actus alicujus rei semper est uno modo, ut S. Thomas (2) advertit, nisi impediatur vel propter defectum intrinsecum, vel ob extrinsecum aliquod impedimentum. Itaque sensus judicium de sensibilibus propriis semper est verum, & si aliquando fallitur, id evenit, vel propter defectum organi (3), vel propter impedimentum in medio (4).

762 Prob. 3. p. Ad sensibilia communia, & per accidens sensus directe non fertur, sed per accidens, & ex consequenti. Nihil ergo mirum, si in illorum judicio fallatur, quamquam sit recte dispositus (5).

---

lus sit judex. *Si quis* (inquit S. Augustinus loc. cit.) *remum frangi in aqua opinatur, & cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuncium, sed malus est judex. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit: si enim aliud est aer, aliud aqua, justum est, ut aliter in aere, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus recte, ad hoc enim factus est, ut tantum videat: sed animus perverse, cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est.*

(1) Hinc. S. Thomas 3. con Gen. c. 108. principium hoc statuit: » Nulla virtus cognoscitiva circa proprium objectum decipitur.“ E inde etiam probat, uti & nos §. 751. probavimus, *in cognitione intellectus deceptionem accidere non posse, si puras rerum quidditates apprehendat.*

(2) Q. 1. de ver. a. 11.

(3) *Febricitantibus* (inquit S. Thom. 2. de ani. lect. 21.) *omnia videntur amara, propter hoc quod sentiunt per linguam plenam cholera, quæ est amara.* Aliud exemplum ponit idem Angelicus 3. Meteor. lect. 5. *Laborantibus*, ait, *infirmitate oculorum apparet tela aranearum ante oculos, quibusdam autem muscæ volantes &c. cum tamen sit humor in pupilla respersus.*

(4) Sic ob vapores intermedios *sol, & luna, & alia astra apparent punicea in ortu, & occasu, & quasi subrubra.* S. Thom. 1. Meteor. lect. 8.

(5) Sic res quo magis distant, eo minores apparent, quia videntur sub minori angulo. Confer S. Thom. 3. Meteor lect. 4. Sic etiam corpus sphæricum à remotis visum, apparet planæ superficiei. Vide S. Thom.

763 Ad primum dicimus, sensum ex quo ratiocinationis est expers, falli non posse eo modo, quo fallitur intellectus; non tamen inde sequitur nullo modo falli posse.

764 Ad secundum respondemus, errorem, si qui contingat in uno sensu, non refelli neque à simili, neque à dissimili sensu, sed ab intellectu, qui licet pendeat à sensibus quoad acceptionem idearum, non tamen ab illis pendet quoad lumen quo discernit verum à falso; per quod lumen constitutus est sensuum judex, & errorem unius sensus potest vel per alios sensus (1), vel per se ipsum refellere (2). Et per hæc patet solutio ad tertium.

QUÆSTIO XVIII.

De signis idearum, sive de Vocabulis secundum se.

765 Postquam consideravimus ideas cum in seipsis, tum relatas ab objecta, & ad intellectum, agendum remanet de earum signis. Sunt autem vocabula signa idearum nostrarum (3); *voces* enim *significativæ*, ut S. Thomas (4) ait, *formantur ad exprimendas conceptiones intellectus*; nam homo non aliter quam per voces potest aliis conceptiones suas exprimere: quod plane necesarium fuit, cum homo sit animal sociale (5). De voca-

---

ib. Cum enim figura sit aliquid sensibile commune, visus potest circa illam falli.

(1) Nam intellectus cum sit potentia superior sensu, potest conferre sensationes, atque ita unius sensus errorem per alium sensum emendare. Sic v. g. si sal per visum putetur saccharum, error emendatur per gustum.

(2) Ex generalibus nempe principiis menti per se notis; v. g. ex eo principio, quod radius lucis refrangitur, cum transit à medio densiori in rarius (Vide S. Thom. 3. Meteor. lect. 3.) mens corrigit errorem visus exhibentis remum fractum in aqua, & judicat, revera non esse fractum.

(3) Non quod voces significent immediate ipsas ideas: nam ut ostendit S. Thomas 1. p. q. 8. a. 2. ad 3. *voces non significant ipsas species intelligibiles, sed ea quæ intellectus sibi format ad judicandum de rebus exterioribus.* Quia vero hæc ipsa intellectus format per species intelligibiles, voces dici possunt signa mediata idearum.

(4) 1. Periher. lect. 2.

(5) S. Thom. ib. *Homo si esset naturaliter animal solitarium, suf-*

bulis igitur disserentes, 1. agemus de eorum origine, 2. de imperfectione, 3. de usu, & abusu. De origine autem vocabulorum quæremus 1. an eorum significatio sit à natura. 2. an eorum conceptus differant à conceptibus rerum. 3. quandonam cœperint homines voces significativas adhibere. 4. quæ fuerit lingua hominis primigenia. 5. fueritne unus omnium hominum sermo ante Babelicam confusionem. 6. an humana industria fieri possit, ut omnes homines in uno eodemque sermone conveniant.

ARTICULUS I.

Utrum significatio vocabulorum sit à natura.

766 Voces aliæ quidem sunt articulatæ, aliæ inarticulatæ, Atque articulatæ sunt illæ, quas lingua ex vocalibus, & consonantibus litteris componit (1). Inarticulatæ sunt in quibus nulla est hujusmodi compositio, veluti gemitus, & suspiria (2). De voci-

---

ficerent sibi animæ passiones, quibus ipsis rebus conformaretur, ut earum notitiam in se haberet: sed quia homo est animal naturaliter politicum, & sociale, necesse fuit, quod conceptiones unius hominis innotescerent aliis: quod fit per vocem; & ideo necesse fuit esse voces significativas, ad hoc quod homines invicem conviverent. Aliam rationem addit Quintilianus Inst. l. 2. c. 17. cum ait: *Ipsa ratio neque tam esset in nobis manifesta, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus.*

(1) Vide S. Thom. loc. cit.

(2) Quomodo voces formentur, alterius loci est inquirere: modo sufficiat animadvertere cum S. Thoma 2. de ani. lect. 18. vocem esse *respirati percussionem aëris ad arteriam vocalem.* » Quia enim vox, *inquit*, est sonus animati, & ex illa parte, qua aërem respirat, omnis autem sonus est ex aliqua percussione aëris, sequitur, quod vox » sit respirati percussio aëris ad arteriam vocalem.« Hanc vocant asperam arteriam, sive tracheam, quæ ab extrema parte linguæ ad pulmones extenditur, & prope linguæ radicem foramen habet, quod appellatur glotta; quod quidem foramen ita est membranis dispositum, ut laxari, & restringi possit. Sic aër respiratus, è pulmonibus exiens, & in glottæ membranas incurrens percutit illas ad animæ motionem, & tunc habetur vox; siquidem, ut loc. cit. addit Sanctus Thomas, *id cui principaliter attribuitur causa generationis vocis est anima, quæ utitur aere respirato ad reverberandum aerem, qui est in arteria ad ipsam arteriam ... Animal autem non potest formare vocem, neque*

bus inarticulatis quod naturaliter significent, certa res est; suspiria enim naturaliter sunt signa doloris. De articulatis P. Nigidius apud Gellium (1) putavit, nomina, & verba quadam vi, & ratione naturæ facta esse. Eadem fuit apud Platonem (2) Heracliti, & Cratyli sententia.

767 Videtur autem ita dicendum I. quia cum dicimus v. g. *vos*, motu quodam oris utimur conveniente cum ipsius verbi demonstratione; labia enim emovemus versus illos cum quibus sermocinamur; contra facimus, cum dicimus *nos*. Hi autem motus sunt naturales (3). Ergo.

768 Ut Heraclitus habet apud Platonem (4). *Quod natura cuique congruit, instrumentum adinveniendum est, atque id illi attribuendum, ex quo non qualecumque vult qui fabricat, sed quale natura ipsa exigit.* Sed voces sunt animæ instrumenta ad conceptiones animæ exprimendas. Ergo, ut ibid. Socrates ait, *Cratylus vera loquitur, cum nomina dicit natura rebus competere, neque unum quemvis esse nominum auctorem, sed illum duntaxat, qui ad nomen respicit, quod natura cuique convenit.*

Propositio. *Vocabula naturaliter non significant.*

769 Prob. ratione S. Thomæ (5). Ea, quæ naturaliter significant, sunt eadem apud omnes (6); quapropter supra dixi-

---

dum attrahit aërem respirando, neque dum expellit expirando, sed dum retinet aërem, quia dum retinet, isto aëre retento, & percutiente aërem existentem in vocali arteria, causat motum ad formationem vocis. Ut autem vox sit articulata, requiruntur lingua, dentes, & labia; ita enim ex vocalibus, & consonantibus litteris sonus componitur, atque aliis, & aliis modis formatur. Quare S. Thomas 1. Perih. lect. 6. Instrumenta, *inquit*, naturalia virtutis interpretativæ sunt » guttur, & pulmo, quibus vox formatur, & lingua, & dentes, & la» bia quibus litterati soni, ac articulati distinguuntur.“ Quare inter fabellas reponimus quod refertur de quodam, qui linguam amiserat, & nihilominus perfecte loquebatur.

(1) Noct. Attic. l. 10. c. 4. (2) In Cratylo.

(3) Gellius loc. cit. (4) Loc. cit. (5) 1. Perih. lect. 2.

(6) Ut S. Augustinus animadvertit l. 2. de Doct. Christ. c. 1. *Signorum alia sunt naturalia, alia data. Naturalia sunt, quæ sine voluntate, atque ullo appetitu significandi præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicuti est fumus significans ignem. Non enim voluntas significare id facit ... sed & vestigium transeuntis animalis ad hoc*

mus (1), simplices conceptus esse eosdem apud omnes homines, quia significant naturaliter essentias rerum, quæ sunt eædem apud omnes. Atqui significatio vocabulorum (2) non est eadem apud omnes; vocabula enim diversa sunt pro idiomatum diversitate. Vocabula igitur naturaliter non significant.

770 Ad primum dicimus, rationem Nigidii frivolam esse; cur enim apud Hebræos cum dicunt *attem*, *vos*, nulla fit conversio ad eos, cum quibus sermocinantur? cur non ad seipsos convertuntur, cum dicunt *anahnu*, *nos*?

771 Ad secundum respondemus, instrumenta quidem naturalia ad naturales effectus producendos congruere debere effectis ipsis; secus instrumenta arbitraria, cujusmodi sunt voces.

ARTICULUS II.

Utrum conceptus rerum differant à conceptibus vocum?

772 Vocibus respondere aliquas animæ conceptiones, perspecta res est (3); constat enim ex supra dictis (4), surdos à nativitate, esse insuper mutos, quia nullum habere conceptum possunt vocum significantium. Constat quoque, voces diversas esse pro idiomatum diversitate: iis autem, qui aliquod idioma ignorant, idcirco ignotam esse significationem vocum illius idiomatis, quia nullum habent conceptum ejusmodi significationis. Quinimmo tanta est inter voces significantes, & earum significationem connexio, & conjunctio, ut statim, illis auditis, in mentem veniat earum significatio.

773 Nihilominus videntur conceptus vocum significantium

---

genus pertinet: & vultus irati, seu tristis affectionem animi significat, etiam nulla ejus voluntate, qui aut iratus, aut tristis est. Hæc autem signa naturalia eadem sunt apud omnes.

(1) §. 462. not. hinc.

(2) *Verba* (inquit S. Augustinus loc. cit. c. 3.) *prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit.* Qua ex doctrina infert S. Thomas 3. P. q. 60. a. 6. in Sacramentis Novæ Legis verba requiri.

(3) Clemens Alex. Strom. 8. *In voce*, inquit, *tria versantur: nempe nomina, quæ sunt signa eorum, quæ animo cogitantur principaliter; per consequentiam autem etiam subjectorum. Secundo autem cogitata, quæ res subjectas referunt, & exprimunt... Tertio autem res subjectæ, ex quibus nobis imprimuntur cogitata.* (4) §. 341.

non distinguit à conceptibus rerum, quia ut docet S. Thomas (1) voces significantes *significant intellectus conceptiones immediate, & eis mediantibus res.* At si voces haberent conceptus distinctos à conceptibus rerum, non significarent immediate conceptiones intellectus, sed proprios conceptus. Ergo.

774 II. Conceptiones intellectus sunt eædem apud omnes, ut dicit Aristoteles (2). Ergo si vocibus significantibus responderent proprii conceptus, illæ essent eædem apud omnes: quod falsum est.

Propositio. *Conceptus vocum significantium differunt à conceptibus rerum, quas significant.*

775 Prob. Conceptus rerum sunt iidem apud omnes, ut dictum est (3). Conceptus autem vocum significantium diversi sunt pro idiomatum diversitate. Hi ergo ab illis differunt. Præterea voces significantes possunt considerari, & ut sunt res quædam, & ut aliquid significant, sive, ut inquiunt, *materialiter*, & *formaliter*; v. g. hæc vox *homo* considerari potest & ut quædam vox est, & ut significat hanc rem, quam dicimus hominem. Possunt ergo voces concipi, ut res quædam sunt, ideoque iis respondet proprius conceptus.

776 Ad primum dicimus, S. Thomam loc. cit. excludere ab immediata significatione vocum ideas Platonicas; non vero conceptus immediatos earumdem vocum significantium (4).

777 Ad secundum dicimus, conceptus vocum idem significare apud omnes, apud quos sic formantur ad significandum, v. g. hæc vox *homo* apud omnes Latinos idem significat. Quod si non eodem modo formantur, quia non omnes intelligunt significationem vocis, sic non erunt iidem conceptus, nec idem significabunt apud omnes.

---

(1) 1. Perih. lect. 2.

(2) 1. Perih. c. 1. (3) §. 769.

(4) Inquit enim: *Significat hoc nomen* homo *naturam humanam in abstractione à singularibus. Unde non potest esse, quod significet hominem immediate singularem, ut Platonici posuerunt, quod significaret ipsam ideam hominis separatam. Sed quia hoc secundum suam abstractionem non subsistit realiter ... ideo necesse fuit, Aristotelem dicere, quod voces significent intellectus conceptiones immediate, & eis mediantibus res.*

ARTICULUS III.

Utrum aliquando homines sine articulati sermonis usu extiterint?

778 Homines diu vixisse belluarum instar, humani sermonis expertes, putarunt olim Lucretius (1), Horatius (2), Diodorus Siculus (3), & Vitruvius (4). At vero Joannes Baptista Vicus (5), Vir cæteroqui eruditus, quamquam non negat, homines antediluvianos, ut veræ Religionis cultum, ita humanam societatem & cum societate sermonis usum servasse (6); nihilominus statuit, sobo-

---

(1) L. 5. de primævis hominibus ita scribit:

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, & utilitas expressit nomina rerum.

(2) L. 1. satyr. 3.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus. . . . . .
Donec verba, quibus voces, sensusque notarent
Nominaque invenere.

(3) L. 1. sic de primorum hominum statu habet: *Illos inordinata, & belluina vita utentes sparsim ad pascua exivisse ... & oppugnandos à feris, mutuo sibi auxilio succurrisse, utilitate commotos: atque ita per timorem congregatos, paulatim suam inter se formam agnovisse. Cum autem vox inarticulata & confusa esset, paulatim flectendo verba, & de rebus singulis mutua inter se signa fingendo, totam sibi ipsis effecisse omnium interpretationem. Ejusmodi conventiculis in universo orbe factis non habuisse omnes eamdem linguam, cum singuli fortuito nomina fingerent.*

(4) L. 2. de Architect. c. 1. ubi statuit, *primos homines sine sermonis articulati usu, diu in cavernis terræ, ferarum instar habitasse, ac crebris nutibus, spiritu vocali & voce rudi animi sensa designasse; & sic demum ex eadem voce de eadem re sæpius repetita, vocem articulatam, vocabula significativa, ac sermonum usum ortum esse.*

(5) L. de constantia Phisologiæ c. 9. & in Scientia Nova.

(6) Ultra progreditur Antonius Genuensis Log. ital l. 1. c. 5. §. 1. ubi sic habet: L' aspetto delle cose di questo mondo, che veggonsi in »Cielo, e in terra, commosse le fibre degli occhi, e con ciò il cer-

les filiorum Noachi ita fuisse distractas in orbem terra-

» vello de' primi uomini ancora salvatici, e stupidi ... Come dal cer-
» vello escono tutt' i nervi, che muovono i muscoli motori delle mem-
» bra del nostro corpo, questi moti del cerebro spinsero gli strumen-
» ti del parlare a profferire de' suoni ... Questi suoni furono i primi segni delle interne sensazioni affezioni, nozioni di que' selvaggi." *Adspectus rerum hujus mundi, quæ conspiciuntur in cælo, & in terra, commovit oculorum fibras, atque adeo cerebrum primorum hominum adhuc sylvestrium ac stupidorum ... Quoniam è cerebro progrediuntur universi nervi movent̃es musculos, qui nostri corporis membra movent, hi motus cerebri impulerunt instrumenta loquutionis ad sonos edendos ... Hujusmodi soni prima fuerunt signa internarum sensationum, affectionum, motionum illorum sylvestrium.* Ita ille de origine linguarum scribens. Cum autem *primos homines* nominat, vel loquitur de primis hominibus ante diluvium, vel de primis hominibus post diluvium. Si de primis hominibus ante diluvium (ut colligi videtur ex eo quod ibidem linguas antediluvianas memorat) sylvestris, ac stupidis hominibus adjungendi erunt Adamus, & Eva, primique Patriarchæ Abel, Sethus, Henochus, aliique Patriarchæ ante diluvium. Quis autem id affirmare audebit, præsertim de Adamo, & Eva, de quibus dicitur Eccli 17. v. 5. *Disciplina intellectus replevit illos*? Quod si primi homines illi ex commotione fibrarum sonos, nescio quos, edidissent tamquam prima signa internarum sensationum &c. explicet Genuensis, qua ratione Adamus appellasse dicatur *nominibus suis cuncta animantia*; idque antequam Eva formaretur, ut habetur Gen. 2. v. 20. Nam si Adamus paulo post creationem loquutus fuit, & adeo perfecte, ut ib. v. 19. scriptum sit: *omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*; ecqui erunt soni illi imperfecti primorum hominum sylvestrium, ac stupidorum, quos Genuensis est commentus? Porro si Adamus tam accurate nomina imposuit brutis animantibus, nonne accuratius docere debuit filios, ac nepotes suos modum loquendi? Immo etiamsi Adamus neglexisset, nonne ejus filii ex consuetudine cum ipso, quemadmodum cæteri pueri ex consuetudine cum parentibus, ac nutricibus, loqui didicissent? Itaque falsum omnino est, & contra divinam Scripturam, primos homines ante diluvium fuisse sylvestres, ac stupidos, & sonos quosdam imperfectos ab initio edidisse.

Quod si Genuensis loquutus sit de primis hominibus post diluvium, nihilominus absurde loquitur. Quis enim affirmabit, Noachum, & filios ejus, quos Deus in Arca à diluvio servavit, homines fuisse sylvestres, & stupidos, ac loqui nescios? Atque hi tamen fuere primi homines post diluvium.

Denique si dicat, se fuisse loquutum de primis hominibus, qui nationes fundaverunt, ex iis quæ habet ib. §. 2. » I primi fondatori

rum (1), ferarum metu (2), ut alii ab aliis divisi, qui à feris non

» delle nazioni non erano, che fanciulli colla barba. " *Primi Nationum fundatores erant barbati pueri*: rogamus, ut explicet, utrum de omnibus loquatur qui nationes fundaverunt (nam neminem excipit) an vero de aliquibus duntaxat. Si de omnibus: pueri barbati per ipsum fuerunt Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Moyses, qui primi fundatores fuerunt populi Hebræorum. Si autem hos velit exceptos, rogamus rursus, ut respondeat, an opus fundandi nationes ex hominibus, ut ipsi placet, sylvestribus, ac stupidis, sit adeo facile, ut auctores habere potuerit pueros barbatos? Genuensis homo Philosophus barbatus erat, & nihilominus vix potuit ducentos, ut ipse scribit, congregare adolescentes, quibus elementa Philosophiæ traderet. Quanto minus potuisset populos feros, ac stupidos congregare ad constituendam nationem? Et tamen is barbatus homo vocat pueros barbatos primos nationum fundatores. Videat ne forte in eum cadant verba Sacerdotis Ægyptii, quæ ex Platone refert Clemens Alex. Strom. 1. ad Solonem, qui unus erat ex septem sapientibus: *O Solon Solon, vos Græci semper estis pueri, senex autem nullus est Græcus: disciplinam enim nullam habetis canam.*

(1) Id Vicus loc. cit. evenisse ponit anno post diluvium. Ait enim: » Anno post diluvium ante Babylonicam linguarum confusionem Sem, Cham, Japhet exleges" (qua ratione tres illos Patriarchas *exleges* Vicus appellet, alii viderint: nam quomodo *exleges*, qui non solum naturali, & Divinis legibus, sed etiam Patris Noachi præceptis subjecti erant?) » terram inter se divisisse; & in Assyria » mansisse Semum, Chamum in proximam Phœniciam, Ægyptum- » que, Japhetum in Europam commigrasse." Hæc cum Sacris Litteris non cohærent: nam primum Gen. 10. v. 25. Heber dicitur genuisse Phaleg ita nominatum, *eo quod in diebus ejus divisa sit terra.* Phaleg autem natus fuit anno 100. post diluvium, id est, anno mundi 1757. Non ergo terra divisa fuit anno post diluvium. Deinde qui fieri poterat, ut anno post diluvium terra inter Noachi filios divideretur? cum enim per diluvium universi homines interierint, exceptis tantummodo octo animabus Noacho, scilicet, & ejus uxore, ac tribus ejus filiis cum tribus eorum uxoribus; quis dixerit, tres illos Patriarchas ab Arca vix eductos, in vastissimas mundi plagas commigrasse? Insuper Noachi filii nondum divisi erant, cum eorum pater inebriatus fuit ex vino vineæ quam plantavit, ut legitur Gen. 9. Nisi autem quis velit, intra unius anni spatium vineam fuisse plantatam, statimque uvas dedisse, unde Noachus inebriari potuerit: quod sane absque miraculo fieri non potuit; perspicue constat, Noachi filios anno post diluvium nondum fuisse invicem separatos.

(2) Neque id consonat cum iis quæ habentur Gen. 9. v. 1. sq. ubi Deus benedicens Noacho, & filiis ejus, ait: *Crescite, & multiplica-*

fuerant necati, omnem prius Religionem, deinde omnem linguam, postremo omnem humanitatem, ipsumque rationis usum abjecerint (1) quousque post longam annorum seriem (2), à ful-

---

mini, & replete terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Vicus autem loc. cit. contendit, Chamitidas, & Japhetidas, *quamplurimos fuisse à feris enectos*; factumque esse, *ut sæpe viri à fœminis, fœminæ à viris, pueri filii à matribus, matres à filiis pueris, ut feras effugerent, dividerentur.*

(1) Hæc quidem Vicus de constantia Philologiæ c. 9. ad Chamitidas tantum, & Japhetidas refert: » Per hanc ingentem, *inquit*, terrarum » sylvam tam Chamitidas, quam Japhetidas hac ratione in solitudinem » distractos esse necesse est: quod sæpe viri à fœminis, fœminæ à viris, » pueri filii à matribus, matres à filiis pueris, ut feras effugerent, » dividerentur: & ita sensim minores à majoribus rudiores, ferarum » metu relicti, vel abacti, sic dispalati, solique prius omnem Religio- » nem, deinde omnem linguam, tandem omnem humanitatem exsur- » daverint, & in brutam licentiam, & errorem ferinum abierint." Nihilominus in lib. quem italico idiomate *de Scientia Nova* scripsit, pag. 133. postremæ editionis, videtur, inter ferinos homines Semi etiam posteros recensere, quamquam eos non tam cito in ferinum statum abiisse dicat.

(2) Tantam humani generis calamitatem mille annis durasse, Vicus de constant. Philol. c. 9. ne minimum quidem hæsitans statuit; ait enim: » Quo rerum statu mille annos durante (*inter Chamitidas, scilicet, & Japhetidas, de quibus ibi agit*), si quis recte rationem pu- » tet, quamquam quamplurimi, aut à feris enecti, aut fame per hye- » mes, siti per æstates deperierint; tamen incolumes vel ut feras eva- » derent, vel ut pabula, aut fontes quærerent, in Schythiam, Æthio- » piam, Occidentalem plagam, Indiasque prævalido nixu per invia, » & confragosa acti temeraria sorte penetrarint." Ita ne vero? At si mille annis duravit ferinus ille status; quomodo Vicus ponit *scient. nov.* sec. edit. p. 109. » Le razze di Cam, è Giafet dovettero disper- » dersi per la gran selva di questa terra con un errore ferino di dugento » anni." *Progenies Chami, & Japheti vagari debuerunt per vastam hujusce terræ sylvam errore ferino ducentorum annorum*, quot ipse necessarios putat, ut è terra post diluvium exhalationes siccæ elevarentur ad generandà fulmina, quibus ferini illi homines excitarentur? Nam si biscentum post diluvium annis, excitati illi jam fuerant à stupiditate ferina, quid causæ est, ut ad mille annos eam stupiditatem prorogemus? Non animadvertit autem Vicus, tantum abesse, ut inter Chamitidas præsertim ferinus ille status durare mille annis potuerit, quin contra certum sit ex c. 10. Gen. v. 8. sqq. Nembrodum nepotem Chami *fuisse potentem in terra*, & *Babylonem fuisse principium regni ejus.* Itaque Nembrodi ætate ferini homines non erant; socialem enim

mine exitati ferini illi homines (1), in aliquam Divinitatis notiam devenere, sicque paulatim humanam linguam, & mores recuperarunt.

---

vitam ducebant, sine qua regnum consistere nequit. Certum quoque est, Reges in Ægypto initium duxisse anno mundi 1816. post Misraim filium Chami, hoc est, anno 160. à diluvio. Constat præterea ex Eusebii supputatione in Chronico, anno 25. regni Europis Regis Sicyoniorum in Græcia, natum fuisse Abrahamum, hoc est, anno mundi 2008. & à diluvio anno 352. Si quis ergo rationem putet Scriptura, & historia innixam, inveniet, nihil tam à ratione abesse, quam ferinum hominum statum ad mille annos à Vico productum.

(1) Ex effera, quam exleges impii post diluvium duxere vitam, provenisse Gigantes, affirmat Vicus de const. Phil. c. 9. Sed cum Gen. 6. v. 4. dicatur: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*, id est, ante diluvium, oporteret, si quæ vis inesset Vici sententiæ, homines jam ante diluvium, in ferinum errorem abiisse. Quomodo autem Gigantes illi provenerint, ita describit Vicus loc. cit. » Historia, » sive observatio physica demonstrat, quantum magistri metus puero» rum spiritus affligat, & quidquid in iis est ad adolescendum genero» sius concidat. " Hæc prima ratio est, qua utitur Vicus, ut ostendat, pueros impiorum illorum hominum filios potuisse in proceram gigantum staturam adolescere; quod essent à magistrorum metu liberi. Peto, an metus, qui à magistris incutitur, major sit metu persequentium ferarum? Historia, sive observatio physica demonstrat, hunc illo longe esse majorem. Pueri ergo illi, qui ob magistrorum metum in gigantes abire minime potuissent, qua ratione poterant in gigantes adolescere, à parentibus derelicti, & metu ferarum abacti? Sed aliam physicam observationem addit Vicus ib. scilicet » nitros sales, quibus urinæ » plurimum abundant, plurimum vivacitatis habere, ut in spiritu sa» lis ammoniaci spectare est: campos autem stercoratos feliciter fru» gescere rustici norunt. " Hinc vero infert ib. » non natos gigantes » inter Semi posteros, quia ex culto antediluviano matres lavabant pue» ros, & pueri sub patrum imperio, & disciplina adolescebant. " Præclara sane ratio! Hoc erit reliquum, ut matres ac nutrices à lavandis pueris abstineant, ne causa sint, cur ii adolescere non multum valeant. Sane si ex cultu antediluviano matres lavabant pueros, gigni nullo modo potuissent gigantes antediluviani, nisi ab illis lavandis matres abstinuissent: quod demonstrari numquam poterit. Quid? Deuteron. 2. v. 10. sq. meminit Scriptura populorum Emim ad Orientem maris mortui: *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur.* De Ammonitis ib. v. 20. dicitur: *Terra* (Ammon) *terra gigantum reputata est, & in ipsa olim habitaverunt gigantes.* 2. Reg. 21. & 1. Paralip. 20. mentio fit quinque gigantum è stirpe Rapha,

779 Videtur autem ita dicendum : I. quia, ut Homerus testatur, inter Græcos fama erat à primis usque temporibus, progenitores suos ferarum more vixisse.

780 II. Mythologi omnes docent, priores illos homines fuisse feras, quas Orpheus lyræ sono cicuravit, & saxa, ex quibus Amphion ad Liræ sonum Thebarum muros construxit.

781 III. Scimus, nunc etiam gentes exstare in America, aliisque locis postremis hisce sæculis detectis, quæ omnem exuisse humanitatem videntur. Nihil ergo mirum, si inter posteros filiorum Noachi diuturna fuit ferinæ vitæ ratio.

Propositio. *Nullo umquam tempore homines plerique omnes extitere sine articulati sermonis usu.*

782 Prob. ratione S. Thomæ (1). Homo naturaliter est

---

quos David ejusque milites interfecerunt. Anne hi omnes in proceram staturam adolevisse credendi sunt, quia illo, quem Vicus ponit, cultu vixerunt? At si ferarum instar enutriti ii fuissent, hac illac ferarum metu abacti, quomodo in *populum magnum* excrescere; quomodo in terra Ammon habitare; & usque ad Davidis tempora bella gerentes pervenire potuissent? Quam autem Vicus profert, ratio nullius momenti est; diversus enim est terræ cultus à cultu humani corporis: nam terra seipsa est arida, frigida & sicca; quare oportet, ut aliunde pinguis fiat, & incalescat: aqua autem sola id præstare nequit, nisi cum aliquo corpore commisceatur crasso, aptoque ad excitandum conservandumque calorem. Quo sensu Plutarchus Opusc. *Aquane, an ignis sit utilior*: » Tantum abest, *inquit*, ut aqua ex sese sufficiat aliis rebus ge» nerandis, aut conservandis, ut ipsa quoque igne destituta pereat. « Et idcirco S. Thomas de sensu, & sensato lect. 14. explicans, quare agricultores adhibeant fimum: *Aqua*, inquit, *sola non potest nutrire sine commixtione alicujus terrestris, sicut agricultores adhibent fimum, ut aqua commixta nutriat plantas.* Homo autem corpus habet ex crassa, humida, & calida materia compactum: & tantum abest, ut ex salibus urinæ, ac stercoris augescere possit, quin potius necesse sit, ut intereat, si naturali ejus pinguedini & calori multum pinguedinis & caloris extrinsecus adhibeatur. Sues certe in urina, & stercore convolvuntur; ideoque si Vici valeret ratio, in magnam corporis molem, elephantum instar, crescere deberent, cum tamen videamus, porcos quandoque ob nimiam pinguedinem interire, quin justam corporis molem excedant. Quomodo autem Gigantes ad proceriorem corporis staturam pervenerint, demonstrare non est hujus loci. Hac de re agitur tom. 1. *Histoire de l'Academie des medailles & des belles Lettres.* Nos autem dicemus alias.

(1) 1. Perih. lect. 2. Vide §. 765. not. *S. Thom.*

animal sociale (1). Igitur à natura ita est comparatus, ut conceptiones suas cum aliis hominibus communicet. Sed hæc communicatio maxime fit per voces articulatas; nam per nutus haberi non potest perfecta communicatio, prout ad socialem vitam requiritur; quapropter ii, qui sunt diversarum linguarum, non possunt bene convivere ad invicem. Homini igitur naturalis est articulati sermonis usus. Sed quod est á natura, frustrari, saltem ut in pluribus (2), suo effectu non po-

(1) Hoc principium destruit Vicus, cum ait, soboles filiorum Noachi omnem linguam, & humanitatem amisisse longo sæculorum spatio.

(2) Diximus, *ut in pluribus*; non enim negamus fieri potuisse, ut sicut aliquando monstra nascuntur, ita aliqui fuerint homines belluarum more viventes, etiam absque usu humani sermonis. Conferri potest Bernardus Connor in Evangelio Medici a. 15. ubi describit hominem quemdam sylvestrem inter ursos captum, sermonis usu carentem. Sed hujusmodi homines monstra sunt, ex quibus nihil inferri potest contra id quod naturaliter contingit. Adeundus est S. Thom. 1. Pol. lect. 1. ubi postquam posuit *hominem esse animal naturaliter civile*, ait: » Posset » autem hoc alicui venire in dubium ex hoc quod ea, quæ sunt secun» dum naturam, omnibus insunt. Non autem omnes homines inveniun» tur esse habitatores civitatum. " Respondet autem: » Hoc patet quod » non est contrarium ei, quod dictum est, quod homo sit naturaliter » civilis, quia & alia naturalia aliquando deficiunt propter fortunam, » puta, cum alicui amputatur manus, vel cum privatur oculo. " Probans vero, hominem esse naturaliter animal sociale: » Natura, *inquit*, » nihil facit frustra, quia semper operatur ad finem determinatum. » Unde si natura attribuit alicui rei aliquid quod est de se ordinatum » ad aliquem finem, sequitur, quod ille finis detur illi rei à natura. » Videmus autem, quod cum quædam alia animalia habeant vocem, » solus homo super alia animalia habet loquutionem. Nam etsi quædam » animalia loquutionem humanam proferant, non tamen proprie lo» quuntur, quia non intelligunt quid dicunt, sed ex usu quodam tales » voces proferunt. Est autem differentia inter sermonem, & simpli» cem vocem. Nam vox est signum tristitiæ, & delectationis, & per » consequens aliarum passionum, ut iræ, & timoris, quæ omnes ordi» nantur ad delectationem, & tristitiam. Et ideo vox datur aliis ani» malibus, quorum natura usque ad hoc pervenit, quod sentiant suas » delectationes, & tristitias, sicut leo per rugitum, & canis per latra» tum: loco quorum nos habemus interjectiones. Sed loquutio huma» na significat quid est utile, & quid nocivum. Ex quo sequitur, quod » significet justum, & injustum. Consistit enim justitia, & injustitia ex » hoc quod aliqui adæquentur, vel non adæquentur in rebus utilibus, & » nocivis. Et ideo loquutio est propria hominibus, quia hoc est pro-

test, est enim ex ordinatione primi Moventis, quæ omnino frustrari nequit. Nullo igitur umquam tempore &c.

783 Ad primum dicimus, famam illam inter Græcos viguisse ob ignorantiam, qua de vera hominis origine, & mundi propagatione tenebantur Gentiles. Nos autem ex c. 9. 10. & 11. Gen. scimus genealogiam familiæ Noachi, ejusque descendentium ad plures generationes; scimus etiam ex eodem c. 9. v. 19. à tribus filiis Noachi *disseminatum omne genus hominum super universam terram.* Denique scimus ex cap. 10. v. 2. sqq. quod á filiis, & nepotibus Japheti, qui ibi recensentur, *divisæ sunt insulæ gentium* (inter quas numerantur Asiæ minoris insulæ) *in regionibus suis unusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.* Cum autem Scritura regiones, linguas, familias, nationes nominet, in quas divisæ sunt insulæ gentium, profecto non ferarum more illi vixerunt, sed socialem duxere vitam in familiis suis. Et cum ad plurimos annos Japhetidæ (idem dicendum de Semitidis, & Chamitidis) vitam produxerint, Deo sic volente, ut genus humanum multiplicaretur; perspicue constat, Græcorum progenitores (quod & de aliis dicendum est) numquam ferarum more vixisse: nam Regum seriem in Argos Pelopponensi Usserius computare incipit ab anno mundi 2148. hoc est anno 492. à diluvio, decennio antequam Semus moreretur.

784 Ad secundum dicendum, vel commenta esse Poetarum quæ de Orpheo, & Amphione narrantur; vel esse intelligenda de hominibus rudibus quidem, sed longe distantibus à stoliditate ferarum (1).

» proprium eis in comparatione ad alia animalia, quod habeant cogni-
» tionem boni, & mali, justi & injusti, & aliorum hujusmodi, quæ
» sermone significari possunt. Cum ergo homini datus sit sermo à na-
» tura, & sermo ordinetur ad hoc, quod homines sibi invicem com-
» municent in utili, & nocivo, justo, & injusto, & aliis hujusmodi,
» sequitur, ex quo natura nihil facit frustra, quod naturaliter homines
» in his sibi communicent. Sed communicatio in istis facit domum,
» & civitatem. Igitur homo est naturaliter animal domesticum, &
» civile. " Vide quam sublimi ratione probet Angelicus Doctor, statum socialem ex natura homini convenire; quamque proinde sit contra rationem quod Vicus adserit de ferino hominum statu post diluvium.

(1) Si quod valeret Vici argumentum ex fabulis Orphei, & Amphionis ductum probaret, ferinum hominum statum non decem tantum sæculis, sed viginti duobus, & amplius sæculis durasse: nam ex

785 Ad tertium respondemus, inter Americanos, Groenlandos, Caffros, Huttentottos repertos quidem fuisse homines barbaros, & silvestres (1); sed neminem inter illos fuisse inventum, qui non modo omnem linguam, & humanitatem, sed omnem Religionem abjecisset (2).

ARTICULUS IV.

Utrum primitiva hominis lingua fuerit Hebraica.

786 Videtur id negandum (3): I. quia Psammetichus Rex Ægypti, ut refert Herodotus (4), duos pueros recens natos cuidam pastori tradidit, seorsim in deserta casa collocandos, & caprarum lacte pascendos, ita ut nemo cum illis loqueretur. Bimatus autem exacto tempore, pueri illi *beccos* clamabant; cujus vocis significatione investigata repertum fuit, *beccos* apud Phrygas panem significare. Phrygia ergo lingua primitiva fuit.

787 II. Lingua Hebraica dicta est ab Hebero, vel ab Abrahamo, eo quod transierit Euphratem (5). Heberum igi-

---

supputatione Eusebii in Chronico Amphion regnasse ponitur Thebis, anno mundi 3875. hoc est, anno 2219. à diluvio. Orpheus autem ib. clarus ponitur anno mundi 3934. id est, anno 2278. à diluvio.

(1) Nam ut advertit S. Thomas 1. Polit. lect. 1. *Homo est optimum animalium, si perficiatur in eo virtus, ad quam habet inclinationem naturalem. Sed si sit sine lege, & justitia, homo est pessimum omnium animalium.... Quia injustitia tanto est severior, quanto plura habet arma, id est, adjumenta ad male faciendum: homini autem secundum naturam convenit prudentia, & virtus, quæ de se sunt ordinatæ ad bonum; sed quando homo est malus, utitur eis quasi quibusdam armis ad malefaciendum.... Et inde est, quod homo sine virtute, quantum ad corruptionem irascibilis est maxime scelestus, & sylvestris, utpote crudelis, & sine affectione. Et quantum ad corruptionem concupiscibilis est pessimus quantum ad venerea..... Sed homo reducitur ad justitiam per ordinem civilem.*

(2) Vide Kolben in descriptione Capitis Bonæ Spei, qui de Huttentottis, apud quos manserat decem annorum spatio, testatur, ipsos credere unum Deum supremum Auctorem, & arbitrum Universi.

(3) Ita quidem videtur Huetio Dem. Evang. prop. 4. c. 13. & Grotio in c. 11. Gen.

(4) Lib. 2.

(5) Scilicet vel ab Hebraico *Habar*, *transivit*, quasi transfluvialis transeuphratæus; vel quod ab Hebero ortus.

tur, aut Abrahamum auctores habuit, non Adamum, alioqui lingua Adamica dici debuisset.

788 III. Lingua Hebræa nihil, aut parum à Chananæa discrepabat, ut auctor est S. Hieronymus (1). Atqui Labani tempore lingua Assyria multum discrepabat à lingua Hebraica; nam quod Laban *tumulum testis* appellavit, id Jacob *acervum testimonii* dixit (2): Vel igitur lingua Hebræa in Heberi familia non perseveravit integra; vel primigenia non est.

Propositio. *Lingua Hebræa fuit primitiva hominis lingua.*

789 Ita S. Thomas (3) Ecclesiæ Patres sequutus (4). Probatur. Lingua illa tamquam primitiva habenda est, quæ est omnium simplicissima; quo enim simplicior, eo perfectior est sermo & quo perfectior, eo dignior primo homine. Atqui Hebraica lingua simplicissima est; habet enim radices, quæ ut plurimum tribus tantum litteris constant; nomina in varios casus numquam inflectit; verbis auxiliaribus numquam utitur; loco pronominum possessivorum unam, vel ad summum duplicem litteram verbis

(1) In c. 19. Isaiæ.

(2) Gen. 31. & 47.

(3) In c. 11. 2. Cor. lect. 5. » Secundum quod, *inquit*, quidam dicunt, Hebræi dicuntur ab Abraham.... Potest tamen dici, & forte melius, quod dicuntur à quodam Heber, de quo habetur Gen. 11. *Vixit Sale triginta annis, & genuit Heber.* Et sequitur: *Vixit Heber trigintaquatuor annis, & genuit Phaleg.* Et tempore ejus fuerunt divisæ linguæ, & lingua Hebræorum remansit in familia sua.« Et lect. 1. in c. 3. Epist. ad Philip. » Aliqui dicunt, quod Hebræus dicitur ab Abraham: & hoc dicit Augustinus (*l. de consensu Evang. c.* 14.) sed postea retractat (*l. 2. Retract. c.* 16.). Sed dicitur ab Heber, de quo Gen. 11. Quod autem non ab Abraham patet, quia etiam Abraham dicitur Hebræus. Gen. 14. *Nunciavit Abrahæ Hebræo.* Dicit Glossa super Gen. 11. Quod tempore Heber divisum est labium gentium omnium, & illa lingua quæ prius erat, remansit in familia Heber, & in cultu unius Dei, & inter omnes Hebræos.«

(4) Vide Originem Hom. 11. in Num. Chrysostomum Hom. 30. in Gen. Hieronymum in c. 3. Sophoniæ, Augustinum l. 16. de Civ. c. 11. & l. 18. c. 39. Quod si Nyssenus Orat. 12. con. Eunomium, primitivam illam linguam intercidisse docet, propterea quod Deus aliam Judæis linguam indidit, cum egrederentur ex Ægypto; hanc sententiam accepisse se ait ab Judæis, quorum auctoritas non multis est facienda.

affiingit; duas tantum habet nominum declinationes, paucas verborum conjugationes, easque simplicissimas. Præterea, non est credendum, in Babylonica confusione linguarum periisse linguam illam, qua homines ad illud usque tempus loquuti fuerant; cum enim ea confusio fuerit pœna peccati, in iis locum minime habuit, qui peccato superborum hominum non consenserant. Non consensisse autem Semum, & Heberum, argumento est, quod ii homines erant piissimi. Retinuerunt igitur Patriarchæ illi antediluvianam linguam, eamque suis posteris transmiserunt (1). Heberus autem pater Hebræorum fuit. Igitur in Hebræis primitiva lingua remansit.

790 Ad primum dicimus, simile experimentum á Purcha apud Waltonum in Prolegom. 1. refferri institutum jussu Melabdini Echebaris Magni Mogorii Regis, in puero enutrito longe ab hominum consortio, qui tamen nullam emisit vocem. Itaque pueri illi Psammetici vocem *beccos* pronunciarunt, vel quia audierant oves balantes, vel vox illa nihil apud ipsos significabat, & nihilominus casu apud Phrygas significabat panem.

791 Ad secundum dicendum, linguam Hebræam non fuisse appellatam Adamicam, quia licet ab Adamo processerit, tamen conservata fuit in familia Heber.

792 Ad tertium neg. min. Nam si lingua Chanaan multum discrepasset ab Hebræa (2), neque Gabaonitæ potuissent imponere Josue, & Principibus Israelitarum, ut legitur *Josue* c. 9. neque Rahab habere colloquia cum exploratoribus Urbis Jericho, quos abscondit, ut ibid. narratur c. 2. Quod autem Laban vocaverit *tumulum testis* congeriem lapidum, quam Jacob appellavit *acervum testimonii*, confirmat, Assyriam linguam non multum differre ab Hebraica; & idcirco Scriptura loc. cit. ait, utrumque ita dixisse, non quidem juxta diversitatem, sed *juxta proprietatem linguæ suæ*. Quæ verba indi-

(1) Chrysostomus loc. cit. »Heber, *inquit*, mansit idem servans »idioma, quod & antea habebat, ut manifestum divisionis hujus sig»num foret.«

(2) Non negamus primitivam illam linguam potuisse mutationes aliquas pati in posteris Heberi; sed hæc mutatio talis non fuit, ut posteri illi non possent se invicem intelligere. Certe Abrahamus vernaculo suo usus fuit sermone, & cum moraretur in Ur Chaldæorum, &, cum in Chananitidem se contulit. Et similiter licet Hebræorum lingua nonnihil mutata credi possit ex diuturna eorum mansione in Ægypto, substantialiter tamen eadem perseveravit, alioquin cum Chananitide potirentur, debuissent uti interprete.

care videntur, utriusque linguas proprietate quidem, at non substantia differre.

ARTICULUS V.

Utrum ante Babelicam confusionem fuerit unus omnium hominum sermo.

793 Joannes Baptista Vicus, cum statuisset, filios Noachi anno post diluvium in universas mundi plagas commigrasse, docet proinde (1), Babelicam linguarum confusionem factam fuisse in una duntaxat Semi progenie in Asia Orientali, cum tamen in Chamitidis, & Japhetidis jam tunc esset diversitas linguarum ex eorum dispersione in alias mundi partes. Genuensis autem (2) ulterius progressus, docet, etiam homines antediluvianos pluribus linguis fuisse usos.

---

(1) Scien. novæ secun. edit. p. 109. » La confusione delle lingue per » gli nostri principi si dimostra esser avvenuta nella discendenza di Sem » per lo mondo dell' Asia Orientale; ma essere stata diversa l' origine » della diversità delle lingue nelle razze gia fatte, è disperse per l' » Asia Septentrionale &c. " *Confusio linguarum ex principiis nostris ostenditur accidisse in posteris Semi per orientalem Asiam; sed tamen diversa fuit origo diversitatis linguarum in familiis jam dispersis per Asiam Septentrionalem.*

(2) Log. Ital. l. 1. c. 5. §. 7. ubi quærit: » Parlavano essi, ò no gli » uomini antidiluviani? E se parlavano, come indubitatamente parla- » vano; non è stato possibile, che quei che sormotarono il diluvio » non portassero seco nel mondo le *antiche lingue.* Son sicuro, ch' » essendone scappati pochi, non poterono recarci le intere loro lingue. " *Loquebantur, necne homines antediluviani? Si autem loquebantur, ut est abs dubio; fieri non potuit, quominus ii, qui diluvium evaserunt, ferrent secum in mundo veteres linguas. Nec dubito, quin transmittere ad nos minime potuerint integras suas linguas, cum pauci evaserint.* Ita ille, cum tamen Scriptura, ut mox dicemus, testetur, terram fuisse labii unius, & sermonum eorumdem etiam post diluvium, ante Babelicam confusionem. Ibidem paulo ante loquens de diluvio, ait: » Un diluvio, è uno sconvolgimento dell' orbe terraqueo è di- » mostrato non solo per le antiche tradizioni di tutt' i popoli " (cur de Scriptura silet?) » ma per la fisica della terra medessimamente. " *Diluvium, & transmutatio orbis terraquei, demonstratur non modo ex antiquis omnium populorum traditionibus, sed etiam ex physica constitutione telluris.* Nimirum innuere intendit aut Wistoni senten-

794 Videtur autem ita dicendum : I. quia S. Philastrius (1) hæresis damnat opinionem de unitate sermonis in mundo ante Babelicam confusionem.

795 II. Quæ de confusione linguarum Scriptura habet, referri possunt ad animorum discordiam (2). Non ergo inde probatur unitas sermonis omnium hominum ante Babelicam confusionem

796 III. Gen. 10. post enumeratos filios Japhethi dicitur v. 5. *Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis unusquisque secundum linguam suam.* Idem dicitur v. 20. de filiis Chami. Deinde vero c. 11. describitur Babelica confusio linguarum. Igitur ante confusionem jam erant divisæ linguæ Japhetidarum, & Chamitidarum.

Propositio. *Ante Babelicam confusionem unicus fuit omnium hominum sermo* (3).

797 Prob. ex. c. 11. Gen. v. 1. ubi dicitur : *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorundem.* Et : „Descendit Domi„nus, ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant *filii Adam.* „Et dixit : ecce unus populus, & unum labium omnibus..... „Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam „eorum.“ Atqui *filii Adam* non erant tantum Semitidæ, sed & Chamitidæ, & Japhetidæ. Non enim Semitidæ tantum ad turrim construendam convenerunt, sed etiam Chamitidæ, & Japheti-

---

tiam de diluvio per cometam inducto, vel potius Burnetii systema, factum nempe esse, ut iteratis terræ concussionibus diluvium fieret, erumpente ingenti aquarum abysso, quæ prius in terræ visceribus latebant. Si autem physicæ telluris constitutioni diluvium esset adscribendum, cur non incendium Sodomæ constitutioni ignis? Cur non divisio maris rubri constitutioni aquarum? Cur non constitutioni Solis tenebræ in morte Christi? Cur non denique constitutioni causarum naturalium universa prodigia, etiam illa quæ in Scripturis narrantur? Et nihilominus Genuensis hæc docet pueros, pro quibus Logicam illam scripsisse se dicit. Audiat Chrysostomum Hom. 26. in Gen. de diluvio ita scribentem. *Quando Deus operatur aliquid, dilecte, noli humana ratiocinatione exquirere quæ fiunt; transcendunt enim mentem nostram.*

(1) Hæresi 56.

(2) Le Clerc Lettre 19. *Sentimens de quelques Theolog. d' Hollande.*

(3) Vide S. Thom. lect. 1. in c. 3. Epist. ad Phil.

dæ (1). Itaque confusio linguarum contigit non in Semi tantum, sed & in Chami, & Japheti sobole (2). Sed hi omnes ante con-

---

(1) Censet S. Augustinns l. 6. de Civ. c. 4. Nembrodum fuisse conditorem Babylonis, aliosque impulisse ad Civitatem illam, & turrim excitandam. Id Vicus ipse affirmat. Fuit autem Nembrodus è stirpe Chami. Non est igitur ambigendum, quin etiam Chamitidæ ad turrim construendam convenerint.

(2) Quot linguæ ex Babelica confusione ortæ fuerint, facile non est definire. S. Hieronymus in c. 26. Matt. putat linguas fuisse divisas in gentes septuagintaduas. S. Augustinus l. 6. de Civ. c. 3. numerat septuagintatres. Chaldæus Paraphrastes ponit septuaginta juxta numerum animarum, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, propterea quod Deut. 32. v. 8. dicatur: *Quando dividebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.* Nonnulli apud Clem. Alex. Strom. 1. gentes, & linguas dicunt septuagintaquinque. Quisquis autem fuerit earum linguarum numerus, nemo dubitat, quin aliquæ matrices linguæ supersint. Quænam vero illæ sint, Eruditi disputant. Hebraicam, Græcam, Latinam, Teutonicam, & Illyricam, sive Sclavonicam matrices esse, communius creditur. Ex his aliæ deinceps ortæ sunt, videlicet, ex Hebræa promanarunt Chaldæa, Arabica, Samaritana, Æthiopica, Syriaca. Ex Græca, Attica, Jonica, Æolica, Dorica, Phrigia. Ex Latina, Italica, Gallica, Hispanica. Ex Teutonica, Belgica, Danica, Svecica, Anglica. Ex Illyrica, Polonica, Hungarica, Bohemica, Moscovitica, Turcica, Bulgarica. An Persica sit matrix, dubium est.

In Cyclopædia italice ex Anglico reddita, art. *Linguaggio* dicitur Raymundus Lullius curasse, ut studium doctarum linguarum constitueretur; denique in Concilio Viennensi sub Clemente V. ann. 1312. fuisse ordinatum, ut in Academiis Romana, Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi, & Salmantina linguarum Professores instituerentur; quorum tamen studiorum progressui Monachi sese opposuerunt, ita ut Erasmus diceret, sua ætate *Græce nosse suspectum: Hebraice prope hæreticum.* Quæ de Raymundo Lullio Cyclopædistæ habent de Lullio Franciscano intelligi nullo modo possunt: nam Wadingus in Annal. ad an. 1315. n. 12. hunc vocat *hominem rudem, & litterarum expertem*, indeque infert, fuisse à Deo illustratum, ut tot libros scriberet, in quibus universis, ut idem Wadingus ib. n. 16. observat, *stylus est inconcinnus, inæqualis, non solum humilis, verum & passim barbarus.* Quis autem credet, hominem talem adlaborasse pro studio doctarum linguarum, quarum ipse expers erat? Si autem de alio Raymundo Lullio juniore Cyclopedistæ loquuntur, de quo Odoricus Raynaldus ad an. 1315. n. 5. tantum abest, ut is potuerit adlaborare pro studio earum linguarum, quin potius improbus fuerit homo, Rabbinus Neophitus, qui perniciosos

fusionem erant *unius labii, & sermonum eorundem.* Igitur ante confusionem unica erat omnium hominum lingua.

798 Ad primum dicimus, singularem illam esse S. Philastrii sententiam, à qua cæteri Patres dissentiunt.

---

codices scripsit magicæ artis. Itaque Cyclopædistæ vehementer hac in re errant.

Multo magis decipiuntur, & malitiose calumniantur, cum, uti Monachis invidiam creent, ajunt, Monachis adscribi debere, quod hujusmodi studiorum nullus fuerit progressus. Immensus forem, si singulorum Virorum Ordinum Regularium eruditionem, atque labores in linguis præsertim Hebraica, Chaldaica, Græca, Arabica, Armenica, &c. non dicam recensere, sed commemorare duntaxat vellem. Sufficiat ad retundendam Cyclopædistarum calumniam aliquos tantum laudasse ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui ante, & post Concilium Viennense, eximii in Doctis linguis fuere. Anno 1284. Guillelmus de Moerbeka floruit: is autem, ut ex Epistola Vitellionis, qui ipsi nuncupavit Opus de Perspectiva, linguas Latinam, Græcam, Arabicam sibi familiares fecit: è Græco in Latinum vertit, instante S. Thoma Aquinate, omnes Aristotelis libros. Vertit quoque Simplicium, Galenum de Alimentis, Hippocratem de prognosticis ægritudinum, Proclum Diadochum de Providentia &c. Interfuit Concilio Lugdunensi, in eoque Ecclesiæ servivit pro ea qua pollebat Græcæ linguæ peritia. Vide Acta Conc. Tom. 11. Conc. p. 958. Eodem tempore Raymundus Martini, quem Petrus Marsilius appellat *Philosophum in Arabico, magnum Rabbinum in Hebræo, & in lingua Chaldaica multum doctum*, composuit *Pugionem Fidei*: Opus egregium adversus Hebræos tantopere ab eruditis commendatum. Hebraicæ autem linguæ scholas publicas habuisse Raymundum, ostendit Echardus de Script. Ord. Præd. T. 1. p. 397. Ante laudatos Viros Hugo de Sancto Charo Card. Sacra Biblia recognoscebat, atque emendabat, additis variis lectionibus Codicum MS. Hebræorum, Græcorum, & Veterum Latinorum, ut ex eodem Echardo ib. p. 197. Quam quidem correctionem una cum Hugone curabant Fratres nostri anno 1236. ut ex Capitulo Generalissimo Ordinis eo anno habito. Eo etiam tempore plures è nostris à Capitulis Generalibus fere quotannis in Græciam mittebantur, ut idem Echardus animadvertit loc. cit. p. 385. Post Concilium Viennense, anno 1357. claruit Simon Jatumæus *Græce, Latine, & Hebraice doctus*, ut ait Sixtus Senensis Bibliot. Sanctæ l. 4. De ipso videri potest Leo Allatius *de perpetua consensione* l. 2. c. 15. n. 11. & in Diatriba de Simeonum scriptis, & Echard. loc. cit. p. 737. Porro anno 1400. claruit Manuel Calecas in Sacris Bibliis, & SS. Patrum Græcorum, atque Latinorum operibus versatissimus, uti ostendunt ejus Opera, quæ natione Græcus græce scripsit adversus Græcorum errores. Vide ea opera à Combefisio nostro edita Græce, & Latinè ab ipso versa.

799 Ad secundum negamus, confusionem illam referri posse ad animorum discordiam. Nan Gen. 11. v. 7. dicitur : *Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Actum esset de quavis historica Scripturæ narratione, si tam aperta verba à sensu litterali contorquere liceret (1).

Ut autem cæteris magno numero omissis, ad tempora Erasmo proxima accedamus, ejus ætate (nam Erasmus natus fuit an. 1469. & obiit an. 1536.) clarissimus erat Sanctus Pagninus, vita functus an. 1541. Quam fuerit vero Pagninus in Hebraicis præsertim, & Græcis litteris versatus, probant ejus Opera, quæ recenset Echardus T. 2. p. 115. sqq. De ejus Veteris, & Novi Testamenti translatione videri possunt Sixtus Senensis Bibl. San. l. 4. Buxtorfius in Lexico Epist. nuncupat, & Huetius l. de claris Interp. §. 15. Pagninum imitatus est Augustinus Justinianus Nebiensis Episcopus vita functus eodem anno quo Erasmus. De ipso hæc ad immortalem laudem scribit ei synchronus Sixtus Sen. loc. cit. *Theologus sincere doctus, & linguarum omnium, quæ toto terrarum orbe dispersæ sunt, peritissimus, novo, & ingenti ausu primus omnium utrumque Sacræ Legis Instrumentum quinque præcipuis linguis Hebræa, Caldæa, Græca, Latina, & Arabica in unum corpus Octapla inscriptum redegit tanto artificio, ut in singulis paginis octo columnas disponeret.* Mitto Georgium Vespuccium in Veterum cum Græcorum, tum Latinorum doctrina mirifice exercitatum, de quo vide Mamachium Orat. de Leone X. P. M. p. 12. Ipsum celebrat Marsilius Ficinus l. 3. Epist. 21. Mitto Zenobium Acciajolum singularis Græcæ, & Latinæ Linguæ peritiæ virum à Leone X. Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum. Vide ejus Epist. numcupatoriam ad eumdem Leonem X. quæ exstat in Edit. Paris. an. 1514. Operis Theodoreti de curandis Græcorum Affection. ab ipso Latine redditi. Mitto Combefisium, Lequienum, Goarium &c. Hos ex multis laudasse sufficiat, ut Cyclopædistarum, & Erasmi calumnia detegatur. Qui hac de re plura scire cupit, adire poterit, quod ad nostros pertinet, laudatum Echardum, & quod ad alios aliorum Ordinum Viros, Sixtum Senensem, aut illos qui de uniuscujusque Ordinis Scriptoribus catalogum texuerunt. Ex quibus perspicue etiam constat, quam falso Erasmus dixerit, sua ætate *græce nosse suspectum, hebraice prope hæreticum.* Nam Pagnini Veteris, & Novi Testamenti translatio edita fuit ann. 1528. approbante Clemente VII. Justitiani Opus fuit Leoni X. nuncupatum, & eidem Leoni dicata fuit ab Acciajo elaborata Theodoreti translatio.

(1) Sive cum Origine Hom. 11. in Num. & cum S. Aug. l. 16. de Civ. c. 6. dicatur Deus confudisse linguas ministerio Angelorum, sive per seipsum; prodigio certe ea idiomatum confusio est adscribenda, quo factum est, ut deletis in illis hominibus ideis vocabulorum primitivæ linguæ, aliæ prorsus diversæ substitutæ fuerint.

800 Ad tertium respondemus cum S. Augustino (1), ea quæ narrantur c. 10. Gen. de generationibus filiorum Noachi, esse per anticipationem dicta, ut frequens est Sacræ Scripturæ mos.

ARTICULUS VI.

Utrum humana industria fieri possit, ut omnes homines in uno eodemque sermone conveniant.

801 Joan. Jac. Rousseau (2) non modo arbitratur, id fieri non posse, sed pro re quasi demonstrata habet, nullo modo linguas potuisse humana industria oriri, atque firmari. Contra vero D. de Maupertuis usque adeo certus erat id fieri posse, ut regulas constituerit, quibus ad unam linguam omnes homines revocari possent,

802 Videtur autem dicendum: I. cum Rousseau, quia linguæ ab hominibus institutæ non sunt; explicari enim nequit, quomodo homines signa conventionalia invenerint ad exprimendos proprios conceptus.

803 II. Dicendum videtur cum D. de Maupertuis, quia quemadmodum notæ quædam, & signa generalia inventa sunt pro Musica ad exprimendos pro quavis natione varios tonos, & consonantias; ita haud est difficile, ut similes notæ, & signa generalia reperiantur ad exprimendos proprios conceptus pro quavis natione.

Propositio. I. *Possibile absolute est, ut omnes homines ad unicum sermonem redigantur.* II. *Sed numquam id erit futurum humana industria.*

804 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (3). Voces significativæ sunt ex hominum institutione; non enim significant naturaliter, ut supra dictum est (4); neque ita una vox determinata est ad aliquid significandum (quemadmodum conceptus rerum) ut non possit aliquid aliud significare, si hominibus placeat. Fieri

(1) L. 16. de Civ. c. 4.

(2) Discours sur l' orig. & le fond. de l' inégalité p. 47. Edit. Amstel.

(3) 1. Perih. lect. 2. (4) §. 769.

ergo potest absolute, ut omnes homines in uno eodemque sermone conveniant (1); nihil enim repugnat, sermones varios ab hominibus institutos (2), ab hominibus etiam in unum redigi.

805 Prob. 2. p. Humana industria fieri nequit, ut causæ omnes removeantur, quibus tribuitur diversitas linguarum: nam si loquamur de diversitate quæ contigit in Babelica confusione, cum hæc prodigio contigerit, ut dictum est (3), ad eam omnino removendam humana industria certe non sufficit; nihil enim homo potest contra id quod evenit, Deo ita volente (4). Si autem de aliis causis sermo sit, quibus aliæ linguarum mutationes tribui solent, scilicet: 1. decursui temporum (5): 2. diversarum gentium, & populorum commixtioni: 3. ipsi regionum naturæ (6); hæ quo-

(1) Hoc intendisse videtur Alexander Magnus, qui imperium simul cum lingua Græca dilatare studuit. Hoc item intendere Romani, qui operam dederunt, ut S. Augustinus l. 19. de Civ. c. 7. scribit, *ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret.* Vide Carolum du-Fresne Præfat. Gloss. Mediæ, & infimæ Latin. n. 11.

(2) Videri potest sermonum varietas non ab hominibus profecta, propterea quod confusio linguarum, non homines, sed Deum habuit auctorem. Videri etiam posset, ipsos sermones, quiqui sint, Deo tribui debere, qui Adamo loquendi vim, & energiam tribuit. Sed quod ad Adamum pertinet cum Gen. 2. v. 19. dicatur Deus adduxisse ad Adamum universa animantia terræ, & volatilia cœli, *ut videret, quid vocaret ea*; ambigendum non est, quin Deus potestatem fecerit Adamo voces significativas instituendi. Quod vero spectat ad linguarum confusionem, etsi Deo speciali auctore illa contigerit; non fuit tamen sublata homini potestas, ut aliis atque aliis uti posset vocabulis ad eamdem rem significandam.

(3) Vide not. 1. pag. 406.

(4) Addimus, conjici posse, nec Deum umquam homines in hoc mundo degentes, ad unum eumdemque sermonem revocaturum. Nam si id umquam, fieri maxime congruebat tempore prædicationis Evangelicæ, cui tamen Deus providit non per unitatem linguæ, sed per donum linguarum, *ut sicut gentibus ad idololatriam declinantibus, introducta est diversitas linguarum, sicut dicitur Gen. 11. ita etiam quando erant gentes ad cultum unius Dei revocandæ contra hujusmodi diversitatem remedium adhiberetur per donum linguarum.* S. Thom. 2. 2. q. 176. a. 1. Vide Nazian. Orat. 44.

(5) Horatius in Arte:

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas.

(6) Joannes Bodinus in Methodo Hist. c. 9. » Mutationes linguarum,

que videntur tolli universim humana industria non posse. Casus igitur, & inanis illorum est labor, qui omnes homines ad unum eumdemque sermonem revocare student.

806 Ad primum dicimus, jam fuisse explicatum, qua ratione homines signa conventionalia, seu vocabula invenerint: nam Adamus primus fuit, qui vocabula invenit, eaque cum posteris suis communicavit usque ad Babelicam confusionem; deinde perseverante lingua Hebræa in Heberitidis ut dictum est (1), ex confusione linguarum unaquæque gens suum idioma habuit, exque earum linguarum commixtione & corruptione aliæ ortæ sunt linguæ (2).

807 Ad secundum dicendum, notas Musicas adhiberi ad denotandos tonos, sive elevationes, aut depressiones vocis, &

» *inquit*, tribus potissimum de causis (omitto eam, quæ est à Mose alla-» ta, quæ simul ac semel contigit) fieri consueverunt. Una est in ipso » decursu temporum, quibus non modo linguæ, sed etiam res omnes » immutantur, ac tota rerum natura senescit. Ita Polybius scribit, » anno minus quinquagesimo, quam ictum fœdus erat inter Pœnos, & » Romanos, verba fœderis quæ ipse antiqua vocat, vix legi potuis-» se..... Sic videmus paulatim omnes omnium populorum linguas ali-» ter atque aliter mutari. Altera causa est in coloniarum ac popula-» rum inter se ipsos confusione. Argumento sit Italia & Græcia, quæ » tot seculis puritatem Græci, ac Latini sermonis tenuerunt, totoque » terrarum orbe disseminarunt: postea quam Scythæ, & Gothi utram-» que invaserunt, tanta mutatio consequuta est, ut nec Latinum, nec » Attica, ubi nunc sunt, extitisse videantur..... Postrema linguæ mutan-» dæ causa in ipsa regionis natura versatur; proprium est enim om-» nium populorum qui magis inclinant ad Septentrionem, voces con-» sonantibus asperrime collisis, sine vocalibus, ex intimo pectore, & » crebras aspirationes efferre: idque propter summam spirituum vim, » & impetum caloris..... Australes vero, quibus temperatus est calor » & spiritus debilis, lenissime pronunciant." Accedit, quod unaquæque natio ita proprio idiomate delectatur, ut cuilibet alteri ipsum præferat. Joannes Goropius Beccanus: magno volumine edito originum Antuerpiensium, Cimbricæ, seu Belgicæ linguæ antiquitatem demonstrasse putat, illamque fuisse primi hominis vernaculam. Anglus Welsteadus scribit, linguam Anglicanam eo devenisse, ut sit incapax majoris perfectionis suscipiendæ. De Gallicæ linguæ præcellentia librum scripsit Henricus Stevensius. Qui ergo fieri poterit, ut hæ, aliæque similes nationes, quæ tam magnifice de suis sentiunt linguis, illas abjiciant, recipiantque novum loquendi genus?

(1) §. 789.

(2) Non negamus, homines numquam fuisse loquutos, nisi alios lo-

soni ; qua quidem in re , facile est , homines convenire (1). At vero sermones adhibentur ad exprimendos mentis conceptus: unaquæque autem natio sua habet vocabula ad suos conceptus exprimendos , quæ delere , & in unum eumdemque sermonem redigere , longe superat humanam industriam , ut dictum est (2).

QUÆSTIO XIX.

De imperfectione Vocabulorum.

808 Post consideratam vocabulorum originem , sequitur, ut eorum in significando perfectionem, atque imperfectionem investigemus. Quæremus autem : 1. an vocabula perfecte significent : 2. quænam sint causæ , cur imperfecte significent : 3. quæ sint hujus imperfectionis remedia.

---

quentes audissent , ut constat in surdis à nativitate ; sed tamen primus homo excipi debet , qui constitutus erat aliorum pater , & magister ; quique ut omnem scientiam à Deo infusam accepit , ut supra diximus §. 22. ita expeditam loquendi facultatem. Excipiendi sunt etiam homines illi in quibus contigit confusio linguarum ; nam in ipsis hæc confusio per miraculum facta fuit.

(1) Neque apud omnes nationes eædem fuere notæ musicæ ; nam apud Hebræos accentus designabant musicam , & cantus rationem. Apud Græcos litteræ communes adhibebantur pro notis musicis. Latini tempore Boëtii litteras etiam adhibebant. Postmodum inventæ sunt notulæ caudatæ , sed absque lineolis ; nam seculo nono labente obsoletus erat litterarum usus. Nonnisi autem undecimo Ecclesiæ seculo Guido Aretinus Monachus Ordinis S. Benedicti rhombos invenit , quibus in Musica utimur , addiditque lineolas. Nonnulli putant , notas à Guidone inventas , omnes fuisse ejusdem valoris , quousque Joannes de Meurs , sive de Muris Parisiensis Doctor anno 1330. diversitatem temporis in notis musicis per diversas earum figuras , signa , colligationes , ac virgulas expressit. Sed Mabillonius in Append. Tom. IV. Annal. Benedict. n. 7. ostendit ex codice Ratoldi , jam seculo nono inventas fuisse notulas caudatas , quales nunc etiam adhibentur in Musica , easque diversi valoris. Vide not. H. Menardi in l. Sacram. S. Gregorii M. Edit. Ven. ann. 1744. p. 334. Utut sit , etiam in hac parte viri eruditi ætatis nostræ non multum gloriari possunt de inventione supra doctos viros præteritorum seculorum , in quibus , ut ajunt , ignorantia , & barbaries dominabantur.

(2) §. 805.

ARTICULUS I.

Utrum vocabula perfecte significent.

809 Videtur ita dicendum : I. quia vocabula, ut dictum est (1) sunt signa arbitraria ad exprimendos proprios conceptus. Si ergo illos exprimunt, perfecte significant; assequuntur enim finem, propter quem sunt instituta.

810 II. Nisi vocabula perfecte significarent, actum esset de quocumque civili commercio; siquidem imperfectio vocabulorum in ambiguitate posita est; nihilque proinde certum esset in vitæ civilis usu, & consuetudine.

Propositio. I. *Vocabula perfecte significant, si determinate exprimant non solum conceptiones intellectus, sed etiam res ipsas conceptas* : II. *Sin minus significant imperfecte.*

811 Prob. 1. p. ex S. Thoma (2) Vocabula tunc perfecte significant, cum significant omne id, propter quod significandum sunt instituta. Atqui vocabula sunt instituta ad determinate significandas intellectus conceptiones immediate, & eis mediantibus res; cum enim dico v. g. triangulum, non solum exprimo determinatam conceptionem quæ in me est; quam quidem exprimerem quovis alio vocabulo; sed etiam determinatam rem per illud vocabulum significatam. Si igitur vocabula determinate significent & conceptiones, & res perfecte significant (3). Atque hinc patet probatio 2. partis.

(1) §. 804. (2) 1. Perih. lect. 2.

(3) Lockius Essai &c. l. 3. c. 9. docet, vocabulorum duplicem esse usum, alterum redigendi in ordinem, alterum communicandi cum aliis nostras cogitationes. Deinde addit, vocabula quoad priorem usum, numquam esse imperfecta, quippe homo potest uti quolibet vocabulo ad designandam sibi quamlibet ideam. Sed primum fallitur; nam ut advertit S. Thom. 1. Perih. lect. 2. *Si homo esset naturaliter animal solitarium, sufficerent sibi animæ passiones, quibus ipsis rebus conformaretur, ut earum notitiam in se haberet.* Itaque relate ad nos ipsos non indigemus vocabulis. Certe surdi à nativitate nulla vocabula noscunt, ut Lockius ipse fatetur ib. §. 5. & nihilominus plures habent cogitationes per ideas quas sibi designant sine vocabulorum subsidio. Falli-

812 Ad primum dicimus, vocabula adhiberi etiam ad significandas res conceptas; quia nisi determinate illas exprimant, sunt indeterminata, adeoque imperfecta.

813 Ad secundum respondemus, sufficere ad civile commercium, ut vocabula accipiatur pro eo quod communiter homines intendunt in communi vitæ consuetudine, ad quam relata vocabula possunt perfecte significare, quia determinate significant id, quod homines intendunt invicem sibi communicare pro civili usu (1).

ARTICULUS II.

Utrum recte asignentur causæ imperfectionis vocabulorum.

814 Joannes Lockius (2) quatuor assignat causas: 1. cum ideæ per vocabula significatæ, sunt maxime complexæ (3): 2. cum eædem ideæ colligationem naturalem non habent inter se (4): 3. cum significatio vocabuli refertur ad rem quæ facile cog-

---

tur item, cum ait, vocabula relata ad nos ipsos, numquam esse imperfecta; nam licet homo possit uti quolibet vocabulo, imo quolibet signo ad designandam sibi quamcumque rem; si tamen illam perfecte designat, oportet, ut signum adhibeat, quo illa determinate significetur. Quod si adhibeat signum minus determinate significans, res illa erit minus perfecte designata.

(1) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 14.

(2) Essai &c. l. 3. c. 9.

(3) » Lorsque les idées que les mots signifient, sont extrêmement » complexes, & composées d' un grand nombre d' idées jointes ensem» ble. " *Cum ideæ quas verba significant, sunt maxime complexæ, & compositæ ex magno idearum numero simul conjunctarum.* Quis intelliget hujusmodi ideas supra modum complexas, & compositas? Nam quod una idea, seu potius unicus conceptus, duplici, aut triplici conceptu componi possit, facile intelligitur; quod vero magno idearum numero componatur, ne unum quidem exemplum Lockius adfert. Proponit quidem *modos mixtos*: verum ecqui sunt hi modi mixti tam magno numero idearum compositi? Inter modos mixtos ib. §. 7. recenset *homicidium*, & *sacrilegium*. Sed idea homicidii duplici duntaxat idea componitur, hominis nempe, & cædis. Idea vero sacrilegii ad summum triplici idea componitur, scilicet, violationis rei sacræ.

(4) » Lorsque les idées que ces mots signifient, n' ont point de

nosci non potest (1): 4. cum vocabuli significatio, & essentia realis rei non sunt omnino eædem (2).

815 Videntur autem hæ esse causæ imperfectionis vocabulorum: I. quia non alia reddi potest ratio, cur nomina modorum mixtorum sint, magna ex parte, obscura, & incerta, nisi quia eorum ideæ sunt maxime complexæ. Ergo recte assignatur prima causa.

816 II. Plures ideæ sunt, quas mens pro libito simul conjungit referendo ad archetypos, quos mens ipsa formavit. Sed tunc nomina illas significantia, sunt dubiæ significationis, quia nullus ipsis in natura respondet archetypus. Ergo recte assignatur secunda causa.

817 III. Nomina quibus substantias significamus, referuntur ad archetypos prorsus ignotos. Igitur ambigua est illorum significatio, & recte assignatur tertia causa.

818 IV. Nomina modorum simplicium ideo sunt minus incerta, quia ad nullam aliam essentiam referuntur, quam ad perceptionem, quam res producunt in nobis, & nomina ipsa significant. Ergo econtra si nomina ad aliam essentiam referantur, quæ non sit eadem cum eorum significatione, incerta erunt, & imperfecta.

Propositio. *Omnis imperfectio vocabulorum in æquivocatione posita est.*

819 Prob. Vocabula imperfecte significant, si minus determinate significent intellectus conceptiones, & res concep-

» liasion naturelle les unes avec les autres, desorte qu' il n' y à dans » la nature aucune mesure fixe, ni aucun modéle pour les rectifier, » & les combiner. " *Cum ideæ quas verba significant, colligationem naturalem invicem non habent, ita ut nulla in natura sit certa regula, aut exemplar illas rectificandi, comparandique.* Quasi vero vocabula ideas significantia, habere possint, ut ipsæ ideæ, naturalem colligationem inter se, nec significent ad placitum.

(1) » Lorsque la signification d' un mot se rapporte à un modele, » qu' il n' est pas aisé de conoître. " *Cum verbi significatio refertur ad exemplar, quod non ita facile cognosci potest.*

(2) » Lorsque la signification d' un mot, & l' essence réelle de la » chose, ne sont pas exactement les mêmes. " *Cum verbi significatio, & essentia realis rei non sunt omnino eædem.* Qui fieri potest, ut essentia realis rei, quæ natura ipsa est talis, sit omnino eadem cum significatione vocabuli, quæ pendet ex hominis arbitrio?

tas, ut supra dictum est (1). Sed cum vocabula sunt æquivoca, non significant determinate intellectus conceptiones, & res conceptas, alioqui non essent æquivoca; hæc enim multa indeterminate significant (2). Sane æquivocatio facit, ut significatio vocabuli non eodem modo accipiatur ab eo qui loquitur, & ab eo, qui audit. Omnis ergo imperfectio vocabulorum in æquivocatione posita est.

820 Ad primum dicimus, nomina modorum mixtorum, nisi sint æquivoca, clara esse, & certa. Lockius Essai &c. l. 2. c. 22. in modis mixtis habet amicitiam, mendacium, homicidium, sacrilegium. Quis autem linguæ latinæ gnarus, hæc nomina audiens, non statim clare, & certo cognoscit quid per illa significetur (3)?

---

(1) §. 811. (2) Vide quæ diximus §. 587.

(3) Inter nomina idearum maxime complexarum Lockius loc. cit. §. 6. reponit magnam partem terminorum moralium. Et ib. §. 9. subdit » Pour ce qui est des modes mixtes, & sur-tout les plus impor» tans, je veux dire ceux qui expriment des idées de Morale, d' ordi» naire les enfans aprennent primierement les sons : & pour savoir » ensuite quelles idées complexes sont signifiées par ces sons-là, ou ils » sont redevables à des autres qui les leur expliquent, ou (ce qui » arrive le plus souvent) on s'en remet à leur sagacité, & à leurs pro» pres observations. Et comme ils ne s' appliquent pas beaucoup à re» chercher la véritable & precise significations des noms, il arrive que » ces termes de Morale ne sont guére autre chose que de simples sons » de la plupart de hommes " *Quod pertinet ad modos mixtos, potissimumque illos qui majoris momenti sunt, qui scilicet exprimunt ideas scientiæ Moralis, infantes plerumque nonnisi illorum sonos principio apprehendunt : ut autem deinde sciant, quænam ideæ complexæ per hujusmodi sonos significentur, aut ab aliis debent eorum significationem explicatam accipere, aut (quod evenire frequentius solet) eorum id sagacitati, atque observationibus relinquitur. Et quoniam ipsi animum non admodum intendunt ad inquirendam veram, & præcissam nominum significationem; evenit, ut morales termini non aliud sæpe sint, quam simplices plerorumque hominum soni,* Paullo post exemplum ponit in *un entretien familier sur l' honneur, la Foi, la Grace, la Religion l' Eglise &c, où il ne soit pas facile de remarquer les diferentes notions que les hommes ont de ces choses.* Scilicet, *in familiari colloquio de honore, de Fide, de Gratia, de Religione, de Ecclesia, &c. in quo notare facile non sit notiones diversas, quas de hisce rebus homines habent.* Quis dubitet, quin Lockius vel non fuerit passus, vel omnino exuerit infantiæ suæ præjudicia? Sed velim dicat, an saltem à serie nominum modorum moralium excipiat nomina, quibus expri-

821 Ad secundum respondemus neg. min. nam si quidem nomina illa determinate significent ideas, sive conceptus, quos mens formavit, etiamsi non referantur ad archetypos extra animam, non sunt dubiæ significationis; significant enim aliquid determinatum. Neque necesse est ad certam significationem, ut respondeat archetypus in natura; alioqui omnis conceptus universalis esset incertæ significationis, cum nulli conceptui universali respondeat archetypus in natura; adeoque omnia principia, & theoremata mathematica, quæ universalia sunt, essent incerta.

822 Ad tertium neg. ant. nam essentia substantiæ licet in seipsa ignota sit, nihilominus innotescit ex proprietatibus, ut sūpra dictum est (1). Quare nomina substantiarum non referuntur ad archetypos prorsus ignotos (2).

---

muntur prima principia juris naturæ. Si hæc excipiat, jam falsum est quod universim statuit de hujusmodi nominibus, quod in majori hominum parte nihil aliud sint, quam simplices soni. Si autem nec illa excipiat, consequitur in majori hominum parte nomina exprimentia notiones principiorum juris naturæ nihil aliud esse præter sonos; neque proinde hujusmodi principia comperta esse majori hominum parti. Quis præterea affirmare poterit, nomina justitiæ, temperantiæ fortitudinis, prudentiæ, modestiæ, frugalitatis, obedientiæ &c. nihil aliud in plerisque hominibus esse quam simplices sonos? Et tamen hæc nomina moralia sunt. Exemplum quod Lockius ponit, nihil probat; non enim de iis loquimur, qui nominibus abutuntur, sed de iis, qui ea accipiunt prout accipienda sunt ex communi hominum usu; aut ex Ecclesiæ sensu: si nomina ad doctrinam revelatam pertinent. Si ad hæc homines attenderent, nulla esset inter ipsos dissensio in acceptione nominum honoris, Fidei, Gratiæ, Religionis, Ecclesiæ. Quod ergo provenit ex malitia hominum nominibus abutentium, id Lockius refert ad causam imperfectionis vocabulorum. Non negamus in materia morum multa esse probabilia, adeoque minus certa. Sed id non provenit ex natura vocabulorum, sed ex eorum applicatione ad peculiares casus; v. g. nomen justitiæ certam significationem habet, virtutis nempe reddentis unicuique quod suum est; an vero hæc notio justitiæ in hoc vel illo contractu locum habeat, id est, quod aliquando non constat, sive non semper constat, an notio, & nomen justi huic, vel illi contractui conveniat. Hujusmodi autem applicatio non fit per simplicem perceptionem, sed per judicium, & ratiocinationem. Hæc Lockius confundit; cumque lucem in res occultas proferre putat, rebus clarissimis obducit tenebras.

(1) §. 582.

(2) Ut Lockius probet, nomina substantiarum esse maxime incer-

823 Ad quartum dicimus, nomina modorum simplicium, si quid valeret Lockii ratio, debere esse non solum minus incerta, sed etiam omnino certa; cum enim referrentur ad perceptiones, quas res producerent in nobis; perceptiones essent certæ ut res producentes illas; adeoque & ipsa nomina modorum simplicium certa semper essent. Quod ergo hæc nomina minus incerta sint, provenit ex eo, quia ut plurimum conceptiones, & res determinatas significant.

---

ta, utitur loc. cit. §. 17. exemplo substantiæ quam vocamus *aurum* in qua alius quidem colorem, & pondus, alius figuram, alius fusibilitatem, alius ductibilitatem &c. considerat. Quid hæc ad nomen substantiæ auri? Anne hoc nomen diversum erit, propterea quod diversi diversas proprietates in auro agnoscunt? Id ad summum inferri potest, notionem essentiæ auri non satis constare. Ex quo autem hæc notio non satis constet, quis colliget nomen *aurum* esse incertum? Ipse Lockius ib. §. 18. docet nomina idearum simplicium esse minus incerta. » Blanc, doux, jaune, amer, sont des mots dont le sens se » présente si naturellement, que quiconque l' ignore & veut s' en instrui» re, le comprend assi-tôt d' une maniere précise, ou l' apperçoit sans » beaucoup de peine. " *Album, dulce, flavum, amarum, verba sunt, quorum sensus ita naturaliter se exhibet, ut quicumque ea ignorat, deque eis informari cupit, statim ea præcise comprehendat, aut sine multo percipiat labore.* Amabo te, mi Locki, edissere, an notiones essentiarum coloris albi, & cærulei, aut saporis dulcis, & amari, satis constent. Si satis constare dicas, cur adhuc Philosophi his de rebus disputant? Si autem non satis constant, cur nomina exprimentia has postremas notiones minus incerta ponis, & nomen exprimens substantiam *auri* statuis esse incertum? Anne album à cæruleo, dulce ab amaro tam facile discernuntur, quam *aurum* ab argento? aut qui audit nomen *auri* minus certe distinguit *aurum* ab argento, quam ille qui audit nomen albi distinguit album à cæruleo? Fatemur tamen, substantias quandoque denominari ex earum proprietatibus, & operationibus, ex quibus cognoscuntur; alia vero quæ nobis nota sunt per seipsa, ab aliis non denominari. *Sicut enim*, inquit S. Thomas 1. p. q. 13. a. 8. *substantiam rei ex proprietatibus, vel operationibus ejus cognoscimus; ita substantiam rei denominamus quandoque ab aliqua ejus operatione.... Si qua vero sunt, quæ secundum se sunt nota nobis, ut calor, frigus, albedo, & hujusmodi, non ab aliis denominantur.* Quo ex principio infert, Deum à nobis ex operationibus, vel effectibus denominari, eo quod non sit nobis notus in sua natura. Vide Nazianzenum Orat. 36.

ARTICULUS III.

Utrum adhiberi possit remedium imperfectioni vocabulorum.

824 Videtur nullum posse adhiberi remedium : I. quia si quod foret remedium, esset sane certa determinatio significationis vocabulorum; hæc autem determinatio fieri non posset, nisi per alia vocabula, quorum rursus significatio determinari deberet per alia vocabula, & ita porro in infinitum : quod est absurdum.

825 II. Vocabula sunt ex hominum institutione ut supra dictum est (1). Ergo ex origine sunt imperfecta. Imperfectioni autem ex origine frustra adhibetur remedium.

Propositio. *Definitio nominis* (2) *est remedium imperfectionis vocabulorum.*

826 Prob. Imperfectio vocabulorum in æquivocatione posita est, ut supra diximus (3). Per id ergo adhibetur remedium imperfectioni vocabulorum, per quod tollitur æquivocatio. Hæc autem tollitur per definitionem nominis; cum enim definitur nomen, intelligitur quid per nomen significatur; sic autem significatio nominis quæ pluribus rebus applicari poterat, determinatur ad unum, & tollitur æquivocatio (4). Definitio igitur nominis est remedium imperfectionis vocabulorum.

---

(1) § 811.

(2) Definitionem nominis non hîc accipimus pro nominis interpretatione ex etymologia, sed pro ea, quæ explicat quid per nomen significatur. V. g. cum ajo, homo dicitur ab humo, est definitio nominis ex etymologia : cum autem dico : per nomen *homo* intelligo animal ratione præditum, est definitio nominis explicans quid significat hoc nomen *homo*. *Aliud, est*, inquit, S. Thomas 1. Perih. lect. 4. *id à quo imponitur nomen ad significandum, ab eo quod nomen significat; sicut hoc nomen lapis imponitur à læsione pedis, quam non significat, quod tamen imponitur ad significandum conceptum cujusdam rei.*

(3) §. 819.

(4) Hinc S. Thomas docet, definitionem nominis principio tradendam esse, cum de quacumque re agimus (nisi forte significatio nominis sit adeo comperta, ut de ipsa minime sit laborandum) ita enim

827 Ad primum dicimus, satis esse, ut in definitione nominum deveniamus ad vocabula, quæ determinate significant; ita enim & tollitur æquivocatio, & vitatur processus in infinitum.

828 Ad secundum respondemus, imperfectionem vocabulorum tolli omnino non posse, non quod vocabula sunt ex institutione humana; plura enim sunt vocabula quæ licet ab hominibus instituta, perfecte significant; sed quod ab hominibus adhibentur, qui multoties sicut res confuse cognoscunt, ita non valent illas verbis perspicue significare (1); vel si res

---

tollitur omnis æquivocatio. Cujus rei hanc rationem reddit 1. Poster. lect. 2. *Antequam sciatur de aliquo, an sit, non potest sciri proprie de eo quid sit; non entium enim non sunt definitiones. Sed non potest ostendi de aliquo, an sit, nisi prius intelligatur, quid significatur per nomen.* Quare Cicero Orat. 116. ait: *Nisi inter eos qui disceptent, convenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec recte disseri, nec umquam ad exitum perveniri potest.* Ex quibus consequitur 1. definitionem nominis principio statuendam esse, ut constet existentia rei, de qua quærimus. 2. non esse de solis nominibus quæstiones instituendas: nam definitio nominis principio constare debet; & idcirco S. Thomas. 1. p. q. 54. a. 4. ad 2. & in 2. d. 3. q. 1. a. 1. ait: *Sapientis est non curare de nominibus.* 3. definitionem nominis habendam esse loco principii. 4. rationem quæ per nomen significatur esse, ipsam definitionem rei, ut observat S. Thomas 1. p. q. 13. a. 8. ad 2. & 4. Metaph. lect. 16. Neque propterea confundimus definitionem rei cum definitione nominis, ut perperam ait Auctor Artis cogit. p. 1. c. 12. aliud enim est significatio nominis, aliud ratio per nomen significata.

(1) Lockius cum toto cit. c. 9. l. 3. prolixe egerit de imperfectione vocabulorum, tum §. 22. agens de vocabulis ad Religionem, ad jus, & ad mores spectantibus, ait: » Dans les discours de Religion, » de Droit, & de Morale, où les matiéres sont d' une plus haute im» portance, on y trouvera aussi de plus grandes difficultés.“ *In sermonibus de Religione, de Jure, de Morali, in quibus materiæ gravioris momenti sunt, majores difficultates ocurrent.* Itanne vero obscurus, & indeterminatus est verborum sensus, cum agitur de Religione, de jure, de rebus moralibus, ut quamvis hæc gravioris sint momenti, majores tamen occurrant difficultates; ne ipsis quidem exceptis notionibus, ac nominibus, (nam Lockius illa non excipit) quæ Religionis, ac Juris fundamenti loco sunt? Atqui si tale est pondus difficultatum in vocibus ac rebus ad Religionem, ad jus, ad mores spectantibus; quid erit reliquum, quam ut nulla pene sit spes raciocinationis de hisce rebus instituendæ, cujus clarus sit, ac determinatus sensus? scilicet, ob vocabulorum imperfectionem nihil poterit certe, &

plane cognoscunt, & verbis explicant, non semper intelligun-

perspicue demonstrari de Religione, de jure, de rebus moralibus. Hæc proinde omnia ad summum probabilia erunt, adeoque incerta.

Sed pergit Lockius, & postremo §. 23. cit. c. quod dixerat, extendit ad doctrinam revelatam. » Le grand nombre de Commentaires qu' » on a faits sur le Vieux, & sur le Nouveau Testament, en sont des » preuves bien sensibles. *Ingens Commentariorum numerus super Vetus, & Novum Testamentum hujus rei sunt probationes valde sensibiles.* Quod plures Commentarii confecti sint utriusque Testamenti, id probat quidem sacram Divini sermonis obscuritatem, ad superbiam edomandam, & ad meritum Fidei. Vide S. Augustinum l. 2. de Doct. Christ. c. 6. Sed nullatenus probat, singula verba Sacræ Sripturæ obscura esse, & ambigua. Vix autem intelligi potest, quomodo Lokius è Protestantium grege, qui Calvinum sequuti l. 1. Inst. c. 7. §. 2. Scripturam Sacram sole meridiano clariorem putant, pronunciet, illam esse tenebris involutam. Persequitur Lockius: » Quoique tout ce qui est con- » tenu dans le Texte soit infalliblement vèritable, le Lecteur peut fort » bien se tromper dans la maniére dont il l' explique, plutôt il ne » sauroit éviter de tomber sur cela dans quelque méprise," *Quamvis illud omne quod in Textu continetur, sit infallibiliter verum; nihilominus Lector facile decipi potest in modo explicandi; imo facere non potest, quin in aliquem ruat errorem.* Quid refert, infallibiliter verum esse quod continetur in Textu, si lector facere non potest, quin in aliquem cadat errorem? Res quælibet naturalis in seipsa infallibiliter vera est: anne erit infallibiliter nobis certa, si ejus veritatem adsequi nequeamus? Si autem lector Sacri Textus facere non potest, quin in aliquem cadat errorem; igitur ea omnia quæ in Sacro Texru continentur, utut infallibiliter in seipsis vera, Lectori infallibiliter vera non sunt. Nemo igitur erit infallibiter certus doctrinæ revelatæ; non enim sufficit, ut doctrina revelata, sit infallibilis in seipsa, sed requiritur insuper, ut infallibiliter teneatur; quod esse non potest, si lector Sacri Textus cavere nequit, ne cadat in aliquem errorem: nam saltem dubitare poterit, utrum erraverit; ideoque numquam erit infallibiliter certus doctrinæ revelatæ. En quò deveniunt, qui aspernantes Ecclesiæ Magisterium, propriæque rationi fidentes, Philosophi videri volunt. Nam licet in Sacrarum Scripturarum interpretatione falli quisque possit etiam circa dogmata Fidei, nisi Ecclesiæ docenti acquiescat; numquam tamen falli potest, si Ecclesiæ eidem tamquam firmissimæ veritatis columnæ innitatur. *Quisquis*, inquit S. Augustinus l. 1. con. Crescon. c. 33. *falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate Scriptura Sacra demonstrat.*

Vide autem quid ex præmissis Lockius inferat: » Puis donc que » les préceptes de la Religion naturelle sont clairs & tout-à-fait pro-

tur ob tarditatem eorum qui audiunt. Nihilominus mederi huic incommodo potest eo, quem diximus, modo.

QUÆSTIO XX.

De usu, & abusu vocabulorum.

829 Hac in re tria etiam quæremus, quibusnam vocabulis sit utendum. 2. quinam sint præcipui vocabulorum abusus. 3. quæ regulæ sint servandæ, ne vocabulis abutamur.

ARTICULUS I.

Utrum significatio vocabulorum accipienda sit ab eo quod communiter homines intendunt.

830 Videtur negandum I. quia alius est usus civilis vo-

» portionnés à l' intelligence du Gente-humain, qu' ils ont rarement été » mis en question." (Quis hæc intelliget, si ea comparet cum iis quæ Lockius paulo ante dixerat de maximis difficultatibus quæ obrepunt *dans les discours de Religion, de Droit, & de Morale*? nam præcepta Religionis naturalis hæc complectuntur) » & que d' ailleurs les autres » Verités révélées qui nous sont instillées par de Livres, & par le mo- » yen des langues, sont sujettes aux obscurités, & aux difficultés qui » sont ordinaires, & comme naturellement attachées aux mots, ce se- » roit, ce me semble, chose bienséante aux hommes de s' appliquer avec » plus de soin, & d' exactitude à l' observation des Loix naturelles, & » d'être moins impérieux & moins décisifs à imposer aux autres le sens » qu' ils donnent auz Vérités que la Révélation nous propose." *Quoniam igitur præcepta Religionis naturalis clara sunt, & omnino proportionata intelligentiæ humani generis, ac raro in quæstionem vocata; è contra vero reliquæ veritates revelatæ, quæ nobis instillatæ sunt per libros, & mediis linguis, subjacent obscuritatibus, & difficultatibus, quæ ordinariæ sunt, & veluti naturaliter sunt vocabulis adnexæ; convenientius, ut arbitror, foret hominibus, majori sese applicare cura, ac diligentia observationi legum naturalium, minusque superbe, & audacter aliis imponere sensus, quos ipsi præbent Veritatibus revelatis.* Quò hæc tendant, quisque percipit; ad suadendum, scilicet, oportere, ut Religioni naturali, & naturalibus legibus magis adhæreamus, quam Veritatibus revelatis, hoc est, Religioni naturali magis, quam revelatæ; quoniam hæc obscuritatibus, & difficultatibus undique premitur, illa vero omni obscuritate, ac difficultate vacat. Quæ autem, si non hæc, brevior. & compendiosior erit ad Deismum, & Naturalismum via?

cabulorum, alius philosophicus. Sed significatio vocabulorum, prout, homines communiter intendunt, pertinet ad usum civilem, non philosophicum. Non ergo significatio vocabulorum semper accipienda est ab eo quod communiter homines intendunt.

831 II. Ut Cicero ait (1): *Nihil est incertius vulgo.* Sed quod communiter homines intendunt, nititur judicio vulgi. Nihil esset ergo incertius significatione vocabulorum, si hæc accipi deberet ab eo quod homines communiter intendunt.

Propositio. *In civili societate, & in omni facultate vocabulis est utendum, quibus homines ejusdem societatis, & facultatis communiter utuntur.*

832 Ita S. Thomas (2). Prob. Vocabula, ut supra diximus (3) instituta sunt, ut per ea communicare possimus cum aliis conceptiones intellectus nostri (4). Ut ergo tam in civili societate, quam in omni facultate rectus sit usus vocabulorum iis vocabulis uti debemus, quibus conceptiones nostras cum aliis ejusdem societatis, & facultatis communicemus. Atqui tam in civili societate (5), quam in omni facultate (6) sunt certa vocabula quæ communiter adhibentur ab ejusdem societatis, & facultatis hominibus ad significandum certas res (7). Iis ergo est

(1) L. 2. de Orat.

(2) 1. Poster. lect. 14. *Significatio nominum*, inquit, *accipienda est ab eo quod communiter homines intendunt.*

(3) §. 811.

(4) Vide S. Basilium Hom. in illud, *Attende tibi ipsi*, ita scribentem: *Qui nos condidit Deus, ideo impertivit nobis sermonis usum, ut alter alteri cordis consilia aperiamus, eaque unusquisque propter naturæ societatem communicemus cum proximo, ex abditis cordis recessibus velut ex cellis quibusdam penariis depromentes. Etenim si constaremus anima nuda, statim certe cogitationum ope inter nos congrederemur. Quia vero anima nostra carnis tegumento operta, cogitationes producit, verbis opus habet, & nominibus, ut ea quæ in reconditiore mentis secessu delitescunt, proferat in apertum.*"

(5) Vide S. August. l. 22. con. Faust. c. 18.

(6) Vide Ciceronis verba 3. Fin. relata supra not. *agens Lockius* §. 560.

(7) Quonian diversæ fuerunt hominum societates, diversæ quoque singularum facultatum veluti ætates; idcirco in determinanda significatione vocabulorum, quæ in libris Scriptorum præsertim veterum usurpata sunt, habenda est ratio ætatis eorumdem Scriptorum; nec vocabulis illis est utendum, nisi eo sensu, quo usurpata fuerunt ab iisdem Scriptoribus. Sed hac de re infra, cum Interpretatione agemus.

utendum vacabulis tam in civili societate (1), quam in quavis facultate (2).

833 Ad primum dicimus, significationem vocabulorum pertinere ad usum civilem, & ad philosophicum, prout homines communiter intendunt vocabulis significare certas res vel pro communi consuetudine, & commoditatibus vitæ socialis, vel pro notionibus exprimendis ad scientias philosophicas pertinentibus (3). Hæc autem philosophica vocabula accipienda sunt, prout docti Philosophi illa accipiunt.

---

(1) Quare qui in civili societate vocabulis uteretur ad significandum aliquid aliud, ad quod significandum communiter non adhibentur, mentiretur. Verum hac de re alias. Interea confer Card. Orsium Ord. Præd. in Dissert. adversus usum materialem verborum.

(2) Hinc patet, immerito ab junioribus Philosophis Scholasticos argui quod vocabulis obscuris, nihilque significantibus utantur. Habent enim & Scholæ vocabula illis incognita, usitata sibi. Juniores ipsi Philosophi voces plurimas habent aliis incognitas, *naturam genitricem*, *principium Hylarchicon*, *spiritum plasticum*, *vires mortuas*, & *vivas*; *vires centrifugas*, *centripetas*, *centrales*; & plerasque alias voces, quarum ne ipsi quidem perfectam habent significationem; non enim de illa inter sese conveniunt. Quid ergo Scholasticis exprobant vocabula *naturæ universalis*, *animalitatis*, *præcisionis objectivæ*, *hæccitatis*, *quidditatis*, *formaliter*, *materialiter*? Eruntne indulgenda novis Philosophis nova vocabula obscura, propterea quod nova sunt; culpandi erunt Scholastici, quod vetera vocabula retineant, quæ si aliis obscura, ipsis tamen Scholasticis clara sunt? Quod autem mirum: iidem recentes Philosophi eadem vocabula quæ in Scholasticis despiciunt, inviti coguntur adhibere, cum accurate de aliqua re tractare volunt. Vide Genuensem Metaph. p. 1. c. 7. §. 62. edit. an. 1751. ubi hanc propositionem statuit: *Data substantia formaliter in immensum undequaque extensa, nullæ sunt possibiles aliæ substantiæ formaliter extensæ.* Si *Tò formaliter* vox obscura est, cur aliam clariorem non usurpavit?

(3) Non enim assentimur Lockio qui Essai &c. l. 3. c. 9. §. 3. ait: » Par l' *usage philosophique* des mots j' entens l' usage qu' on en doit » faire pour donner des notions précises des choses, & pour exprimer en propositions générales des vérités certaines & indubitables » sur les-quelles l' esprit peut s' appuyer, & dont il peut être satisfait » dans la recherche de la vérité.« *Per philosophicum verborum usum intelligo usum, qui fieri de illis debet ad præbendas præcisas rerum notiones, atque ad exprimendum per generales propositiones veritates certas, & indubias, quibus niti spiritus potest, sibique facere satis in veritatis inquisitione.* Nam primum scire certum velim, an voca-

834 Ad secundum respondemus, Ciceronis effatum non de vocabulis, sed de sententiis esse accipiendum; vel si de vocabulis sit intelligendum, id solum probat, plebem constituì non debere arbitram significationis vocabulorum.

ARTICULUS II.

Utrum determinati sint vocabulorum abusus.

835 Lockius (1), & qui ipsum sequitur Genuensis (2), vocabulorum abusus recensent 1. cum vocabula adhibentur, quibus nulla idea clara, & distincta respondet, multoque magis, si nulla prorsus idea sit illis affixa (3). 2. cum vocabula

---

bula, quibus in laudato Opere Lockius utitur, ejusmodi sint, quæ exprimant præcisas notiones rerum, exque illis conficiantur propositiones generales veritatum exploratarum, atque omnis dubietatis expertium, quibus inniti mens possit, assentarique in veritatis inquisitione. Si Lockius affirmet, jam universæ propositiones eo opere complexæ, habendæ erunt axiomatum vel propositionum demonstratarum loco; nam quid aliud axiomata & demonstratæ propositiones sunt, quam propositiones generales veritatum exploratarum, & omnis dubietatis expertium, quibus in veritate inquirenda mens nititur? Quis autem ita desipiet, ut hæc sibi persuadeat? Si autem neget Lockius, vocabula quæ adhibet esse hujus generis, consequitur, ab se in opere philosophico non philosophica vocabula fuisse adhibita; eodemque in loco, ubi de abusu vocabulorum leges ferebat, male vocabulis fuisse usum. Deinde quotusquisque erit, qui in dubium vertat, *philosophicum* esse usum vocabulorum, cum in Philosophia vocabulis utimur ad conficiendas propositiones probabiles? In hoc autem usu ecquæ sunt notiones rerum præcisæ? ecquæ propositiones generales veritatum certarum, & omnis dubietatis expertium? quæ si forent, non probabiles propositiones essent, sed demonstratæ. Postremo cum ex ejusdem Lockii principiis, nomina substantiarum, & modorum mixtorum sint imperfecta, numquam ejusmodi nomina in usum philosophicum venire possent, propterea quod numquam possent exprimere præcisas rerum notiones. Et cum modi morales ex eodem Lockio maxime sint imperfecti, Ethica, & Politica, quæ totæ in illis sunt, numerandæ amplius non essent in partibus Philosophiæ.

(1) Essai &c. l. 3. c. 10. (2) Art. Log. Crit. l. 2. c. 13.

(3) Lockius loc. cit. §. 2. » Le premier & le plus visible abus qu'on » commet en ce point, c'est qu'on se fert de mots auxquels on n' at» tache aucune idée claire & distincte, ou, qui pis est, qu' on établit

non semper eodem modo, neque eodem sensu adhibentur (1). 3. cum in vocabulis quibus utimur, adhibemus affectatam quan-

» signes, sans leur faire signifier aucune chose." *Primus, & apertior hac in re abusus est, quod verba adhibeantur, quibus nulla est adnexa idea clara, & distincta, aut, quod pejus est, statuantur signa, quæ nihil significant.* Quod vocabulis abutantur qui signa nihil significantia constituunt; nemo est qui neget; agunt enim contra finem institutionemque vocabulorum. Sed quod ejusdem defectus accusandi etiam sint quotquot vocabula adhibent, cum quibus nulla est conjuncta idea clara, & distincta, id vehementer negamus. Nam si ita res haberet, cum infinitæ propemodum sint res, quarum ideam claram & distinctam acquirere imbecillitas mentis nostræ non sinit; iis rebus significandis nulla possemus affingere vocabula, quin loquendi facultate abuteremur. Quis autem dicet, illum facultate loquendi abuti, qui ideas vocibus exprimit, prout habet in mente, claras quidem & distinctas, clare & distincte; obscuras autem & confusas, obscure & confuse?

(1) Ibid. §. 3. » Un autre grand abus qu'on commet en cette ren» contre, c' est l' usage inconstant qu' on fait des mots." *Alter mag» nus abusus, quo hac in re peccatur, est varius, & inconstans verborum usus.* Hunc abusum ita communem esse inter ipsos doctos homines, pronunciat Lockius, ut scribat: » Il est difficile, de trouver » un discours écrit sur quelque sujet, & particuliérement de Controverse, » ou celui qui voudra le lire avec attention, ne s' apperçoive que les » mêmes mots, & pour l' ordinaire ceux qui sont les plus essentiels » dans le discours, & sur lesquels roule le fort de la question, y sont » employés en divers sens, tantôt pour désigner une certaine collec» tion d' idées simples, & tantôt pour en designer une autre." *Difficile est, sermonem invenire quacumque de re litteris mandatum, potissimumque de Controversiis, in quo siquis attente legat, non animadvertat, eadem verba, ac sæpius illa, quæ præcipua in sermone sunt, & circa quæ cardo quæstionis versatur, diversis sensibus adhiberi, aliquando ad designandam certam collectionem idearum simplicium, aliquando ad aliam quandam designandam.* Genuensis loc. cit. §. 7. censuit excipiendos esse Mathematicos. Si hos censores audiamus, nemo fere umquam sapiens fuit, qui non hoc sit notandus abusu. An ipsi etiam Canonici Scriptores, Ecclesiæque Patres? Certe illi non excipiunt. Dixissent saltem, quandoque idem vocabulum adhiberi posse ad diversa significanda, quia etsi nomen sit idem, determinatur tamen ab adjunctis ad significationes diversas. Genuensis addit, hunc inconstantem vocabulorum usum provenire quandoque ex paucitate vocabulorum, quandoque ex imperitia. Sed in primo casu non video qui sit abusus. Abuti enim dicitur qui non recte, hoc est, male utitur. Male autem uti non est dicendus qui non potest aliter uti ob vocabulorum penuriam. In altero autem casu si quis est abusus, certe in viros

dam obscuritatem (1). 4. cum vocabula accipiuntur pro rebus (2).

---

doctos non cadit, alioqui docti non essent. Cur ergo Genuensis statuit: *Difficile est, si Mathematicos exceperis, Scriptorem reperire, qui constanter vocabula cum definitis notionibus usurpet?* An forte Genuensis putavit, nullum præter Mathematicos esse Scriptorem revera doctum?

(1) Loc. cit. §. 6. » Un troisième abus qu'on fait du langage, c'est » une obscurité affectée, soit en donnant à des termes d'usage des sig- » nifications nouvelles & inusitées, soit en introduisant des termes » nouveaux & ambigus sans définir ni les uns nes autres, ou bien en » les joignant ensemble d'une maniére qui confonde le sens qu'ils ont » ordinairement." *Tertius sermonis abusus est obscuritas affectata, sive cum attribuuntur terminis usitatis novæ, & inusitatæ significationes; sive cum novi, & ambigui inducuntur termini, quin definiantur; sive cum ita conjunguntur, ut confundatur sensus, quo plerumque accipiuntur.* Affectare in loquendo obscuritatem, est quasi illam arcessere, iique eam affectare dicuntur, qui scientes volentes obscuri sunt. Atqui multoties Scriptores scientes volentes obscuri sunt absque ullo sermonis abusu. Nemo sane qui Religionem revelatam non aspernatur, abusus damnabit Scriptores Sacros Spiritu Dei inspiratos: atque hi nihilominus studiose obscuri fuerunt in plerisque Scripturæ locis, ut eam defenderent *contra irrisiones infidelium*, ut advertit Sanctus Thomas 1. p. q. 1. a. 9. ad 2. post S. Augustinum l. 1. de adulterinis conjugiis c. 26. Christus ipse, ut ait Chrysologus ser. 96. *doctrinam suam parabolis velat, tegit figuris, sacramentis operit, reddit obscuram mysteriis.* Eadem mysteria Patres consulto obscuris verbis tradiderunt. Clemens Alex. Strom. 1. rationem reddens, cur voluerit *ex arte celare semina cognitionis*, ait: *Quoniam magnum est periculum vere arcanam veræ philosophiæ rationem iis propalare, qui profuse quidem ac petulanter, sed non jure volunt contra nos dicere.* Vide S. Hieronymum Epist. 38. & S. Cyrilum Hierosol. Catech. 5. n. 12. & Catech. 6. n. 29. Potest igitur quis obscurus esse ex industria, quin vocabulis abutatur. Mirum est autem quanto verborum apparatu Lockius *ib.* non in Scholasticos tantum Philosophos, sed in Theologos quoque, & Jurisconsultos insurgat, eosque accuset, quod ob affectatam vocabulorum obscuritatem perturbarint humanam societatem, jusque Divinum, & Civile. Nimis longus forem, si referre ejus verba vellem, quæ nihil præter verba sunt. Sed quid cum hominibus agendum, qui obscura esse putant omnia quæ non intelligunt? Qui Geometriæ est expers, credit esse obscura theoremata Euclidis, licet clarissima sint Geometris. Pari modo qui Scholasticos Scriptores, qui Theologos, qui Jurisconsultos vel numquam legit, vel non intellexit, affectatæ obscuritatis facile accusat.

(2) Loc. cit. §. 14. » En quatriéme lieu, un grand abus, qu'on fait

5. cum accipiuntur vocabula ad significandum ea quæ revera non significant (1). 6. cum quis arbitratur, inter vocabula,

---

» des mots, c' est qu'on les prend pour des choses." *Quarto loco, magnus est verborum abusus, quod verba pro rebus accipiantur.* Hunc etiam abusum Lockius putat familiarem esse omnibus pene sectis Philosophorum; quasi nemo philosophus ante ipsum extiterit, qui in ejusmodi lapidem non offenderit; scilicet, expectandus ille fuerat, qui inter omnes Philosophos sederet magister, & oracula funderet, quibus cæterorum ignorantia dispelleretur. Audiamus vero quid ipse doceat. §. 15. » Il y auroit beaucoup moins de disputes dans le mon» de, si les mots étoient pris pour ce qu' ils sont, seulement pour » des signes de nos idées, & non pour les choses mêmes." *Multo minores disputationes in mundo essent, si verba acciperentur pro eo quod sunt, scilicet, pro signis tantum nostrarum idearum, & non pro ipsis rebus.* Si verba nihil aliud sunt quam signa idearum, equidem nihil aliud significant quam ideas. Qui ergo alium loquentem audit, nihil aliud quam ejus ideas percipit. Quid autem utilitatis est in percipiendo ideas quæ sunt in alterius mente, nisi aliqua res illis ideis respondeat? Nulla igitur erit disciplina, nisi verborum, & idearum, neque ulla supererit via qua per magistros de rebus instruamur: nam eorum verba non rerum, sed idearum signa sunt. Si autem ideis respondent res; cur Lockius ait, verba universim non res, sed tantum ideas significare? Quanto verius S. Thomas 1. Perih. lect. 2. docet, *voces significare intellectus conceptiones immediate, & eis mediantibus res.*

(1) Loc. cit. §. 17. » Un cinquieme abus qu'on fait des mots, c' est » de les mettre a la place des choses qu'ils ne signifient, ni ne peu» vent signifier en aucune maniére. *Quintus abusus verborum est, cum » ponuntur loco rerum, quas nec significant, nec significare ullo modo possunt.* Id Lockius explicat exemplo petito ex nomine *Homo*, quem cum definimus *animal rationale*, supponimus, nomen illud significare essentianm realem unius speciei: quod tamen ille putat esse falsum, cum statuat, essentias reales rerum esse nobis ignotas. Hæc si vera essent, sequeretur 1. ignorare nos quid realiter sit homo; neque proinde nisi nomine tenus posse illum à brutis secernere. 2. neminem umquam adhibere absque abusu vocabula posse ad res significandas, quarum essentias reales ignoraret. 3. vocabula omnia nihil omnino reale significare; non enim significarent essentias reales quæ essent ignotæ; neque etiam ideas: nam quis ideam habere potest rei quam ignorat? Vocabula igitur essent meri soni. 4. cum essentia Dei in seipsa sit nobis ignota, ut supra ostendimus §. 374. abuteremur hoc nomine *Deus* ad Deum significandum, cujus essentia in seipsa est nobis ignota; & propterea nomen illud nihil reale significaret, vel ad summum ideam Dei, quam nobis efformamus. Errat igitur Lockius, cum statuit, vo-

& significationem quæ ipsis tribuitur, esse necesariam quamdam colligationem, ita ut significatio non possit aliter exprimi (1). 7. tandem abusus in eo ponitur à Lockio, quod tropis, ac terminis figuratis quis utatur (2).

---

cabulis abuti illum qui res nominat quarum ignorat essentiam; non enim necesse est nosse rerum essentias, ut illas nominemus, sed sufficit si noscamus res illas existere, sive in re, sive per intellectum: nam sic revera vocabulis respondent res. Vehementer etiam Lockius errat, cum ib. §. 20. ait, excogitati hujus à se abusus causam esse, quod falso supponimus. » Que la Nature agit réguliérement dans la » production des choses, & fixe des bornes à chacune de ces espéces." *Naturam regulariter agere in productione rerum, & unicuique speciei limites figere.* Cuinam venire, nisi Lockio, in mentem poterat, naturam non agere ad regulam in productione rerum, nec certis speciebus certos terminos posuisse? Nam si natura in productione rerum ad regulam non agit, universa fortuito accidunt, & casui sunt adscribenda; adeoque nulla erit Providentia, nullus erit Deus. Si autem unicuique speciei certi non sunt constituti fines, sed, ut Lockius ib. ait » Plusieurs des individus qui portent le même nom, ne sont aussi différens l' un de l' autre dans leur constitution intérieure, que plusieurs de » ceux qui son rangés sous différens noms spécifiques: " *Plura individua quæ idem habent nomen non tam inter se differunt in eorum interiori constitutione, quam pleraque eorum quæ ordinata sunt sub diversis nominibus specificis*: Jam individua tam differrent inter sese, quam inter sese differunt species; videlicet duo homines ita in sua constitutione inter se differrent, sicut homo & equus. Hæc sunt recondita, & exquisita Lockii dogmata, quæ quo tendant, dicemus alias.

(1) Loc. cit. §. 22.

(2) Ib. §. 34. » Si nous voulons représenter les choses comme elles » sont, il faut reconnoître qu'excepté l' ordre & la netteté, tout l'art » de la Rhétorique, toutes ces applications artificielles & figurées, ne » servent à autre chose qu'à insinuer de fausses idées dans l' esprit qu' » à émouvoir les passions, & à séduire par-là le jugement." *Si res, uti revera sunt, repræsentare volumus, fateamur oportet, universam Rhetoricæ artem, ordine tantum excepto, expolitoque dicendi genere, omneque illius artificium, & figurarum usum, ad hoc tantum valere, ut falsas ideas in mentem influat, ut passiones commoveat, ut judicium seducat.* Quod à Philosophis exquirendæ non sint Rhetorum artes, jam supra ostendimus §. 106. Dialecticis enim legibus philosophicus sermo continetur: *Zeno*, ait Cicero 1. de Fin. 17. & Orat. 113. *Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebat: quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compressius.* Sed quod ars Rhetorica, quod artificiosus, figuratusque dicendi modus nihil aliud pa-

836 Videtur autem, determinari non posse vocabulorum abusus, I. quia abusus in hoc differt ab imperfectione vocabulorum, quod hæc sequitur ipsam vocabulorum naturam, ille pendet ab hominum voluntatibus vocabulis abutentium. Sed voluntates hominum infinitis modis possunt abuti vocabulis. Ergo.

837 II. Totidem posssunt esse abusus vocabulorum, quot sunt ipsa vacabula. Sed vocabula possunt esse infinita. Ergo.

Propositio. *Ii vocabulis abutuntur, qui ab ejusdem societatis, aut facultatis hominibus communiter determinato usu recedunt.*

838 Prob. Vocabulis abutuntur, qui ea adhibent non eo modo quo sunt adhibenda. Atqui vocabula adhibenda sunt in civili societate, & in omni facultate, prout homines ejusdem socie-

---

riant, quam falsas in mente ideas, ac tantummodo valeant ad excitandas animi passiones, quibus in judicando seducamur; vetus error est, quem S. Augustinus l. 1. con. Cresconium Donatistam c. 1. sq. & l. 4. c. 2. refellit. *Eloquentiam*, inquit Augustinus, *vituperare voluisti, tamquam esset veritatis inimica, & patrona potius falsitatis.* Nam licet eloquentia nonnulli abutantur ad decipiendum, ii nempe, qui sibi proponunt, *non ex animo, sed ex contentione, vel commodo, pro omnibus, & contra omnia dicere*, quod hæreticis hominibus familiare est; id tamen provenit non ex ipsa eloquentiæ natura, sed ex hominum abusu. *Eloquentia*, ait Augustinus, *facultas dicendi est, congruenter explicans quæ sentimus: qua tunc utendum est, cum recta sentimus. Hoc modo ea non usi sunt hæretici ... Frustra igitur accusasti eloquentiam. Neque enim propterea pro patria non est miles armandus, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt: aut ideo uti non debent boni & docti medici ferramentis medicinalibus ad salutem, quia his ad perniciem etiam docti pessimique abutuntur. Quis enim nescit ... eloquentiam, hoc est, peritiam, facultatemque dicendi sic esse utilem, vel inutilem, ut fuerint utilia, vel inutilia quæ dicuntur?* Vide eumdem Augustinum l. 4. de Doct. Christ. c. 6. sqq. ubi veram sapientiam cum germana eloquentia Sacris etiam Litteris inesse demonstrat. Sane in iisdem Sacris Litteris usitatissimus est figuratus dicendi modus, isque maxime nobis congruit, ut per sensibilia ad intelligibilia perducamur. Vide S. Hilarium l. 1. de Trin. n. 19. Nazianzenum Orat. 34. & S. Thom. 1. p. q. 1. a. 9. Quod si vera esset Lockii sententia, figuratus Scripturarum dicendi modus falsas in mentem ideas induceret, passionesque foveret, quibus à veritate in judicando abduceremur.

tatis, & facultatis communiter adhibent, ut supra dictum est (1). Qui ergo aliter vocabula adhibent, iis abutuntur.

839 Hinc sequitur 1. eos abuti vocabulis, qui vocabula adhibent nihil omnino significantia: hæc enim nullibi recepta sunt. 2. peccare illos qui voces æquivocas adhibent, cum possint alias adhibere; nam voces æquivocæ, cum non determinate significent, non adhibentur in communi usu, nisi forte ab ipso communi usu, vel à consequentibus, aut antecedentibus sint determinatæ. 3. peccare qui vocabula obscura, & nova (2) adhibent, ut alios in errorem inducant; siquidem hoc ipsum est contra receptum vocabulorum usum ad communicandum aliis conceptiones nostras, & ad veritatem detegendam. 4. ejusdem vitii reos esse, qui ad aliquas res significandas vocabula adhibent, quæ illas revera non significant: nam & hoc est contra communem usum vocabulorum, quæ pro varietate rerum diversæ sunt, Universim vero vocabulis abutuntur, quia communi recepto eorum usu recedunt: ita enim intelligi vix ab aliis possunt, atque proinde agunt contra vocabulorum institutionem (3).

840 Ad primum ergo dicendum, abusus vocabulorum, etsi pendeant à libera hominum voluntate, omnes tamen reduci ad hunc tantum, quod receditur à communi usu recepto. Et per hæc patet solutio ad secundum.

---

(1) §. 832.

(2) In hoc potissimum peccant Hæretici; & idcirco Apostolus 1. Tim. 6. v. 20. Timotheum monebat, ut devitaret *profanas vocum novitates*. Nam ut advertit S. Thomas ib. lect. 4. *profana novitas est, quando inducitur aliquid contra Fidem; & dicitur novum per comparationem ad id quod est antiquum. Hoc fecit Nestorius, quando dixit de Virgine Maria Christotocos, ut inferret quod non esset Mater Dei; & ideo Sancti Patres in Concilio Ephesino instituerunt, quod diceretur Theotocos.* Vide Tertullianum l. de Præscript. c. 1. 13. Vincentium Lirinensem Commonit. 1. c. 27. S. Basilium Epist. 175. al. 410. & Epist. 242. al. 182.

(3) Potissimum in Theologia non est recedendum à communi inter Theologos recepto, non modo sententiarum, sed & vocabulorum usu; hæc enim recessio plena periculi est. Vide S. Basilium l. de Spir. San. c. 1. sqq. Et S. Hilar. l. de Syn. n. 82. sqq. Quod si Quintilianus l. 1. Instit. c. 11. loquens de verbis à vetustate repetitis, maxime si ad Religionem pertinerent, ait: *Illa mutari vetat religio, & consecratis utendum est*; quanto magis utendum erit verbis consecratis in Theologia Christiana, atque à vetustate repetitis. Tenenda igitur sunt Chrysostomi verba Hom. 8. in 2. Tim. *Hi qui novitatibus student, nusquam erra-*

ARTICULUS III.

Utrum aliqua sint remedia contra vocabulorum abusus.

841 CUm septem numerasset Lockius (1) vocabulorum abusus, deinde (2) quinque ponit remedia. 1. ut nullum adhibeatur vocabulum, quod nil significet, nec ullam ideam adjunctam habeat (3). 2. ut ideæ quarum vocabula sunt signa, sint claræ, & distinctæ, si quidem sunt simplices; sint vero determinatæ (4), si sint complexæ. 3. ut vocabula sint propria. 4. ut declaretur sensus quo vocabula accipiuntur (5). 5. demum,

---

ris finem invenient, sed nova semper commenta, & corruptum dogma proferent : ea est enim erroris vis, ut sisti non queat.

(1) Essai &c. l. 3. c. 10. (2) Ib. c. 11.

(3) Inter vocabula hujus generis Lockius loc. cit. §. 8. recenset nomina *instinctus*, *sympathiæ*, *antipathiæ*. Vapulabit itaque Cicero, qui l. 1. Tuscul. ait : *Poetæ carmina non sine cœlesti aliquo mentis instinctu fundunt.* Et l. 3. de nat. deor. *Est in ea* (natura) *iste quasi consensus, quem συμπαθειαν Græci vocant.*

(4) Quid referret, ideas complexas, esse determinatas, nisi essent etiam claræ, & distinctæ ? nam ex principiis Lockii l. 3. c. 10. §. 2. » Le premier & le plus visible abus qu'on commet en ce point, c'est » qu'on se fet de mots auxquels on n'attache aucune idée claire, & » distincte.“ *Primus, & apertior abusus est, quod verbis quis utatur quibus nulla est adnexa idea clara, & distincta.* Itaque nisi ideæ complexæ, utut determinatæ essent præterea claræ, & distinctæ, illas significando abuteremur vocabulis, nullumque esset remedium corrigendi talem abusum.

(5) Id si fiat, arbitratur Lockius ib. c. 11. §. 16. » Que la Morale » est capable de démonstration aussi bien que les Mathématiques. *Doctrina Moralis ita potest demonstrationis esse capax, quemadmodum scientiæ Mathematicæ.* Rationem reddit : » puisqu'on peut connoître » parfaitement, & précisément l'essence réelle des choses que les ter- » mes de Morale signifient.“ *Quippe cognosci potest perfecte & præcise essentia realis rerum quas morales termini significant.* Si declarato sensu terminorum doctrinæ Moralis, potest perfecte, & præcise cognosci *essentia realis* rerum quæ illis terminis significatur ; cur Lockius ib. c. 6. §. 9. ait : » Nous ne pouvons point réduire les choses à » certaines espéces, ni par conséquent leur donner des dénominations » (ce qui est le but de cette réduction) en vertu de leurs *essences* » *réelles*, parce que ces essences nous sont inconnues.“ *Non possumus*

ut vocabula constanter accipiantur eodem sensu (1).

842 Videtur autem, vix adhiberi posse remedium abusui vocabulorum, I. quia ad id requireretur, ut omnes homines haberent easdem notiones, & nonnisi de rebus loquerentur, quarum ideas claras, & distinctas haberent: quod ne sperari quidem potest.

843 II. Cum parvus sit numerus vocabulorum, si comparetur cum pene infinita multitudine cogitationum nostrarum, fieri vix potest, ut idem terminus semper eodem sensu accipiatur. Caveri ergo abusus vocabulorum vix, aut ne vix quidem potest.

---

res ad certas species reducere, nec consequenter ipsis præbere denominationes (qui hujusce reductionis est scopus) vi earum realium essentiarum, quoniam hujusmodi essentiæ sunt nobis incognitæ. Intelligat qui potis est, quomodo *essentiæ reales* rerum sint nobis incognitæ, & nihilominus perfecte, & præcise cognoscantur, declaratis terminis, tametsi nequeamus res reducere ad certas species, illasque denominare ex essentiis realibus. Fortasse ita erat comparatus Lockius, ut terminos declararet essentiarum realium, quas ne denominare quidem poterat; hoc est, declararet determinatis nominibus essentias innominatas. Nos autem qui ita comparati non sumus, fatemur, res morales in iis quæ ex principiis practicis per se notis immediate consequuntur, demonstrationes subire posse æque perspicuas, ac sunt Mathematicæ demonstrationes; in reliquis vero fatemur cum S. Thoma 1. Ethic. lect. 3. *materiam moralem talem esse, quod non est ei conveniens perfecta certitudo.* Vide quæ diximus §. 132.

(1) Hoc remedium si adhibeatur. » Combien de controverses (inquit Lockius ib. §. 26.) qui malgré tout le bruit qu'elles font dans le » monde, s'en iroient eu fumée? Combien de gros volumes pleins de » mots ambiguus ... secroient réduits à un fort petit espace? Combien » de livres de Philosophes, qui pourroient êttre renfermés dans une » coque de noix aussi bien que les Ouvrages du Poëte?" *Quot controversiæ, earum irrito strepitu, in fumum abirent? Quot magna volumina ambiguis verbis redundantia, magnitudine decrescerent? Quot Philosophorum libri includi in nuce possent, eadem ratione qua Poetæ opera?* Id unum supererat, ut postquam Lockius cæterorum libros despexit, & Philosophorum etiam doctissimorum opera in nuce includi posse arbitratus est (Sciat autem, Homeri Iliadem in membrana scriptam, & in nuce inclusam, nihil pretii deperdisse) suum de Intellectu humano Opus cæteris anteponeret. Sunt tamen qui ejus Opus accusant, & merito accusant, quod plura inutilia contineat, quod nullum faciat verborum modum, quod passim sit obscurum, quod principia statuat materialismo faventia, dignumque prorsus sit quod ejus lec-

Propositio. *Unicum est remedium contra vocabulorum abusum, determinare eorum significationem ex communiter recepto vocabulorum usu.*

844 Probatio. Ii vocabulis abutuntur qui à communi determinato usu recedunt, ut dictum est (1). Ergo qui vocabulorum significationem determinant ex communiter recepto eorum usu, recte vocabulis utuntur. Id ergo si fiat, adhibitum est remedium contra vocabulorum abusum; ita enim cavebimus 1. omne vocabulum quod nihil significet; 2. adhibebimus vocabula determinata; 3. hæc vocabula erunt propria adeoque nec obscura, nec nova adversus communem usum; 4. illa constanter eodem sensu accipiemus, nec opus erit declarare quo sensu illa accipiantur; erunt enim determinata ex communi usu ad certas res significandas. Igitur quod constituimus, unicum est remedium adversus vocabulorum abusum.

845 Ad primum ergo dicendum, notionibus diversis respondere vocabula, quæ si determinata sint ex communi usu, diversas notiones, & res determinate significabunt, confusas quidem confuse, distinctas vero distincte.

846 Ad secundum dicimus, eumdem terminum posse diversa significare, quin ullus sequatur abusus; quia etsi plura significet, potest tamen ex communi usu determinari ad unam rem significandam.

QUÆSTIO XXI.

De natura Judicii.

847 Perpensis iis, quæ ad simplicem perceptionem pertinere videbantur, progredimur ad Judicium, quod est altera mentis nostræ actio. De Judicio autem agentes, 1. quæremus de ejus natura. 2. de ejus defectibus, & remediis. 3. de Criterio veritatis. 4. de Arte critica. 5. demum de Propositionibus, quibus judicia exprimimus. De natura autem Judicii quæremus 1. cujus potentiæ sit actus. 2. sitne simplex actus.

---

tio cunctis interdicatur. Conferatur, si licet, Christ. Thomasius Caut. 10. & Walchius Hist. Log. in Paralipomenis Academ.

(1) §. 838.

ARTICULUS I.

Utrum judicium sit actus intellectus.

848 Nemini, quod sciamus, ante Cartesium (1) in mentem venit, judicium non esse actum intellectus, sed voluntatis. Videtur autem esse actum voluntatis, I. quia judicium non est sine affirmatione, aut negatione. Sed affirmatio, & negatio pertinent ad voluntatem; nam affirmatio importat consensum, negatio dissensum: consensus autem, & dissensus ad voluntatem pertinet. Ergo.

849 II. Nemo assentitur, nisi velit. Sed qui judicat, assentitur. Ergo judicium est actus voluntatis.

Propositio. I. *Judicium elicitive est ab intellectu.* II. *Applicative à voluntate.*

850 Prob. 1. p. Ab ea potentia judicium elicitur, cujus est cognoscere verum; cum enim judicamus, componimus, vel

(1) 1. P. Princ. §. 32. ubi scribit: *Omnes modi cogitandi, quos in nobis experimur, ad duos generales referri possunt: quorum unus est perceptio, sive operatio intellectus: alius vero volitio, sive operatio voluntatis. Nam sentire, imaginari, & pure intelligere, sunt tantum diversi modi percipiendi; ut & cupere, aversari, affirmare, negare, dubitare, sunt diversi modi volendi.* Videtur Cartesius omnia confundere: nam si duo tantum sunt modi cogitandi, ratiocinatio ad utrum eorum pertinebit? Perceptio esse non potest; est enim hæc absque affirmatione, & negatione, sine quibus ratiocinatio esse non potest. Pertinebit igitur ad judicium. Judicium autem ex Cartesio pertinet ad voluntatem. Igitur & ratiocinatio ad voluntatem pertinebit; hoc est, ipsa ratio, à qua ratiocinatio dicitur, pertinebit ad voluntatem. Est autem ratio, ipsa mens, sive intellectus. Mens igitur erit voluntas. Voluntas autem est potentia cæca, quæ sequitur ductum intellectus; non enim possumus, nisi cognita amare. *Certe*, inquit S. Augustinus l. 10. de Trin. c. 1. *amari aliquid nisi notum non potest.* Igitur & mens cæca erit. Qua igitur facultate anima interius videbit? Nec sufficit perceptio: nam affirmando, vel negando, veritatem videmus; tunc enim cognoscimus veritatem, cum cognoscimus conformitatem rei cum intellectu; quam quidem conformitatem affirmando vel negando cognoscimus, ut diximus §. 750. Præterea perceptio ex Cartesii principiis non

dividimus, ut supra dictum est (1): veritas autem per prius dicitur de intellectu componente, & dividente, ut supra ostendimus (2). Atqui cognoscere verum, pertinet ad intellectum, non ad voluntatem; nam sicut objectum intellectus est verum, ita objectum voluntatis est bonum (3). Judicium ergo non à voluntate, sed ab intellectu elicitur.

851 Prob. 2. p. *Voluntas*, ut ostendit S. Thomas (4). *per modum agentis movet omnes animæ potentias ad suos actus, præter vires naturales vegetativæ partis, quæ nostro arbitrio non subduntur*: movendo autem illas applicat ad agendum; non enim agerent nisi essent motæ. Sed intellectus est potentia animæ, ejusque actus est judicium, ut dictum est (5). Igitur voluntas est quæ applicat intellectum ad judicandum (6).

852 Ad primum neg. min. affirmare enim, & negare ad intellectum pertinent. Et licet affirmatio, & negatio videantur importare consensum, & dissensum; si tamen congruenter loqui velimus, intellectus assentire, non consentire dicitur. Nam, ut advertit S. Thomas (7), *assentire est quasi ad aliud sentire: & sic importat quamdam distantiam ad id cui assentitur. Sed consentire est simul sentire; & sic importat quamdam conjunctionem ad id cui consentitur. Et ideo voluntas, cujus est tendere ad ipsam rem, magis proprie dicitur consentire; intellectus autem, cujus operatio non est secundum motum ad rem, sed potius è converso* (intellectus enim trahit ad se objectum, voluntas autem trahitur ab objecto) *magis proprie dicitur assentire; quamvis unum pro alio poni soleat.* Si quis ergo consensus est in judicio, is est à voluntate movente, & applicante intellectum.

853 Ad secundum dicendum, assensum esse à voluntate applicante, non eliciente. Sicut enim non sequitur, ambula-

---

est actio, sed passio animæ, ut diximus §. 254. Si ergo sola perceptio pertineret ad intellectum, intellectus esset duntaxat passivus. Vide autem quam cohærenter Cartesius loquatur: nam cum statuerit, perceptionem esse passionem, nunc fatetur esse operationem intellectus.

(1) §. 167. (2) §. 750. (3) Vide S. Thom. 1. p. q. 16. a. 1.

(4) 1. p. q. 82. a. 4. (5) §. 850.

(6) Hinc sequitur, intellectum, & voluntatem invicem se movere; nam intellectus movet voluntatem *per modum finis*, ut loquitur Sanctus Thomas loc. cit. sive, ut ajunt, *quoad specificationem*, quia proponit voluntati bonum quod prosequatur. Voluntas vero movet intellectum *per modum agentis*, sive, *quoad exercitium*, quia applicat intellectum ad agendum. (7) 1. 2. q. 15. a. 1. ad 3.

tionem esse à voluntate eliciente, quia nemo ambulat, nisi velit; ita nec sequitur, judicium esse à voluntate eliciente, quia nemo assentitur, nisi velit.

ARTICULUS II.

Utrum judicium sit simplex mentis actus.

854 Videtur negandum, I. quia quod componitur ex pluribus, non est simplex, sed compositum. Atqui judicium componitur ex pluribus, subjecto, nempe, prædicato, & copula. Non est ergo simplex, sed compositum.

855 II. Judicium voce expressum est quid compositum; constat enim pluribus vocibus. Ergo etiam mente formatum.

856 III. Homo in judicando differt ab Angelo, quod is judicat simplici intuitu, non componendo, & dividendo. Non ergo mentis nostræ judicium est simplex, sed compositum.

Propositio. *Judicium est simplex mentis actus.*

857 Prob. ratione S. Thomæ (1). Operatio quæ fertur ad unicum objectum, est una, & simplex. Atqui judicium fertur ad unicum objectum; non enim objectum judicii sunt plures ideæ simul collectæ; nam posumus plures ideas simul collectas cognoscere, quin tamen judicemus. Sed ejus objectum est comparatio duarum idearum, scilicet, subjecti cum prædicato; sive sunt prædicatum, & subjectum, prout conveniunt in una comparatione (2). Cum ergo hæc comparatio unica sit, judicium est unus, & simplex actus.

858 Ad primum. neg. min. nam licet ad judicium requirantur plures ideæ conjunctæ, objectum tamen ejus non sunt ipsæ ideæ sed earum habitudo, quæ unica est, ut diximus (3).

---

(1) 1. p. q. 58. a. 2.

(2) Quare nihil novi nos docuit Lockius, cum ait Essai &c. l. 4. c. 1. §. 1. » La connoissance n'est autre chose que la perception de la » liaison & de la convenance, ou d' opposition & de la disconvenance » qui se trouve entre deux de nos idées.“ *Cognitio aliud non est, quam perceptio colligationis, & convenientiæ, aut oppositionis, & disconvenientiæ inter duas ideas.* (3) §. 857.

859 Ad secundum neg. cons. nam voces transeunt, neque proinde possunt in unum convenire: mens autem unico actu intelligit habitudinem subjecti, & prædicati.

860 Ad tertium dicimus cum S. Thoma (1), hoc versari discrimen inter modum cognitionis hominum, & Angelorum, quod Angelus eodem actu quo percipit, cognoscit omnia quæ subjecto possunt attribui, vel ab eo removeri ob perfectionem luminis intellectualis, & idcirco, ut judicet, opus non habet componere subjectum cum prædicato, vel subjectum à prædicato dividere. At homo cum non statim, subjecto percepto, cognoscat ea quæ ipsi subjecto attribui, vel ab eo removeri possunt, necesse habet componere subjectum cum prædicato, vel prædicatum à subjecto dividere, ut possit cognoscere, an conveniant, vel repugnent inter se.

QUÆSTIO XXII.

De judiciorum defectibus.

861 Jam supra ostendimus (2), in judiciis nostris ut veritatem, ita falsitatem esse posse. Nunc causæ inquirendæ sunt, cur tam sæpe judicantes à veritate aberremus. Quæremus igitur 1. utrum defectus judiciorum habeant causam in sensibus. 2. an etiam in ipsa mente. 3. an oriantur ex voluntate. 4. an ex affectibus. 5. an ex corpore. 6. an ex causis externis.

ARTICULUS I.

Utrum defectus judiciorum habeant causam in sensibus.

862 Pro parte negante arguitur I. quia si defectus hujusmodi orirentur ex sensibus, sensus essent nobis dati ad decipiendum: quod esse non potest.

863 II. Sensus nunquam nisi affectionem suam demonstrant; qua in re nulla est deceptio, ut supra diximus (3). Non ergo defectus judiciorum habent causam in sensibus.

(1) 1. p. q. 58. a. 4. (2) §. 751.
(3) §. 760.

Propositio. *Sensus possunt esse causæ occasionales defectuum judiciorum nostrorum.*

864 Prob. I. In sensibus ad mentem comparatis potest esse falsitas occasionaliter, ut supra ostendimus (1). Ipsi etiam sensus, etiamsi rite dispositi, possunt falli circa sensibilia communia, ut est probatum (2). Sed causare ocasionaliter falsitatem in mente, est esse causam ocasionalem defectuum judiciorum nostrorum. Sensus igitur possunt esse causæ ocasionales hujusmodi defectuum (3).

(1) ib. (2) §. 762.

(3) Hac de re agens Genuensis Art. Log. Crit. l. 1. c. 5. §. 13. sqq. primum statuit *sensus nostros non rerum naturæ, sed vitæ nostræ ducendæ aptatos esse*, neque externas res repræsentare alia de causa, quam ut sint vitæ nostræ ducendæ aptati. Quod quidem falsum esse ostendit S. Thomas 1. Metaph. lect. 1. *Cum sensus*, inquit, *ad duo nobis deserviant, scilicet, ad cognitionem rerum, & ad utilitatem vitæ diliguntur à nobis propter seipsos, in quantum cognoscitivi sunt: & etiam propter quod utilitatem ad vitam conferunt. Et hoc patet ex hoc, quod ille sensus maxime ab omnibus diligitur, qui magis cognoscitivus est, qui est visus, quem diligimus non solum ad agendum aliquid, sed etiam si nihil agere deberemus.* Anne Genuensis visum suum diligebat unice ad agendum, ita ut non diligeret, optassetque se cæcum esse, si nihil agere debuiset? Præterea ipsemet ib. l. 2. c. 1. §. 6. & 14. opinionem approbat asserentem omnes ideas à sensu, & meditatione proficisci. Si quis ergo de rerum naturis disserit, à sensibus ideas primum accepit. Quomodo igitur sensus nostri sunt unice aptati vitæ ducendæ? Quanto cohærentius Plotinus Ennead. 4. l. 4. c. 24. sequutus sententiam Platonis de anima non per sensus intelligente, dixit: *Gratia usus dati sunt sensus: etsi enim ad notitiam dati sint, non ei qui cognitionem possideat, ita sunt dati, sed ignaro ob infortunium, & oblivioso, ut quandoque reminiscatur.*

Deinde Genuensis constituit, sensus esse ignorantiæ, & errorum nostrorum causas, 1. ob voluptatem, 2. ob paucitatem, 3. ob imperfectionem. Quod sensibiles voluptates sint plerisque occasio negligendi studium in inquisitione veritatis, & in errores labendi, jam supra §. 9. animadvertimus cum S. Thoma, qui etiam 2. 2. q. 153. a. 5. inter filias luxuriæ primo loco ponit cæcitatem mentis, ob eam rationem, quia *quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad sua objecta consequens est, quod superiores vires impediantur & deordinentur in suis actibus.* Quæ inordinatio tanta esse potest, ut mentem in atheismum præcipitem agat. Quare Clemens Alex. Strom. 4. inquiebat: *ut*

865 Ad primum negamus sequelam : nam sicut non sequitur : sensus quibusdam sunt occasio peccandi ; igitur dati sunt

---

Deus ignoretur, efficit vitæ institutum. Et S. Augustinus Enar. in Psal. 13. » Dum amant hoc sæculum, & non amant Deum, ipsæ » sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut possit » etiam dicere imprudens in corde suo, non est Deus.“ Vide S. Justin. M. in Dial. cum Triph. n. 1. Lactantium l. 2. Instit c. 1. & S. Basilium in Hom. *Quod Deus non est auctor malorum.*

Verum quod sensus nostri ob eorum *paucitatem* sint nobis errorum causæ, id est quod vehementer negamus. 1. quia nemo doctus in dubium revocavit sufficientem esse quinarium sensuum externorum numerum. 2. quia si quinque isti sensus non sufficiunt, debuerat Genuensis asignare alios sensus ab illis diversos : quod tamen non fecit. 3. quia Deus providit homini necessaria ad sentiendum (Vide S. Ambrosium l. 6. Hexaëm. c. 9.) adeoque omnes sensus illi tribuit, qui necesarii erant. Confer Theodoret. serm. 3. de Providentia, & S. Thom. 3. de anima lect. 1. ubi probat, nullum sensum nobis deficere. 4. Quod addit Genuensis, neminem sibi persuadere posse, in tanta rerum universitate nulla esse objecta, nisi quæ quinque sensibus percipiuntur, sophisma est ; aliud est enim, sensus nostros non percipere omnia sensibilia, quæ in rerum universitate sunt (quod eorum imperfectioni attribuitur) ; aliud vero, sensibilia illa, si perciperentur, debere percipi aliquo sensu qui esset distinctus à quinque vulgatis sensibus. 5. Quod Dei potentia, & sapientia infinita possit alios sensus nobis indere, nec quidquam probat ; loquimur enim non de eo quod Deus potest facere, sed de eo quod fecit secundum naturæ leges à se constitutas. Quod Genuensis sibi persuasum dicat *in tot planetis, & stellis fixis, in tanta spatii mundani & pene infinita extensione esse objecta cum viventia, tum etiam vita destituta, numero infinita*; non est id neque primum neque unicum paradoxum quod sibi persuasit; unde autem sibi persuaserit, audiamus : » Veteres plurimi philosophi, *inquit*, in primis » Chaldæi hanc aëris immensitatem infinito animantium ratione, & » libertate utentium numero plenam esse conjiciebant, id quod pro» batum est & Græcis, Latinisque, & non abhorret à revelatione, » quæ Angelorum & dæmonum infinitum pene numerum esse docet.“ Quid hæc ad sensuum paucitatem ? Putatne ille, Angelos, & dæmones animantia esse ex corpore, & mente composita? Ita sane putavere Chaldæi *de materialibus dæmonibus.* Vide Stanlejum par. 13. Hist. Phil. sect. 2. c. 16. Nam si Angeli & dæmones sunt substantiæ omnino immateriales, sensibus subjici non possunt, neque proinde Genuensis ratio quidquam concludit. Si autem ipse putavit, Angelos & dæmones constare ex spiritu, & corpore ; ecquænam intolerabilis impudentia est dicere, hanc sententiam, quæ post Concilium Latera-

ad pecandum; ita nec sequitur: sensus aliquando sunt occasio deceptionis; ergo dati sunt ad decipiendum: habemus enim, ut S. Augustinus (1) ait, *mentem, rationem, consilium*, ut possimus errores cavere.

866 Ad secundum dicimus, ex antecedente solum consequi, sensus non per se, sed tantum ocasionaliter quandoque deceptionem causare, quia nempe mens est malus judex, ut supra diximus (2).

ARTICULUS II.

Utrum defectus judiciorum habeant causam in ipsa mente.

867 Videtur negandum, I. quia nulla potentia progredi potest extra fines sui objecti adæquati. Sed objectum adæquatum intellectus est verum. Non ergo intellectus in seipso po-

---

nense IV. saltem temeraria est, non abhorrere à revelatione, quasi Deus revelaverit, Angelos, & dæmones spiritu, & corpore constare?

De sensuum imperfectione quæ scribit Genuensis, non omnia probamus. Fatemur, sensus nostros esse imperfectos. » Acute vides (ait » S. Augustin. ser. 276. al. 12. de Sanctis c. 5. n. 5.) acutius te for» sitan aquila. Acute audis: sunt bestiolæ quæ audiunt acutius. Acute » olfacis: canem sagacem non vincis. Acute sapores gustando dijudi» cas, sunt animalia quæ inexpertas herbas discernunt: & quod est » noxium non attingunt... Acute sentis tangendo: quam multæ aves » æstatem futuram præsentiunt & loca demutant; hyemem imminere » præsentiunt, ad loca calidiora demigrant? " Ad oculos quod attinet, etsi concedamus, illos falli posse circa magnitudinem, figuras, motum, & distantias; hæc enim sunt sensibilia communia visui cum aliis sensibus, circa quæ sensus etiam recte dispositi falli possunt, ut supra ostendimus §. 762. negamus tamen ab oculis nos decipi, *quod credamus*, ut ait Genuensis, *res extra nos videre, cum in imaginibus intra nos depictis videamus.* Nam si in imaginibus videmus, aliquid certe in ipsis videmus. Quid autem in illis videmus, nisi res extra nos positas? Quæ denique habet Genuensis de reliquorum sensuum imperfectione, deque erroribus inde manantibus facile reducuntur ad ea quæ diximus §. 761. ubi ostendimus, sensuum judicium aliquando falsum esse, vel ob defectum organi, vel propter impedimentum in medio.

(1) Ser. 43. al. 27. de ver Apost. n. 2.

(2) Not. *non quod* §. 760.

test esse falsus ; adeoque defectus judiciorum causam in mente non habent.

868 II. Rectitudo, & defectus judiciorum contraria sunt, quemadmodum, ut ostendit S. Thomas (1), contrariæ sunt veritas, & falsitas. Ergo contrarias debent habere causas. Atqui rectitudo judicii causam habet in mente. Igitur in ipsa mente causam habere non potest judicii defectus.

Propositio. *Defectus judiciorum nostrorum præcipue oriuntur ex parte intellectus nostri.*

869 Ita S. Thomas (2). Prob. Omnis judiciorum nostrorum defectus provenit ex eo, quod de subjecto affirmatur aliquod prædicatum quod ei non convenit; vel negatur aliquod prædicatum quod ipsi convenit (3); judicium enim, ut supra dictum est (4), dicitur falsum, cum mens negat esse quod est, vel affirmat esse quod non est (5). Id autem provenit ex parte intellectus nostri, qui

(1) 1. p. q. 17. a. 4.

(2) 4. Metaph. lect. 1. ubi disserens de difficultate inveniendæ veritatis, scribit : » In omnibus quæ consistunt in quadam habitudine unius » ad alterum, potest impedimentum dupliciter, vel ex uno, vel ex » alio accidere. Sicut si lignum non comburatur, hoc contingit, vel » quia ignis est debilis, vel quia lignum non est bene combustibile. » Et similiter oculus impeditur à visione alicujus visibilis, aut quia est » debilis, aut quia visibile est tenebrosum. Sic igitur potest contingere, quod veritas sit difficilis ad cognoscendum, vel propter defectum » qui est in ipsis rebus, vel propter defectum, qui est in intellectu nostro ... Non tamen principalis causa difficultatis est ex parte rerum, » sed ex parte nostra. Quia si difficultas esset principaliter ex parte » rerum, sequeretur, quod illa magis cognosceremus, quæ sunt magis » cognoscibilia secundum suam naturam. Sunt autem maxime cognoscibilia secundum naturam suam, quæ sunt maxime in actu, scilicet » entia immaterialia, & immobilia, quæ tamen sunt maxime nobis ignota. Unde manifestum est, quod difficultas accidit in cognitione » veritatis maxime propter defectum intellectus nostri &c."

(3) Defectum judiciorum non hìc accipimus *negative*, prout scilicet ignorationem significat; quo sensu pueri destituti usu rationis laborare dicuntur defectu judicii; sed accipimus *contrarie*, scilicet, pro falsitate judiciorum, quatenus veritati opponitur.

(4) §. 751.

(5) S. Augustinus l. 7. Confes. c. 15. *Omnia* inquit, *vera sunt, in quantum sunt : nec quidquam est falsitas, nisi cum putatur esse quod non est.*

cum, ut supra ostendimus (1), non cognoscat eodem actu quo percipit subjectum, omnia quæ subjecto atribui possunt, necesse habet comparare subjectum cum prædicato, ut cognoscat, prædicatum convenire subjecto. Hæc autem comparatio aliquando ita est per se nota, ut statim cognito quid sit subjectum, & quid prædicatum, lumine intellectus cognoscatur, prædicatum convenire subjecto, sicut in principiis per se notis (2), in quibus numquam est judicii defectus, aliquando autem non statim, cognitis subjecto, & prædicato, constat prædicatum convenire subjecto; & tunc opus est ratiocinatione, quæ quidem si procedat immediate ex principiis per se notis, nec ullus erit defectui judiciorum locus, nisi forte ex malitia voluntatis non recte applicantis intellectum ad judicandum. Quia vero ob imbecillitatem luminis intellectualis obumbrati, ut supra diximus (3), per conjunctionem ad corpus, & ad vires corporeas, non potest semper mens nostra certe & perspicue cognoscere, prædicatum convenire subjecto, resolvendo ad principia per se nota; idcirco sæpe in judiciis fallitur. Constat ergo, judiciorum defectus potissimum oriri ex parte intellectus nostri non valentis ex comparatione subjecti cum prædicato cognoscere, prædicatum convenire subjecto (4).

---

(1) §. 860.

(2) S. Thomas 1. Poster. lect. 7. » Principia immediata, *inquit*, » non per aliquod medium extrinsecum cognoscuntur, sed per cognitio» nem propriorum terminorum. Scito enim quid est totum, & quid est » pars, cognoscitur, quod omne totum est majus sua parte; quia in » talibus propositionibus prædicatum est in ratione subjecti."

(3) §. 6.

(4) Si quis animum attendat, facile perspiciet, ad hoc unum principium revocari quæ de causis errorum in mente existentibus alii docent. Nam 1. mentis brevitas, & imbecillitas essent quidem causæ ignorantiæ nostræ multarum rerum, numquam tamen falsitatis judiciorum, si omnia quæ percipimus ad principia per se nota reducantur. 2. memoriæ debilitas id etiam efficit, ut retinere ea omnia principia fideliter nequeamus, quæ ad recte ratiocinandum necessaria sunt, quo fit, ut sæpe, memoria non adjuvante decipiamur. 3. Libido sciendi ea quæ sciri non possunt, vel quia superant omnem naturalem mentis nostræ captum ut sunt mysteria fidei, vel quia, etsi ejus captum non superant, desunt tamen media ad illa scienda; ex eadem origine manat; nam si quis imbecillitatis luminis intellectualis sui sit sibi conscius, videbit profecto, quam merito scripserit S. Irenæus l. 2. adv. hær. c. 47. Scientia mysteriorum ejus indigemus; & non est mirum, si in

870 Ad primum dicendum, jam supra fuisse ostensum (1) falsitatem per se numquam esse posse in intellectu simpliciter percipiente: quod sufficit, ut objectum intellectus sit verum (2). Addi potest, neminem falli nisi in eo quod putat verum quia habet aliquam veri similitudinem. Videri potest S. Augustinus (3).

» spiritualibus, & cœlestibus, & in his quæ habent revelari, hoc pati» mur nos: quandoquidem etiam eorum quæ ante pedes sunt (dico » autem quæ sunt in hac creatura, quæ & contrectantur à nobis, & » videntur, & sunt nobiscum) multa fugerunt scientiam nostram, & » Deo hæc ipsa committimus." 4. Quod addunt de illis, qui minus parati ad quasdam scientias addiscendas accedunt, v. g. ad Medicinam, quin sint in Physica versati; vel qui debitum in colendis studiis ordinem non tenent; ad eamdem causam reducitur; qui enim fieri potest ut ad principia per se nota resolvant judicia sua in scientiis, qui nesciunt principia immediata earum scientiarum, vel qui nullo adhibito ordine universa permiscent? 5. Ad eamdem causam pertinet præcipitatio judicii, seu quædam humanæ mentis impotentia, qua de rebus judicare vult absque debita meditatione; qui enim sic judicat plerumque ad principia solida minime animadvertit. 6. Inutiles quæstiones, & obscuræ possunt quidem esse causa per accidens defectuum judiciorum nostrorum; nam qui inutilibus delectantur, negligere possunt ea ad quæ tenentur: ii autem qui obscuras quæstiones consectantur, nisi cautissime procedant, in errores abripiuntur. Sed hæc non alia ratione accidunt, quam ex neglectu principiorum. Hinc S. Augustinus l. 2. de ser. Dom. in monte c. 9. n. 32. *Omnis anima rationalis*, inquit, *etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat, & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquod in ratiocinando sentiat.*

(1) §. 751.

(2) S. Thom. q. 1. de ver. a. 12. *Intellectus*, inquit, *dupliciter accipi potest: uno modo secundum quod se habet ad hoc tantum, à quo primo tamen impositum fuit, & sic dicimur proprie intelligere, cum apprehendimus quidditatem rerum, vel cum intelligimus illa quæ statim nota sunt intellectui, notis rerum quidditatibus, sicut sunt prima principia, quæ cognoscimus, cum terminos cognoscimus: unde & intellectus habitus principiorum dicitur ... unde sicut sensus sensibilium propriorum semper est verus, ita & intellectus in cognoscendo quod quid est...Alio modo potest accipi intellectus communiter, secundum quod ad omnes operationes se extendit, & sic comprehendit opinionem, & ratiocinationem, & sic in intellectu est falsitas, numquam tamen si recte fiat resolutio in prima principia.*

(3) l. 2. Soliloq. c. 6. n. 12.

871 Ad secundum dicendum cum S. Thoma(1) idem posse esse causam contrariorum secundum diversa.

ARTICULUS III.

Utrum defectus judiciorum oriantur ex voluntate.

872 Videtur hujusmodi defectus oriri non posse à voluntate. I. quia judicia sunt actus intellectus, ut dictum est (2).

873 II. Intellectus est potentia necessaria. Si qui ergo defectus in ipso sunt, non oriuntur ex voluntate.

Propositio. *Defectus nostrorum judiciorum oriri etiam possunt ex voluntate.*

874 Prob. Judicia nostra, quamquam elicitive sint ab intellectu, nihilominus applicative pendent à voluntate, ut supra dictum est (3). Sed voluntas ita potest intellectum applicare, ut intellectus ad alia distractus, vel omnino non attendat, vel non eo modo attendat quo attendere debet, ut recte judicet (4). Tunc autem fieri non potest, ut nullus sit in judiciis nostris

---

(1) 1. 2. q. 32. a. 3. ad 2. »Nihil prohibet, *inquit*, idem secun» dum diversa, esse causam contrariorum. Sic spes in quantum habet præ» sentem æstimationem boni futuri delectationem causat: in quantum » autem caret præsentia ejus, causat afflictionem.“

(2) §. 850. (3) 850 sq.

(4) Quod voluntas ita applicet intellectum, provenire potest ex pluribus causis, 1. ex voluptatibus, 2. ex necessitatibus vitæ præsentis, 3. ex pigritia. (Vide Sanctum Thomam 1. Metaph. lect. 1.) 4. ex desperatione inveniendæ veritatis. (Confer. S. Thom. 4. Metaph. lect. 11.) 5. ex nimio amore conservandæ valetudinis. (Vide S. Thom. 3. con. Gen. c. 135.) 6. ex eo quod putatur, veri nominis scientias cum pietate pugnare. (Vide S. August. l. 2. de Doct. Christ. c. 19. sqq. S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 5. & Mabillonium de studiis Monasticis Tom. 2. Animad. con. Armandum Buthilierium, ubi magna eruditione demonstrat, Monachis studia etiam philosophica convenire.) 7. ex Magistrorum imperitia. (Vide S. Thom. q. 11. de ver. a. 1.) Præcipue vero errores practici proveniunt ex voluntate; sunt enim errores circa finem non quidem in universali, sed in particulari. Quivis autem error, qui sive in speculativis, sive in practicis est circa prin-

defectus : nam judicia, ut supra ostendimus (1), tunc recta sunt, cum de subjecto affirmatur prædicatum quod ipsi convenit, vel negatur prædicatum quod ipsi non convenit: quod absque attentione debita fieri non potest. Defectus igitur judiciorum nostrorum à voluntate oriri possunt (2). Et per hæc patet responsio ad primum.

875 Ad secundum dist. ant. intellectus est potentia necessaria quoad specificationem, in iis quæ apprehendit, vel quibus dissentire non potest, conc. quoad exercitium, & in iis, quibus potest assentire, vel dissentire, nego. Nam intellectus quoad exercitium actus, semper subjacet imperio voluntatis; non enim ageret, nisi à voluntate applicaretur ad agendum (3).

---

cipia, gravissimus est; non enim restat via, qua errans possit emergere ab errore. Vide S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 2. & q. 3. de malo a. 13.

(1) §. 869.

(2) Hinc S. Augustinus l. 9. de Trin. c. 10. scribit » Cur plerumque falsa cogitamus, cum ea quæ sensimus non utique falso memi» nerimus: nisi quia voluntas illa quam conjunctricem, ac separatri» cem hujuscemodi rerum jam quantum potui demonstrare curavi, forman» dam cogitantis aciem per abscondita memoriæ ducit, ut libitum est, » & ad cogitanda ea quæ non meminimus, ex eis quæ meminimus, » aliud hinc, aliud inde, ut sumat, impellit: quæ in unam visionem » coëuntia faciunt aliquid, quod ideo falsum dicatur, quia vel non est » foris in rerum corporearum natura, vel non de memoria videtur » expressum, cum tale nihil nos sensisse meminimus? Quis enim vi» dit cygnum nigrum? & propterea nemo meminit: cogitare autem » quis non potest?"

(3) Quærens S. Thomas 1. 2. q. 17. a. 6. utrum actus rationis imperetur à voluntate: *Actus rationis* inquit, *potest considerari dupliciter. Uno modo quantum ad exercitium actus; & sic actus rationis semper imperari potest, sicut cum indicitur alicui quod attendat, & ratione utatur. Alio modo quantum ad objectum, respectu cujus duo actus rationis attenduntur. Primo quidem ut veritatem circa aliquid apprehendat, & hoc non est in potestate nostra: hoc enim contingit per virtutem alicujus luminis vel naturalis, vel supernaturalis. Et ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra, nec imperari potest. Alius autem actus rationis est, dum his quæ apprehendit, assentit. Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia; assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ: & ideo proprie loquendo, naturæ imperio subjacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire,*

ARTICULUS IV.

Utrum defectus judiciorum oriantur ex affectibus.

876 Affectus, sive affectio, appetitio quædam est (1), quæ

---

vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.

(1) Genuensis Art. Log. Crit. l. 1. c. 4. §. 2. expendens naturam affectuum: *Tria*, inquit, *sunt potissima in affectibus consideranda.* 1. *Variæ perceptiones boni, vel mali.* 2. *variæ commotiones corporis, præcipue sanguinis, & nervulorum.* 3. *voluptas, dolor, & inquietudo quædam. Ex his secundum tantum* affectus *nomine proprie vocatur: nam primum causa secundi est, tertium vero effectus.* Itaque *affectus* nomine, Genuensi teste, *proprie* intelliguntur commotiones corporis, præcipue sanguinis, & nervulorum. Si autem res ita habet, 1. cur ille ib. §. 1. *affectus* in animo posuit, scribens: *Superest, ut tertiam errandi causam ex iis quas in animo posuimus potissimas, nempe affectus, prosequamur?* An ponet in animo commotiones corporis, sanguinis, & nervulorum? nam si in animo non sunt hujusmodi commotiones, frustra in animo ponuntur affectus, qui *proprie* in illis commotionibus consistunt. 2. si affectus nihil aliud *proprie* sunt, quam commotiones illæ, quæ, ut ib. §. 3. advertit Genuensis, fiunt *ob leges unionis mentis, & corporis*, cum tales leges sint à natura, & commotiones illæ semper naturales erunt. Nullus igitur affectus *proprie* erit neque virtuosus, neque vitiosus: nam ea quæ naturalia sunt, non subjacent arbitrio, neque proinde esse possunt libera; libertas autem requiritur ad merendum, vel demerendum. 3. Genuensis confundit id quod est *materiale* in affectibus cum eo quod est *formale.* » In passionibus sensitivi appetitus » (ait S. Thomas 1. p. q. 20. a. 1. ad 2.) est considerare aliquid quasi » materiale, scilicet, corporalem transmutationem, & aliquid quasi for» male, quod est ex parte appetitus. Sicut in ira materiale est accen» sio sanguinis circa cor, vel aliquid hujusmodi: formale vero, appe» titus vindictæ.“ Genuensis autem in eo quod est *materiale*, propriam rationem affectus ponit. Addit vero: *Bonum quod percipitur, vel corpus, vel animum, vel famam, vel divitias spectat. Primi desiderium facit voluptuosos homines, & brutos: alterius virtuosos, & philosophos: tertii ambitiosos: quarti avaros.* Mirum! Si bonum quod corpus spectat, facit homines voluptuosos, & brutos; nemo igitur poterit corpus suum amare, quin sit voluptuosus, & brutus. Erit igitur voluptuosus,

in prosequutione, vel fuga consistit (1). Sic desiderium, motus quidam est in bonum absens, delectatio est motus in bonum præsens, timor est fuga mali futuri, tristitia est aversio mali præsentis. Duplex autem in nobis est appetitus, scilicet, intellectivus & sensitivus (2); ac intellectivus quidem est inclinatio in rem appetibilem apprehensam per intellectum; sensitivus vero inclinatio est in rem appetibilem apprehensam per sensum. Et quia, ut advertit S. Thomas (3), in rebus naturalibus corruptibilibus non solum est inclinatio ad consequendum convenientia, & refugiendum nociva, sed etiam ad resistendum corrumpentibus, & contrariis; idcirco cum appetitus sensitivus sit inclinatio consequens apprehensionem sensitivam, proinde dividitur in duas potentias scilicet, concupiscibilem, & irascibilem (4); quæ quidem, ut idem S. Thomas ostendit (5), in homine natæ sunt obedire rationi, & voluntati; rationi quidem, quia ratio particularis in homine, cujus actus est aprehensio sensitiva, nata est moveri & dirigi secundum rationem universalem; voluntati vero, quia appetitus sensitivus ei subjacet quantum ad exequutionem; voluntas enim in homine est appetitus superior appetitu sensitivo: in potentiis autem motivis ordinatis, secundum movens non movet nisi virtute primi moventis (6). Nihilominus, quia ut est à S. Tho-

---

& brutus, qui corporis sui sanitatem desiderat. Erunt conjuges voluptuosi, & bruti, cum filiorum procreationi incumbunt. Si autem bonum animi facit homines virtuosos, cur Genuensis *affectus* posuit *proprie* in commotionibus corporis, sanguinis, & nervulorum? Eruntne hujusmodi commotiones, in quibus virtus consistet? Præterea si desiderium famæ facit homines ambitiosos, & desiderium divitiarum facit homines avaros, cur Deus nos hortatur Eccl. 41. v. 15. *ut curam habeamus de bono nomine*? Cur Matth. 12. v. 35. dicitur: *Bonus homo de bono thesauro profert bona*? Quod ad abusum bonorum corporis, aliorumque bonorum exteriorum pertinet, id Genuensis, nullo facto discrimine, ad quodcumque desiderium hujusmodi bonorum imperite refert.

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 141. a. 3.

(2) S. Thom. 1. p. q. 80. a. 2. (3) Ib. q. 81. a. 2.

(4) Damascenus l. 2. de Fide c. 12. » Pars, *inquit*, illa quæ rationem » audit, eique obsequitur, in iram, & cupiditatem distribuitur.“ Cui consonat Nemesius l. 4. de hom. c. 8. ubi ait. » Virtus obediens ratio» ni in duo secatur, in appetitivam vim, & irascibilem.“

(5) Loc. cit. a. 3.

(6) Damascenus loc. cit. c. 22. » In hominibus, *ait*, utpote ratione » præditis, naturalis appetitus non tam ducit, quam ducitur; quippe

ma observatum (1), appetitus sensitivus est virtus organi corporalis: omnis autem actus virtutis utentis organo corporali non solum pendet ex potentia animæ, sed etiam ex corporalis organi dispositione, sicut visio ex potentia visiva, & qualitate oculi; idcirco appetitus sensitivus quatenus est potentia (2) animæ apprehensionem sequens, subjacet imperio rationis; quatenus vero pendet ex organi dispositione, huic imperio non subjacet. Rursus quia motus appetitus sensitivi non omnino subduntur imperio rationis; subsunt enim politice ad modum liberorum, non despotice ad modum servorum; proinde motus, qui primo primi dicuntur, hoc est, ex subreptione, sunt præter imperium rationis.

877 Itaque affectus alii quidem pertinent ad voluntatem; alii ad appetitum sensitivum; atque illi sunt de bono apprehenso per intellectum, ut dilectio; hi autem sunt de bono apprehenso per sensus, præcipue per imaginationem, & æstimativam, sive rationem particularem, ut amor sensibilis. Qui quidem affectus appetitus sensitivi proprie dicuntur passiones (3); non sunt enim absque transmutatione corporali, quæ in affectibus appetitus intellectivi, qui non est actus organi corporalis, non invenitur (4).

» qui libere, & cum ratione movetur, quia facultates cognoscendi, & » vivendi in homine conjunctæ sunt." Confer Nemesium loc. cit.

(1) 1. 2. q. 17. a. 7.

(2) S. Augustinus l. 6. con. Julian. c. 18. n. 56. » Sensus est, *inquit*, » non ipsa concupiscentia, sed ille potius quo nos eam majorem, mino» remve habere sentimus." Persequitur autem ibi, ostenditque concu» piscentiam esse qualitatem, hoc est, animæ potentiam.

(3) Vide S. Augustinum l. 9. de Civ. c. 6. » Duæ, *inquit*, sunt sen» tentiæ Philosophorum de his animi motibus, quos Græci πάθη, nos» tri autem quidam, sicut Cicero, perturbationes, quidam affectiones, » vel affectus, quidam vero, sicut iste de græco, expressius passiones vo» cant." Vide Quintilianum l. 6. c. 2. & S. Thom. 1. 2. q. 22. a. 2. Idem S. Thomas ib. q. 23. a. 4. omnes passiones specie differentes ad undecim revocat. » In concupiscibili, *ait*, sunt tres conjugationes pas» sionum, amor, & odium, desiderium, & fuga; gaudium (*sive de*» *lectatio*), & tristitia. Similiter in irascibili sunt tres, scilicet, spes, » & desperatio; timor, & audacia, & ira cui nulla passio opponitur." Vide Nemesium l. 4. de hom. c. 9. sqq.

(4) Quare non probamus sententiam Alcinoi l. de doct. Plat. c. 31. ubi affectum definit: *Ratione carens animi motus, ex bono aliquo excitatus, vel malo.* Nam quod ait: *Irrationalis motus ideo dictus est, quia nec judicia, nec opiniones affectus sunt, verum animæ quæ ratione caret partium motus. In parte enim animæ rationis experte me-*

878 His constitutis, de quibus in Ethica fusius, videntur affectus non esse defectuum judiciorum nostrorum causæ, I. quidem, quia ea quæ non sunt in eodem subjecto, etiamsi sint contraria, non se impediunt. Sed affectus sunt in appetitu, ut dictum est (1), judicia pertinent ad intellectum, ut supra ostendimus (2). Non ergo impediunt intellectum à recte judicando.

879 II. Inter affectus præcipuum locum habet delectatio. Sed delectatio etiam corporalis, etsi possit corrumpere judicium practicum, non tamen corrumpit judicium speculativum, alioquin omnes qui delectationes corporales consectarentur, errarent in speculativis judiciis. Non ergo affectus sunt causa defectuum in judiciis nostris præsertim theoreticis.

Propositio. *Affectus appetitus sensitivi* (3), *maxime cum inordinati sunt, plurimos in judiciis nostris defectus causant.*

880 Prob. rationibus S. Thomæ. Primo quidem, quia ut judicia nostra recte procedant, necessaria est attentio; hæc enim adjuvat operationem. Affectus autem appetitus sensitivi attentionem distrahunt; mens siquidem nostra ita est comparata, ut dum uni vehementer intendit, ab altero retrahatur (4). Secundo quia cum perfectio intellectualis operationis consistat

---

tus sunt, quia etsi in operibus existunt nostris, nihilo tamen magis in nostra sunt potestate. Sæpe quippe invitis nobis, innascuntur, & reluctantibus: id quidem probat, affectus quatenus pendent ex organi dispositione, vel quatenus obrepunt, in potestate nostra non esse; secus tamen nullo modo subesse imperio rationis; alioquin esse non possent neque virtuosi, neque vitiosi.

(1) §. 877. (2) 850.

(3) De affectibus appetitus intellectivi idem dicendum ac de voluntate, cujus sunt actus; quæ quidem si ordinata est, nullum in judiciis defectum inducit, nisi forte per accidens, quia non applicat intellectum ad ea consideranda ad quæ homo non tenetur. Si autem inordinata est, potest in judiciis defectus inducere; quia sicut ordinata voluntas procedit secundum rationem, ita inordinata contra rationem.

(4) Ex hoc principio S. Thomas 1. 2. q. 33. a. 3. probat, delectationes corporales impedire usum rationis. Ex eodem principio ib. q. 37. a. 1. ostendit, dolorem sensibilem, vel tristitiam præcipue intensam, auferre facultatem addiscendi: *Quia*, inquit, *omnes potentiæ animæ in una essentia animæ radicantur, necesse est, quod quando intentio animæ vehementer trahitur ad operationem unius potentiæ, retrahatur ab*

in abstractione à sensibilibus phantasmatibus, ut supra dictum est (1), quo magis intellectus ab hujusmodi phantasmatibus abstrahitur, eo est aptior ad veritatem cognoscendam; ad quam proinde cognoscendam eo è contra fit minus aptus, quo minus liber est ab illis phantasmatibus. Affectus autem appetitus sensitivi sequntur apprehensionem sensibilem, nec sunt absque transmutatione corporali, ut dictum est (2). Quare intellectus hujusmodi appetitus consectans, minus abstrahitur à sensibilibus, minusque valet de intelligibilibus judicare (3). Tertio affectus prædicti quodammodo ligant intellectum; sunt enim cum trasmutatione coporali; quamobrem qui illis vehementer afficiuntur, habent quodammodo judicium ligatum sive impeditum (4), ne ex ratione sententiam pronuncient (5).

---

operatione alterius: unius enim animæ non potest esse, nisi una intentio: & propter hoc si aliquid ad se trahat totam intentionem animæ vel magnam partem ipsius, non compatitur secum aliquid aliud quod magnam attentionem requirat. Manifestum est autem, quod dolor sensibilis maxime trahit ad se intentionem animæ: quia naturaliter unumquodque tota intentione tendit ad repellendum contrarium..... Similiter etiam manifestum est, quod ad addiscendum aliquid de novo requiritur studium, & conatus cum magna intentione..... Et ideo si dolor sit intensus, impeditur homo, ne tunc aliquid addiscere possit: & tantum potest intendi, quod nec etiam instante dolore, potest homo aliquid considerare etiam quod prius scivit. In hoc tamen attenditur diversitas secundum diversitatem amoris, quam homo habet ad addiscendum, vel considerandum: quia quanto major fuerit, magis retinet intentionem animi, ne omnino feratur ad dolorem. Vide S. August. l. 1. Solil. c. 12.

(1) §. 376. & 422. (2) §. 877. sq.

(3) Confer S. Thom. 2. 2. q. 15. a. 3. ubi hac ratione probat, cæcitatem mentis oriri ex luxuria, hebetudinem autem ex gula; contra vero abstinentiam, & castitatem maxime disponere hominem ad perfectionem intellectualis operationis.

(4) Hinc S. Thom. 1. 2. q. 33. a. 3. etiam probat, delectiones corporales impedire usum rationis. Hinc ibid. q. 44. a. 4. ostendit, timorem conferre quidem ad bene operandum, si moderatus sit, quia non multum rationem perturbat; si vero magnus sit, rationemque perturbet, impedire animæ operationem. Hinc præterea ib. q. 48. a. 3. infert, iram inter cæteras passiones manifestius impedire usum rationis.

(5) Ut de singulis affectibus ordine dicamus: I. Amor inordinatus, quo quis seipsum amat, quem *Philautiam* Græci vocant, plurimorum in judiciis nostris defectuum est origo; ac non solum in judiciis practicis: (ostendit enim S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 4. inordinatum sui amorem esse causam omnis peccati) sed etiam in judiciis theoreticis; cum

881 Ad primum dicendum, affectus, & judicia pertine-

---

enim amor sit causa omnium quæ amans agit, ut probat idem S. Thomas ib. q. 18. a. 6. quisque enim agit propter finem; manifestum est, illum qui inordinate seipsum nimis amat, nimis etiam amare judicia sua, nec facile ab iis divelli posse. Ex hoc fonte manarunt omnes hæreses; nam ut ait S. Augustinus l. de vera Relig. c. 25. *Si non esset* (superbia), *non essent hæretici, nec schismatici, nec carne circumcisi, nec creaturæ, simulacrorumque cultores.* Ex eodem fonte manat contemtus, quo juniores quidam Philosophi veteres sapientes excipiunt, quasi plumbei illi fuerint, ipsis vero natura sese patefecerit.

II. Amor quo quis inordinate erga alios afficitur, plurimos etiam errores progignit. Cum enim, ut advertit S. Thomas. 1. 2. q. 18. a. 6. ad 2. ex amore omnes pasiones causentur; qui erga alios inordinate afficitur, universis pasionibus subjacet, quare nihil recte judicare potest. Hinc existunt immoderata partium studia, quibus addicti uni Philosophorum sectæ, cæteras ludibrio habent; nullaque ducti ratione, erroris damnant quidquid suæ opponitur sectæ. Si Cartesianos audias, Cartesius veritatem extraxit è puteo Democritii. Si Newtonianos, nemo Newtono verior. Si hos, cæterosque Philosophos recentiores, nemo Aristotele pejor. Nonnulli etiam Aristotelei ita erga Aristotelem fuerunt affecti, ut nefas ducerent ab ipso recedere etiam in iis, quæ falsa deprehensa fuerant. Moderatus autem erga Magistros amor, præsertim cum ii communi hominum doctorum consensu laudantur, non modo nihil officit cognitioni veritatis, sed maxime eam promovet, ut supra ostendimus §. 82. sqq.

III. Ut ex inordinato amore, ita ex odio, sæpe intellectus decipitur; quia enim, ut S. Augustinus advertit Enar. 2. in Psalm. 25. n. 3. *ira cum inveteraverit, odium fit*; profecto si ira impedit rectum usum rationis, ut S. Thomas ostendit 1. 2. q. 48. a. 3. multo magis odium. Quapropter Joan. 1. c. 2. v. 9. dicitur: *Qui fratrem suum odit, in tenebris est.* Odium ita potest augeri, ut odio habeatur & ipsa veritas in speciali, v. g. cum veritatis cognitio impedit à persecutione rei amatæ; quo modo impii ut liberius peccare possent, nollent vera esse, quæ Religio revelata docet. Vide S. Thom, 1. 2. q. 29. a. 5.

IV. Ex desiderio etiam, & fuga, sive abominatione, intellectus in errorem sæpe inducitur. Concupiscentia enim inordinata, est infinita, ut probat S. Thomas loc. cit. q. 30 a. 4. Hinc desiderium sciendi futura divinatoriam artem invexit. Quare S. Thomas 2.2. q. 95 a. 2. ad 1. ostendit, divinationem esse speciem curiositatis ex parte finis, licet quoad modum operationis sit species superstitionis. Ambitio etiam, sive inordinatum desiderium honoris vehementer mentem perturbat. Vide S. August. l. 6. Conf. c. 5. Quot enim sunt, qui ut sibi nomen faciant & ad honores viam sternant novas & erroneas opiniones spargunt? Avaritia quoque, sive inordinatum desiderium divitiorum, plurimos seducit, ut

re quidem ad diversas potentias, esse tamen unius animæ; & ideo, inquit, S. Thomas (1), *cum intentio animæ vehementer applicatur ad actum unius, impeditur ab actu contrario alterius.*

882 Ad secundum dicimus cum S. Thoma (2), delecta-

---

veritatem impugnent. Quod in Protestantibus palam fuit, qui ut Ecclesiæ facultates invaderent, turpissimis erroribus sese implicarunt.

V Quantum ratio impediatur ex delectationibus corporalibus, & ex tristitia, jam supra diximus. Certe propter libidinem non raro evenit, ut impii homines omnem æternorum suppliciorum timorem excutere nitantur. Nam, ut inquit S. Justinus M. in Dial. cum Triphone n. 1. » Proposita est his qui ita sentiunt, disserendi, & sequendi quod » libuerit impunitas, & licentia, ac agendi quidquid voluerint, & di» cendi, nec supplicium metuentibus, nec boni quidquam à Deo spe» rantibus. "

VI. De spe, & desperatione, quod aliquando possint esse errorum causæ, adeundus est S. Thomas 1. 2. q. 40. a. 5. ubi probat, experientiam esse multoties causam spei, & contra, inexperientiam causam esse desperationis; etenim ex experientia provenit, quod quis putet possibile, quod ante inexpertus putabat impossibile. Quia tamen sæpe accidit, ut inexperti possibile putent quod est impossibile, quare idem S. Thomas ib. a. 6. ostendit, in juvenibus abundare spem ob inexperientiam impedimentorum, & defectuum; idcirco ex spe minus considerate concepta, vel ex desperatione, qua quis impossibile putat quod possibile est, plures in judiciis defectus proveniunt. Certe ex spe inveniendæ veritatis prodierunt tot Philosophorum absurdæ opiniones in explicandis aliquibus naturæ phœnomenis, quæ Deus voluit nos latere. Contra vero ex desperatione reperiendæ veritatis Scepticismus originem, & progressum habuit.

VII. Cum audacia consequatur spem, timor vero desperationem, ut probat S. Thomas loc. cit. q. 45. a. 2. fit proinde, ut etiam timor, & audacia sæpe sint errorum causæ. Audaciæ debentur tot arbitraria Philosophorum systemata, quæ fabulæ potius, quam systemata videntur. Audaciæ etiam effectus sunt conatus eorum, qui res Divinas humanis rationibus dimetiri posse putant. *Non est*, inquit S. Hilarius l. 5. de Trin. n. 21. *de Deo humanis judiciis sentiendum. Non enim nobis ea natura est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat.* Hinc tot pernitiosæ de Religione revelata sententiæ.

VIII. Denique de ira jam dictum est, eam inter omnes passiones judicium rectum impedire. Vide S. Gregorium M. l. 5. Mor. c. 45. al. 33. n. 82. sq. De hujusmodi affectibus ad rem Cicero l. 2. de Orat. » Plura multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut » iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, » aut aliqua permotione mentis, quarum veritate, aut præscripto &c. "

(1) 1. 2. q. 33. a. 3. ad 2. (2) Loc. cit. in corp.

tiones corporales non impedire judicium speculativum ratione contrarietatis, sed quia atentionem tollunt.

ARTICULUS V.

Utrum defectus judiciorum oriantur à corpore.

883 Quod non oriantur, probatur : I. quia, ut docet S. Thomas (1), anima dominatur corpori despotico principatu; nam corporis membra nullo modo resistere possunt imperio animæ, sed ad ejus nutum moventur; manus enim ac pedes, statim ac vult anima, moventur. Nihil ergo corpus potest influere in defectus judiciorum.

884 II. Si defectus judiciorum oriri possent ex corpore, penderet anima ex corpore : quod destrueret animæ spiritualitatem.

Propositio. *Defectus judicorum oriri possunt ex corpore non immediate, sed mediate.*

885 Prob. Defectus judiciorum oriri possunt ex sensibus, & ex affectibus apetitus sensitivi, ut supra dictum est (2). Atqui sensus, & appetitus sensitivus pendent ex organorum corporalium dispositione, ut est ostensum (3). Defectus igitur judiciorum oriri possunt immediate ex sensibus, & ex affectibus, mediate vero ex organorum corporis dispositione (4).

---

(1) 1. p. q. 81. a. 3. ad 2. (2) §. 864. & 880. (3) §. 877.

(4) Ut observat S. Thom. 1. p. q. 85. a. 7. & nos animadvertimus vide not. §. 110. cum forma recipiatur in materia secundum materiæ capacitatem, fit proinde, ut ii qui habent corpus melius dispositum, habeant animam majoris virtutis in intelligendo. Habent autem corpus melius dispositum, qui habent humores ad temperiem redactos. Sunt autem hi humores quatuor juxta numerum elementorum; & idcirco quidam sunt flecmatici, in quibus abundat humor aqueus; quidam sanguinei, in quibus abundat sanguis qui humidus, & calidus est, & respondet aëri; quidam cholerici, in quibus abundat bilis, quæ respondet igni; quidam malenchonici, in quibus abundat atrabilis, quæ respondet terræ. Si ergo hi humores ad temperiem sint redacti, corpus est melius dispositum, & anima majoris virtutis in intelligendo. Corpus autem quo melius est dispositum, eo habet meliores sensus. Omnes autem alii sensus fundantur supra tactum, & tactus sequitur bonitatem temperiei; & idcirco S. Thomas cum 1. p. q. 76. a. 5. tum 2. de ani. lect. 19.

886 Et per hæc patet responsio ad primum : nam ideo corpus obedit animæ despoticè, quia mediante appetitu sensitivo in iis, quæ hujusmodi appetitui subjacent, *corporis membra in nullo resistere possunt imperio animæ, sed statim ad appetitum animæ movetur manus, & pes, & quodlibet membrum quod natum est moveri voluntario motu* (1). Sic igitur mediate possunt ex membris corporis oriri defectus judiciorum in mente.

887 Ad secundum jam supra diximus (2), mentem pendere ex corpore non tamquam ex organo, à quo judicium efficiatur, sed tamquam ex objecto, quod male propositum per organa sensuum, potest esse occasio judicii falsi.

---

probat, homines qui sunt melioris tactus, esse melioris intellectus. Si autem humores non sint ad temperiem redacti, sed unus aliis prævaleat, corpus est minus perfecte dispositum, & proinde anima est minoris virtutis in intelligendo, ut idem S. Thomas ostendit 1. p. q. 85. a. 7. Universim vero, *illi in quibus virtus imaginativa, & cogitativa, & memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum*, ut ait S. Thomas loc. cit. Harum autem facultatum actus pendet ab organis corporalibus. De memoria, & reminiscentia hæc accipe ex eodem S. Thoma de mem. & rem. lect. 1. *Illi melius reminiscuntur, qui sunt velocis ingenii ad inveniendum ex se, & bene discendum ab aliis. Cujus ratio est, quia diversæ habitudines hominum ad opera animæ proveniunt ex diversa corporis dispositione. Videmus autem in corporalibus, quod illa quæ difficilius, & tardius recipiunt impressionem, bene retinent eam, sicut lapis : quæ vero de facili recipiunt, non retinent bene, sicut aqua. Et quia rememorari nihil aliud est, quam bene conservare semel accepta, inde est, quod illi qui sunt tardi ad accipiendum, retinent bene recepta, quod est bene memorari. Qui autem de facili recipiunt, plerumque de facili amittunt. Sed reminisci est quædam reinventio prius acceptorum non conservatorum; & ideo illi qui sunt velocis ingenii ad inveniendum, & accipiendum disciplinam, etiam sunt bene reminiscitivi.* De phantasia, & cogitativa, quam sequuntur appetitus sensitivi, hæc item accipe ex S. Thoma in 2. d. 7. q. 2. a. 1. ad 1. » Omnis defectus animæ qui in nobis accidit, » vel est ex phantasia quantum ad cognitionem, vel ex passionibus irascibilis, & concupiscibilis quantum ad affectionem. " Vide eumdem S. Thom. 4. Metaph. lect. 14. & 3. de ani. lect. 5.

(1) S. Thom. 1. p. q. 81. a. 3. ad 2.

(2) §. 349.

ARTICULUS VI.

Utrum falsitas judiciorum oriatur ex causis externis.

888 Videtur negandum : I. quia nulla causa exterior potest causare scientiam in anima ; operaretur enim interius in ipsa : quod solius Dei est. Igitur neque potest causare in anima falsitatem judiciorum.

889 II. Judiciorum defectus proveniunt ex eo , quod non recte fit resolutio ad principia per se nota , ut supra dictum est (1). Sed resolvere ad principia per se nota pertinet tamtummodo ad intellectum , non vero ad causas exteriores. Ergo.

Propositio. *Causæ externæ falsitatis judiciorum sunt Magistri* (2) *non recte , aut non recta docentes.*

890 Probat. ex D. Thoma (3). In hoc unus alterum docere dicitur , quod alteri exponit , quomodo principia communia applicentur ad determinatas materias , indeque procedatur ad aliquas particulares propositiones inferendas , & concludendas , & ex his ad alias (4). Atqui multoties evenit , ut illi qui docent ,

(1) §. 869.

(2) Magistrorum nomine intelligimus omnes illos qui quoquo modo docent ; sive nutrices sint , sive parentes , sive populus , sive quisquis alius præceptor , & sive per verba , sive per libros. Quocirca Cicero 3. Tuscul. scribit : » Simul atque editi in lucem , & suscepti sumus , in om- » ni continuo pravitate , & in summa opinionum perversitate versamur , » ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur ; cum vero pa- » rentibus redditi , id est , magistris traditi sumus , tum in variis imbui- » mur erroribus , ut vanitati veritas , & opinioni confirmatæ natura ip- » sa cedat. Accedunt etiam Poetæ , qui cum magnam speciem doctri- » næ , sapientiæque præsetulerint , audiuntur , leguntur , ediscuntur , & » inhærescunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem , quasi » maximus quidam magister populus , atque omnis undique ad vitia » consentiens multitudo , tum plane inficimur opinionum pravitate. " Hinc adeo in Ethnicis confirmatus fuit Polytheismi error , ut ipse Cicero ib. corporis curandi tuendique artem , deorum immortalium inventioni consecratam referat.

(3) Q. 11. de verit. a. 1.

(4) Nam ut advertit S. Thomas loc cit. » Contingit in scientiæ acqui-

vel proponant tamquam principia vera, ea quæ falsa sunt (1); vel non recte applicent principia vera, deducendo ex illis per sophismata conclusiones falsas (2); & rursus ex hisce falsis conclusionibus ad alias falsas progrediendo (3). Itaque magistri non recte, vel non recta docentes, externæ sunt falsitatis judiciorum causæ (4).

» sitione, quod eodem modo docens alium, ad scientiam ignotorum » deducit inveniendo, sicut si aliquis deducit seipsum in cognitionem » ignoti: processus autem rationis provenientis ad cognitionem ignoti » in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad » determinatas materias, & inde procedat in aliquas particulares con- » clusiones, & ex his in alias: unde & secundum hoc unus alium » docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in se facit ratio- » ne naturali, alteri exponit per signa; & sic ratio naturalis discipuli » per hujusmodi sibi proposita, sicut per quædam instrumenta perve- » nit in cognitionem ignotorum. "

(1) Ira inter alios Benedictus Spinoza, qui Ethic. p. 1. prop. 14. tamquam principium statuit, *præter Deum nullam dari neque concipi posse substantiam.* Et Coroll. prop. 6. infert, *substantiam ab alio produci non posse.* Hæc autem deducit ex definit. 3. *per substantiam intelligo id quod in se est, & per se concipitur.* Quæ definitio si ita intelligatur, ut omnis substantia in se & per se tali modo sit, ut excludat relationem ad quamcumque aliam substantiam tamquam ad causam, falsissima est. Itaque vel hac unica ratione corruit integrum impiissimum Spinozæ systema.

(2) Hujusmodi est hæreticorum consuetudo, qui ex Sacris Scripturis male interpretatis falsa concludunt dogmata. *Non te capiat hæreticus* (inquit S. Ambrosius l. 4. in Luc. n. 26.) *quia potest de Scripturis aliqua exempla proferre, nec sibi arroget quod doctus videtur. Utitur & diabolus testimoniis Scripturarum, non ut doceat, sed ut circumscribat, & fallat.*

(3) Ut enim ait Chrysostomus 2. ad Timot. Hom. 5. » Infinitus fit » error ejus, qui tranquillam fidamque stationem littoris egressus, per » devia cœperit vagari. "

(4) Quanta mala sequantur ex disciplina magistrorum non recta docentium explicari vix, defleri autem ne vix quidem potest. Nam quæ causa est, cur hoc præsertim sæculo tantum excreverit incredulorum hominum numerus, qui omnem Religionem exuerunt, eique bellum aperte indixerunt, nisi ex auditis impiis magistris, exve lectis eorum libris? Juniores Philosophi cum hoc argumentum versant, toti sunt in exaggerandis præjudiciis vulgaris Philosophiæ Scholasticorum. Sed minime animadverterunt, se suo, ut dicitur, gladio jugulari. Quis enim nesciat, epocham multiplicatæ incredulitatis inchoandam esse ex effræni libertate philosophandi, quam recentiores nonnulli Philosophi

891 Ad primum dicendum cum S. Thoma (1), *verba Doctoris audita, vel visa in scripto, hoc modo se habere ad causandam scientiam in intellectu, sicut res quæ sunt extra animam, quia ex utrisque intellectus intentiones intelligibiles accipit, quamvis verba doctoris propinquius se habeant ad causandam scientiam, quam sensibilia extra animam existentia, in quantum sunt signa intelligibilium intentionum.*

892 Ad secundum dist. min. resolvere ad principia per se nota pertinet ad intellectum, tamquam causam principalem, conc. tamquam ad instrumentum, ut fiat resolutio, nego. Tale enim instrumentum sunt verba magistri docentis, quibus dicipulus utitur, ut conclusiones ad principia resolvat. Et quia multoties magister docens deficit à veritate, vel male resolvens in principia vera, vel resolvens in principia falsa; idcirco fit discipulo occasio falsitatis judiciorum.

---

invexerunt, quaque ipsi utentes, in absurdissimos errores prolapsi sunt, ac libris editis, occasionem aliis errandi præbuerunt? Adolescentes enim ita sunt comparati, ut facile amplectantur, quod à magistris audiunt, vel in libris legunt, præsertim si quæ audiunt, vel legunt, conferant ad fovendas passiones. Quare mirum esse non debet, si jacto principio libertatis omnia sentiendi, magistris, & libris impiis se adjungant. Ita impietas propagatur: nam ex discipulis impiis impiores magistri evadunt. Missis igitur regulis, quas Recentiores excogitarunt ad præcavendos errores ex causis externis provenientes, hanc unicam statuimus desumptam ex Epist. S. Hieronymi ad Lætam de institutione filiæ: *Magister probæ ætatis, & vitæ, atque eruditionis est eligendus.... Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est. Græcorum narrat historia, Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu, Leonidis pædadogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus. Proclivis est enim malorum æmulatio: & quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia.* Idem de libris est dicendum, eoque magis, quia libri perversa dogmata continentes, non modo imperitis, & semidoctis, sed eruditis etiam viris, si ex curiositate, & absque necessitate legantur, subversionis periculum creant; multoties enim in doctis hominibus fides est infirmior, quam in indoctis. *Cavendum ergo est*, ut præcipit S. Leo Epist. 15. *ut falsati codices, & à sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur.*

(1) Q. 11. de ver. a. 1. ad 11.

QUÆSTIO XXIII.

De emendandis judiciorum defectibus.

893 Post enumeratas causas falsitatis judiciorum, nunc remedia sunt adhibenda; nisi enim præjudicia deposita fuerint, aditus veritati patere nequit (1). Cartesius non aliter præjudiciis occurrendum existimavit, quam per universalem dubitationem (2). Itaque: 1. quæremus de universali dubitatione, an conferat ad emendandos judiciorum defectus: 2. quæ sint potiora remedia pro hujusmodi defectibus emendandis, investigabimus.

ARTICULUS I.

Utrum ad emendandos judiciorum defectus conferat universalis dubitatio (3).

894 Videtur ita esse: I. quia qui præjudiciis sunt præpe-

(1) Athenagoras l. de Resurrectione mortuorum n. 1. *Neque, ait, terræ semina convenienter agricola mandari possit; nisi prius sylvestrem materiam, ac bonis seminibus nocentem evulserit; nec medicus salutare pharmacum ægroto corpori dare, nisi prius residentem viscositatem expurget, aut irruentem cohibeat. Sic qui veritatem docere vult neminem possit de veritate disserens docere, delitescente in audientium animo falsa aliqua opinione, & iis quæ dicuntur obstante.*

(2) 1. p. Princip. n. 1. *Multis præjudiciis*, inquit, *à veri cognitione avertimur; quibus non aliter videmur posse liberari, quam si semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus.*

(3) Non defuere, qui Cartesium ob inductam universalem dubitationem, Scepticis arma præbuisse dixerint, ad evertendam omnium rerum certitudinem, ut Samuel Parkerus *De Deo, & Prov. Div. Disp. 6. sect. 15.* & Petrus Daniel Huetius *in Censura Phil. Cartes. c. 1. §. 15.* Non defuere etiam qui eumdem Cartesium Atheismi accusarunt, ut inter alios Gisbertus Voëtius. Vide, si licet, Franc. Buddeum *Traité de l' atheisme, & de la superstition c. 1. §. 25.* Sed ut vera fateamur, dubitatio Cartesiana multum distare videtur à dubitatione Scepticorum: nam Sceptici ideo dubitabant, quia arbitrabantur interclusam esse hominibus viam certæ veritatis inveniendæ: Cartesius autem dubitationem invexit ad deponenda præjudicia, ut demum veritati certæ pateret aditus. Ita enim scribit Medit. 1. » Animadverti jam ante aliquot annos

diti, eodem loco habent sua præjudicia, ac principia per se nota. Igitur ut præjudicia deponantur, expedit universalis dubitatio.

895 II. Ut baculus curvus fiat rectus, eum inflectimus in oppositam partem. Ergo similiter ut mentem ob præjudi-

---

» quam multa ineunte ætate falsa pro veris admiserim, & quam dubia » sint quæcumque istis postea superextruxi, ac proinde funditus omnia » semel in vita esse evertenda, atque à primis fundamentis denuo in- » choandum, si quid aliquando firmum, & mansurum cupiam in » scientiis stabilire. " Multo magis absolvendus est Vir Catholicus ab atheismi nota. Etsi enim, ut Buddeus observat loc. cit. Cartesii rationes ad probandam Dei existentiam, minime concludant, ut alibi ostendemus; non ideo tamen ille numerari inter Atheos debet; conatus enim fuit Dei existentiam probare, neque umquam ex animo in dubium vertit Deum existere. » Monebo (*inquit Cartesius Not. ad a.* 12. *Program. Belg.*) me numquam docuisse, Deum esse negandum, vel » ipsum nos posse decipere, vel de omnibus esse dubitandum..... sed » omnia ista expressissimis verbis rejecisse, validissimisque argumentis » refutasse: quod ut commodius præstarem, proposui initio Meditatio- » num mearum ista omnia tamquam dubia, quæ non à me primum » fuerunt inventa, sed à Scepticis dudum decantata. Quid autem ini- » quius, quam tribuere alicui Scriptori opiniones, quas eo fine tan- » tum refert, ut eas refutet?" Vide Dissert. de Methodo pag. 18. Verum etsi ab hisce notis Cartesium absolvamus, nullo modo probare possumus ejus consilium dubitandi etiam de existentia rerum sensibilium etiam de mathematicis demonstrationibus, etiam de principiis per se notis, ut ipse docet 1. p. Princ. §. 4. sq. Quæ enim utilitas, vel necessitas (ut Sturmius advertit Exercit. 3. de Cartesianismo) hujusmodi dubitationum, nisi forte eo casu quo cum Sceptico disputaremus, qui omnia principia etiam per se nota negaret? Sed in eo etiam casu ad convincendum Scepticum satis esset, omnia quæ negat, indisputata relinquere, & ab eo initium disputandi sumere quod Scepticus non posset in dubium vertere, se, scilicet, existere, quia dubitat, nisi enim esset, dubitare non posset; quemadmodum S. Augustinus l. 3. con. Acad. c. 3. n. 6. ex eo quod Sceptici concedebant, philosophum esse sapientem, probat, sapientem saltem scire sapientiam. Est etiam hæc universalis Cartesii dubitatio periculi plena. Quod ipse Cartesius animadvertit Dissert. de Meth. pag. 9. sq. *Vereor*, inquit, *ne hoc ipsum quod suscepi, tam arduum, & difficile sit, ut valde paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes, quibus olim fuimus imbuti, deponamus, non unicuique est tentandum. Et maxima pars hominum sub duobus generibus continentur, quorum neutri potest convenire. Nempe permulti sunt, qui cum plus æquo propris ingeniis confidant, nimis celeriter solent judicare, numquamque satis temporis sibi sumunt ad rationes omnes circumspiciendas, & idcirco si semel ausint opiniones*

cia à veritate deviam, in ipsam convertamus, inflectenda erit per dubitationem in oppositam falsitatem.

896 III. Ignoramus, an forte Deus nos tales creare voluerit, ut semper fallamur etiam in iis quæ notissima apparent. Ergo prudenter possumus de his etiam dubitare.

Propositio I *Dubitatio si de principiis per se notis instituatur, inepta est, impossibilis, & cognitioni veritatis noxia.* II. *Si de aliis propositionibus certis instituatur disputationis causa, utilis est* : III. *De propositionibus autem incertis necessario est instituenda.*

897 Prob. 1. p. rationibus S. Thomæ (1). Et quidem quod dubitatio de principiis per se notis sit inepta, patet; nam ineptum est de iis rebus dubitare; quæ non solum per se veræ sunt, sed necesse est etiam videri omnibus per se veras. Atqui principia per se nota, quæ S. Thomas (2) vocat *communes animi conceptiones*, non solum per se vera sunt, sed etiam necesse est, ea omnibus videri per se vera (3): sic nemo non videt, omne totum esse majus sua parte; bis tria esse sex, non posse idem simul esse, & non esse &c. Igitur ineptum est dubitare de principiis per se notis.

---

omnes vulgo receptas in dubium revocare, & velut à trita via recedere, non facile illi semitæ quæ rectius ducet, semper insistent, sed vagi potius, & incerti in reliquam vitam aberrabunt, alii vero ferme omnes, cum satis judicii, vel modestiæ habeant ad existimandum, nonnullos esse in mundo, qui ipsos sapientia antecedant, & à quibus possunt doceri, debent potius ab illis opiniones quas sequuturi sunt accipere, quam alias proprio ingenio investigare. Igitur Cartesio ipso teste ejus universalis dubitatio periculorum plena est. In hæc autem pericula se dejiciens Cartesius, postquam de principiis etiam per se notis dubitandum statuerat ad exuenda præjudicia, in tot ac tanta præjudicia prolapsus fuit, ut 3. p. Princ. §. 45 scripserit se ad explicanda naturæ phœnomena *hypotheses nonnullas assumpturum, quas constat esse falsas,*

(1) 1. Poster. lec. 19.

(2) Ibid. » Proprium est, *inquit*, horum principiorum, quod non » solum necesse est, ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, » quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria » eorum. «

(3) Adeatur Cicero l. 3. Acad. ubi ait : » Necesse est, ut lancem in » libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere. «

898 Est etiam impossibile : nam ut advertit S. Thomas (1). *Communis animi conceptio non est ad exterius rationem, quia non potest probari per aliquam argumentationem* (2); *sed est ad eam rationem quæ est in anima, quia lumine naturali intellectus statim fit nota.* Fieri ergo non potest, ut quis dubitet de principiis per se notis ; si enim de illis dubitaret, è dubio non posset aliter emergere, quam per argumentationem quod esse non potest.

899 Quod autem dubitatio illa sit veritati noxia, sequitur ex dictis. Si enim nemo potest cogitare contraria principiis per se notis, cum quis de illis dubitat, vim veritati infert (3).

900 Prob. 2. p. ex eodem (4), qui inquirens, an liceat disputare, utrum Anima Christi sit ex traduce? respondet : *Non video, quare hoc non liceat, cum quotidie in Scholis Magistrorum disputetur etiam de aliis articulis Fidei, non propter dubitationem sed propter veritatis intellectum, & manifestationem, & confirmationem.* Expedit ergo, ut de propositionibus certis instituantur dubitationes, sive potius disputationes ; qui enim de illis disputant, non ipsi dubitant, sed potius dubitantis personam induunt : nam propositis objectionibus adversariorum, iisque postea solutis, veritas magis apparet (5). Quare numquam non licuit quærere, utrum Deus sit? utrum vera sit Christiana Religio &c.

---

(1) Loc. cit.

(2) Clemen. Alex. Strom. 8. » Aut omnia, *inquit*, egent demonstra» tione, aut etiam quædam ex iis sunt credibilia. Sed si prius quidem » verum est : uniuscujusque demonstrationis petentes demonstrationem, » procedemus in infinitum, & sic evertetur demonstratio : sin autem » secundum, ea ipsa quæ sunt ex se credibilia, erunt principia demons» trationum. Jam vero Philosophi fatentur esse indemonstrabilia prin» cipia universorum : quamobrem si est demonstratio, necesse est prius » esse aliquid ex se credibile, quod quidem dicitur primum, & inde» monstrabile. "

(3) Vide S. Thom. loc. cit. (4) Opusc. 10. a 32.

(5) Hinc S. Augustinus l. 16. de Civ. c. 2. » Multa, *inquit*, ad fidem » catholicam, pertinentia, dum hæreticorum calida inquietudine exagi» tantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius » & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab adversario » mota quæstio, discendi existit occasio. " Vide quæ diximus ex S. Tho» ma §. 49.

901 Prob. 3. p. ex eodem S. Thoma (1). Cum propositiones incertæ sunt, veritas non patet; est igitur inquirenda. Sed non aliter inquiri potest, quam per dubitationem, nisi enim quis dubitet, non movetur ad inquirendum; vel si inquirat, nescit quo vadat, aut quo pervenire debeat (2). Itaque de propositionibus incertis dubitatio necessario instituenda est (3).

902 Ad primum neg. ant. nam præjudicia numquam haberi possunt in eo certitudinis gradu, ut assensum mentis extorqueant, quemadmodum principia per se nota, ut dictum est (4).

903 Ad secundum neg. cons. & retorquetur argumentum; nam sicut inepte quis ageret, si baculum rectum in curvitatem inflecteret; ita male quis per dubitationem inflecteret mentem jam rectam circa principia per se nota in oppositam falsitatem.

904 Ad tertium neg. ant. lumine enim naturæ constat, Deum summam veritatem neminem in errorem inducere posse, etsi aliquando permittat, aliquos errare.

---

(1) 3. Metaph. lect. 1.

(2) S. Thom. loc. cit. *Illi*, inquit, *qui volunt inquirere veritatem, non considerando prius dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt quo vadunt. Et hoc ideo, quia sicut terminus viæ est illud quod intenditur ab ambulante; ita exclusio dubitationis est finis qui intenditur ab inquirente veritatem. Manifestum est autem, quod ille qui nescit quo vadat; non potest directe ire, nisi forte à casu. Ergo nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi prius videat dubitationem.* Et infra: *Sicut ex hoc quod aliquis nescit quo vadat, sequitur, quod quando pervenit ad locum, quem intendebat, nescit, utrum sit quiescendum, vel ulterius eundem; ita etiam quando aliquis non cognoscit dubitationem, cujus solutio est finis inquisitionis, non potest scire, quando invenit veritatem quæsitam, & quando non, quia nescit finem suæ inquisitionis, qui est manifestus ei qui primo dubitationem cognovit.* Vide quæ diximus §. 94. & not.

(3) Quare Cicero l. 1. de nat. deor. scribit: » Quid tam temerarium, » tamque indignum sapientis gravitate, atque constantia, quam aut fal» sum sentire, aut quod non satis explorate compertum est, & cognitum, » sine ulla dubitatione defendere? «

(4) §. 896.

ARTICULUS II.

Utrum aliqua sint remedia pro emendandis judiciorum defectibus.

905 Videtur nullum esse remedium: I. quia ut supra dictum est (1), omnis nostra cognitio oritur à sensibilibus corporibus: corpora autem sunt pene infinita, pene etiam infinitus est numerus sensationum. Quis autem hæc ita componet, ut consona sint (2)?

(1) §. 419. sqq.

(2) Antonius Genuensis postquam Canones ad emendandos judiciorum defectus magno numero statuit cum in Elementis Artis Logic. crit. lib. 1. c. 3. sqq. edit. ann. 1753. tum in Instit. Log. l. 1. c. 3. sqq. edit. an. 1766. tum in Log. Ital. l. 1. c. 2. sq. tandem ib. c. 4. §. 16. animadvertit: » Tutte le nostre prime cognizioni son sensazioni, ò fenomeni de' corpi, è le scienze, senza eccettuarne alcuna, ò hanno per » oggetto questi corpi, cioè, questi fenomeni di sensazioni, ò vi son » fondate, come su la prima loro base.“ *Universæ primæ cognitiones nostræ, sunt sensationes, aut phænomena corporum, scientiæque, ne una quidem excepta, aut hæc corpora, id est, hæc phænomena sensationum pro objectis habent, aut in ipsis tamquam in prima eorum basi sunt fundatæ.* Deinde §. 18. quærit: » Qual rimedio? “ *Quodnam erit remedium?* Et respondet: » Perchè i corpi non c' ingannino, non ce » n' ha nessuno nella Filosofia.“ *Ne corpora nos decipiant, nullum est in Philosophia remedium.* Vide quam sibi manifeste contradicat. Si enim omnes primæ cognitiones nostræ sunt sensationes, sive phænomena corporum; si omnes scientiæ, nulla dempta habent pro objectis corpora, vel corporibus tamquam basi nituntur; si denique nullum in Philosophia remedium est, ne corpora nos decipiant; primæ cognitiones nostræ, deceptiones erunt. Si autem primæ cognitiones deceptiones sunt, quid erit de reliquis? Itaque semper decipiemur. Jam vero si corpora semper nos decipiunt, neque ullum est remedium, ne decipiamur; quæ erat causa, cur Genuensis utramque impleret paginam, Canones præscribendo, quibus judicia reformaremus? Sed ille pergit ibidem, & §. 14. quærit. “ 1. E' egli vero, che ogni errore nuoce all' uomo? 2. » E' egli espediente, che gli vomini si disingannino da tutt' » i loro pregiudizj? *Estne verum, quod omnis error homini nocet? Expeditne, homines omnia exuere præjudicia?* Subdit: » Rispondo ad am- » bedue, di nò. “ *Negative ad utrumque respondeo.* Et §. 15. » Dun- » que l' error che nuoce, è che si vuole ad ogni modo sterpare, è quel- » lo, il quale nouce alla virtù, è alle arti. “ *Igitur qui nocet error, & qui omnino debet evelli, ille est, qui virtuti, & artibus nocet.* Quod error lædens virtutem, & artes, sit præcipua cura vitandus, nemo um-

906 II. Judicia sunt vera, quoties veri sunt respectus idearum inter se. Sed infinitæ pene sunt ideæ in mentibus hominum; infiniti sunt etiam idearum respectus. Nemo igitur umquam certus esse poterit veritatis judiciorum; ideoque nullum erit remedium judiciis emendandis.

Propositio. *Unicum constituimus remedium defectibus judiciorum, diligens examen in rebus incertis, & obscuris.*

907 Prob. Omnis judiciorum nostrorum defectus in eo consistit, quod, mens in rebus incertis (1), & obscuris (2) affirmat

---

quam inficiatus est; virtutes enim ad mores pertinent; artes ad statum politicum Reipublicæ. Vide S. Thomam Opusc. 20. l. 1. c. 1. Sed quod cæteri errores neque noceant homini, neque sint expellendi, id vehementer negamus. Proprium enim est hominis operari secundum rationem; nam veritas quæ quidem est secundum rationem, est proprium objectum intellectus: omnis autem error est contra rationem; est igitur contra id quod est proprium hominis. Insuper, quilibet homo naturaliter quærit scire veritatem, adeoque naturaliter refugit falsitatem. Cur eam refugit, nisi quia ipsi nocet? & si nocet, cur non erit expediens, deponere, si fieri possit, omnia præjudicia, id est, omnem falsitatem? Quam diversa fuit S. Augustini responsio: nam in lib. de utilit. cred. c. 11. *neque*, ait, *quisquam error turpitudine caret.* Et in Enchir. c. 17. *Error quanta possumus cura cavendus est, non solum in majoribus, verum etiam in minoribus rebus..... Usque adeo rationalis natura refugit falsitatem, & quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere.*

(1) Diximus *in rebus incertis*; nam si certæ omnino sint, ut principia per se nota, & propositiones evidenter ex ipsis deductæ, necesse non est examen instituere. *Quis aberrabit à janua?* Nam ut advertit S. Thomas 2. Metaph. lect. 1. » Sicut circa ipsum introitum domus, qui » omnibus patet, & primo occurrit, nullus decipitur; ita etiam est » in consideratione veritatis. «

(2) Cum res obscuras nominamus, excipimus mysteria Fidei, quæ licet obscura sint, habent tamen summam certitudinem ex auctoritate Dei revelantis. De his autem etsi examen institui non debeat, ad ea probanda ratione naturali; *quis* enim, inquit Clemens Alex. Strom. 5. *est adeo impius, & à Deo alienus, ut Deo non credat, & probationes à Deo postulet tamquam ab hominibus?* nihilominus examen institui potest cum adversus impios ad demonstrandum illa esse evidenter credibilia, tum ad solvendum adversantium sophismata. Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 8.

de subjecto prædicatum quod illi non convenit, vel negat prædicatum quod illi convenit (1). Atqui instituto diligenti examine, vel certo, & evidenter deprehenditur, quodnam sit prædicatum quod subjecto convenit; vel si id deprehendi nequit, aut suspenditur judicium, aut ita judicatur, ut non certe, sed probabiliter prædicatum de subjecto enuncietur. Diligenti igitur instituto examine, caventur judiciorum defectus (2).

908 Ad primum dicimus, cognitionem nostram, licet à

---

(1) Nam ut ait S. Augustinus Enchir. c. 17. *Aliud nihil est errare, quam verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum sit, sive verum.* Hinc errat qui rem certam putat probabilem, & qui rem probabilem putat certam.

(2) Hoc uno remedio omnibus præjudiciis occurritur. Nam: 1. si errores oriantur ex sensibus; instituto examine, & ratione in consilium adhibita, facile corriguntur. Ita sol qui videtur figuræ quasi bipalmaris, deprehenditur ratione esse pluribus vicibus terra major. Examen ut recte fiat: in rebus physicis accurata institui debent experimenta, vel saltem ab aliis, iisque præstantioribus instituta seligenda sunt, & cum ratione conferenda: 2. Si defectus oriantur ex intellectus sive brevitate, sive imbesillitate, aut ex memoriæ debilitate, aut ex libidine omnia sciendi, aut ex neglecto sciendi ordine, aut ex judicii præcipitatione; remedium quoque habetur in diligendi examine. Hæc enim vitia effugere qui volet, *adhibebit*, ut monet Cicero l. 1. de offic. *ad considerandas res, & tempus, & diligentiam*: 3. Si defectus oriantur ex voluntate, iis attentione medemur; attentio autem habetur, cum diligens examen instituitur: 4. Eodem modo medemur defectibus, qui ex inordinatis affectibus proveniunt; nam diligens examen fieri non potest ab eo, qui inordinatis affectuum motibus detinetur: itaque si fiat, necesse est, motus illos esse cohibitos: 5. Defectibus qui oriuntur ex corpore, simili ratione occurritur; etsi enim temperamenta mutari non possint, nihilominus instituto examine, deprehenditur, an judicia sua temperamento corporis, an veritati mens conformaverit: 6. Denique si præjudicia oriantur ex causis externis; in eodem examine medicina habetur; ita enim fit, ut qui alterius sententiæ subscribit, non sola auctoritate, sed & ratione ducatur. Hic autem præ oculis habendum est S. Augustini monitum Epist. 155. al. 52. c. 2. » Quædam acutissima, & » excellentissima ingenia tanto in majores errores ierunt, quanto præ» fidentius tamquam suis viribus cucurrerunt, nec suppliciter, ac vera» citer Deum, ut sibi viam ostenderet, petiverunt." Etsi enim, ut ab erroribus emergamus, humana media non sint prætermittenda; Dei tamen auxilium implorare quisque humiliter debet: unde de Angelico Doctore scriptum est, numquam se lectioni, aut scriptioni dedisse, nisi post orationem.

corporibus oriatur, non tamen sistere in ipsis corporibus singularibus à quibus oritur; versatur enim circa rationes universales, quæ eædem sunt apud omnes, ut supra dictum est (1).

909 Ad secundum dicendum, non oportere, ut judicia vera sint, cognoscere omnium idearum respectus; sed satis esse, ut cognoscatur, in iis quæ cognoscuntur, prædicatum convenire subjecto: quod, instituto examine, fit in iis quæ sunt incerta, & obscura.

QUÆSTIO XXIV.

De Criterio veritatis.

910 Quia defectibus judiciorum mederi diximus per diligens examen, necesse est explicare quomodo recte diligenterque fiat hujusmodi examen. Recte autem fieri non potest, nisi aliqua statuatur veluti norma, ad cujus amussim fieri debeat. Hæc norma, sive instrumentum judicandi, dicitur Criterium (2). Res autem de quibus judicia formari possunt, sunt: 1. mysteria Fidei: 2. res sensibiles: 3. res intelligibiles: 4. res quæ nituntur auctoritate humana. Quodnam in his Criterium sit exigendum, quæremus.

---

(1) Vide nota 3. pag. 282.

(2) Κριτήριον non accipitur hoc loco, neque pro tribunali judicis, neque pro loco judicii, neque pro re dijudicanda, sed pro judicandi instrumento, sive regula, & canone. Vide Plutarchum l. 1. adv. Colotem. Empiricus l. 1. adv. Log. & l. 2. Hypot. 4. triplex distinguit Criterium, *à quo*, *per quod*, *secundum quod*, ita ut Criterium *à quo* sit ipse homo judicans; Criterium *per quod* sit facultas sive intellectus, per quem homo judicat; Criterium *secundum quod* sit norma qua judicatur. De hoc postremo hic agimus, quod Cicero l. 4. Acad. vocat *propriam veri, ac certi notam*; & Ac. 6. *regulam veri & falsi*. Hujusmodi Criterium haberi posse Scepticorum plurimi negarunt, quos infra impugnabimus.

ARTICULUS I.

Utrum in iis quæ ad Fidem pertinent, ratio humana sit legitimum Criterium.

911 Duos hìc errores impugnandos aggredimur, alterum eorum, qui mysteria Fidei ratione humana dimetiuntur (1); alterum eorum, qui putant aliqua esse posse philosophice vêra, & Theologice falsa (2).

912 Videtur autem I. ratio humana esse legitimum criterium in rebus revelatis, quia nisi constet, Deum esse qui revelavit, nullatenus possumus esse certi de rebus revelatis. Sed quod Deus sit qui revelavit, ratione constat. Ergo in rebus revelatis ratio humana est legitimum Criterium.

913 II. præterea ad ea quæ sunt Fidei probanda, Sacri Doctores sæpe utuntur rationibus. Ergo.

914 III. Videtur etiam posse dari aliquod philosophice verum, & Theologice falsum : nam hoc principium : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, falsum est in mysterio SS. Trinitatis.

---

(1) Vetus hic erat Manichæorum error, qui ut S. Augustinus scribit l. de util. cred. c. 1. *se dicebant, terribili auctoritate separata, mera ac simplici ratione eos qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & omni errore liberaturos.* Idem est Socinianorum, imo omnium hæreticorum error, qui respuentes Ecclesiæ magisterium, non aliter credunt quædam mysteria revelata, alia respuunt, nisi quia ipsis ita videtur. *Conantur*, ait S. Augustinus Epist. 118. al. 56. c. 5. *auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ quasi rationis nomine, & pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas.*

(2) Sic Pompanatius adserebat, animam rationalem esse corruptibilem, spectato rationis lumine, incoruptibilem vero esse, si Fidei divinæ auscultemus. Sic etiam Bernardus Lamius in proposit. præliminaribus ad suam Physicam : *Theologorum*, inquit, *est demonstrare, Christianam Fidem rationi non adversari : Philosophi solam rationem sequuntur, & illius solo lumine rerum naturam scrutantur; quapropter etsi res aliter se habere Religio ipsa doceret, non inde sequeretur eorum placita esse reprobanda.* Idem in ore plurimorum recentium philosophorum auditur, qui cum premi se intelligunt argumentis ex revelatione desumptis, ea solvisse putant, respondendo, se non Theologos, sed philosophos agere.

Propositio. I. *Ratio humana in rebus Fidei nequit esse legitimum criterium* : II. *Nec potest dari aliquod philosophice verum, & Theologice falsum.*

915 Prob. p. 1. Humana ratio non potest se extendere, nisi ad ea quæ naturæ lumine nota sunt (1); quæ enim supra naturam sunt, naturalem hominis captum excedunt. Atqui ea quæ propriè ad Fidem pertinent nequeunt esse nota lumine naturæ, cum sint supernaturalia (2). Ratio igitur humana nequit esse legitimum criterium in rebus Fidei; sed criterium est ipsa divina revelatio, prout ab Ecclesia Catholica tenenda proponitur (3).

916 Prob. 2. p. ratione S. Thomæ (4). Licet ea quæ Fides Christiana credenda proponit, rationis humanæ capacitatem excedant, non sunt tamen contraria iis quæ ratio naturalis indita habet: ea enim quæ naturaliter rationi insita sunt, ita sunt vera, ut falsa esse ne cogitari quidem possit : ea item, quæ Fide tenentur, verissima sunt, cum divina auctoritate nitantur, quæ est omnino infallibilis. Atqui verum vero non opponitur (5); nam sola falsitas veritati contraria est. Ea igitur quæ ratio naturaliter cognoscit, non possunt esse contraria iis, quæ

(1) Vide S. Irenæum l. 2. adv. hær. c. 47. S. Just. M. in Cohort. ad Græc. n. 8. S. Hilar. l. 4. de Trin. n. 14. & S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

(2) Si enim nota essent lumine naturæ, jam essent visa; adeoque destrueretur Fides, quæ est *argumentum non apparentium*, ut ait Apostolus Hebr. 11. v. 1.

(3) Hinc S. Augustinus con. Epist. fundam. c. 6. ajebat: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ* (Ecclesiæ) *commoveret auctoritas.*

(4) 1. con. Gent. c. 7.

(5) Vide sess. 8. Concilii Lateranensis V. ubi Leo X. sacro approbante Concilio, sic habet: » Cum diebus nostris zizaniæ seminator, » antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores à » fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare, & auge» re, sit ausus, de natura præsertim animæ rationalis, quod videlicet mor» talis sit, aut unica in cunctis hominibus: & nonnulli temere philosophan» tes, secundum saltem philosophiam verum id esse asseverent. Cum» que verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati il» luminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus &c.

Fides docet (1). Essent autem contraria, si essent philosophice

(1) Baëlius Tom. 3. *Repon. au Provinc.* pag. 999. ab hac sententia discedens, pronunciat; mysteria Fidei non esse contra, neque supra rationem, si nomine rationis intelligatur ratio quæ est in Deo; esse autem tam supra, quam contra rationem, si intelligatur ratio naturalis quæ in homine est. Et in Dictionario in Adnot. ad v. *Manichæus*: » Manifestum est, *inquit*, rationem non posse pervenire ad illud, quod » est supra ipsam. Jam vero si posset diluere objecta, quæ impugnant » dogmata Trinitatis, & Unionis Hypostaticæ, attingeret hæc Mysteria; » itaque inflecteret, quousque ea convenire monstraret cum primis » principiis, aut cum iis quæ inde colliguntur, atque idcirco cum na- » turali ratione. Ergo præstaret id quod ipsius prætergreditur vires, » & limites, quibus circumscribitur transiliret. Quod prorsus repug- » nat. Manet igitur, eam non posse suis contra ipsam objectis respon- » sa suppeditare, quæ idcirco victricia perstant, nisi quis ad Dei auc- » toritatem confugiat." Genuensis Log. Ital. l. 5. c. 5. §. 23. hæc Baëlii sophismata, ex parte adoptat, docens, *esse in Theologia quædam problemata quæ ab iis qui bona fide philosophantur, & unice ob amorem veritatis, & pacis, habenda sunt tamquam insolubilia.* Horum unum ait esse, *Cur Deus permisit malum.* Quod est illud ipsum Baëlii problema, quo Manichæismus nitebatur. Itaque per Genuensem Manichæi victrices adhuc perstant, eorumque objectum non modo non est dissolutum, sed ne dissolvi quidem potest. Præclarus certe cum Baëlio Manichæorum advocatus. Non est hujus loci Manichæorum objecto respondere; præstabimus in Metaphysica, Deo auspice. Nunc autem habetote responsionem jampridem ad sophismata Baëlii adhibitam à S. Thoma. Ait ille, mysteria Fidei non esse contra rationem quæ in Deo est, esse contra rationem, quæ est in homine. Atqui S. Thomas 1. con. Gen. c. 7. » Principiorum, *inquit*, naturaliter notorum cognitio » nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor naturæ. Hæc er- » go principia etiam divina sapientia continet: quidquid igitur princi- » piis hujusmodi contrarium est, est divinæ sapientiæ contrarium; non » igitur à Deo esse potest. Ea igitur, quæ ex revelatione divina per » fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria." Cum igitur divina Sapientia contineat naturalem cognitionem, quæ in homine est ex principiis naturaliter notis; si mysteria Fidei essent contra rationem naturalem, quæ in homine est, essent etiam contra rationem, sive Sapientiam quæ in Deo est. Baëlius autem fatetur, illa non esse contra rationem, quæ est in Deo; igitur fateatur oportet, nec etiam esse contra rationem, quæ est in homine. Baëlius ergo seipsum conficit. Deinde quod ait, rationem, si dissolvere objecta posset quæ impugnant mysteria Fidei, eo denique perventuram, ut hæc mysteria attingeret, monstraretque convenire cum primis principiis, & cum ratione naturali; plane ostendit, quam ille sit imperitus. Aliud est

vera, & Theologice, sive secundum Fidem Catholicam falsa (1). Fieri ergo non potest, ut aliquid sit philosophice verum, & Theologice falsum (2).

---

enim dissolvere argumenta quæ contra mysteria fiunt; aliud eadem mysteria probare ex principiis rationis naturalis. Qui argumenta dissolvit, non probat mysteria, sed probat argumenta illa nihil probare. » Hæc » doctrina, *ait S. Thomas 1. p. q. 1. a. 8.* non argumentatur ad sua prin» cipia probanda, quæ sunt articuli Fidei; sed ex eis procedit ad ali» quid ostendendum.“ Et paulo post: » Disputat cum negante sua prin» cipia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eo» rum, quæ per divinam revelationem habentur ... Si vero adversarius » nihil credat eorum, quæ divinitus revelantur, non remanet amplius » via ad probandum articulos Fidei per rationes, sed ad solvendum » rationes, si quas inducit contra Fidem. Cum enim Fides infallibili » veritati innitatur; impossibile vero sit de vero demonstrari contra» rium; manifestum est, probationes quæ contra Fidem inducuntur, » non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.“ Non ergo ratio humana cum dissolvit argumenta contra mysteria Fidei, prætergreditur vires, & limites quibus circumscribitur; quandoquidem ostendit tantummodo argumenta illa dissolvi posse, cum falsitatem contineant. Nullum proinde est argumentum contra Mysteria Fidei, quod solvi nequeat.

(1) Hinc S. Augustinus Epist. 143. al. 7. n. 7. scribit: » Si ratio con» tra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta » sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. Rursus si ma» nifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur » auctoritas, non intelligit qui hoc facit, & non Scripturarum illarum » sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit ve» ritati: nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, » opponit.“

(2) Hac autem in re præ oculis est habenda S. Thomæ animadversio Opusc. 9. » Multum, *inquit*, nocet, talia quæ ad pietatis doctrinam » non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram » doctrinam ... Quod autem obsit, manifestat Augustinus in 1. super » Gen. ad litt. (cap. 19. n. 39.) *Turpe est*, inquit, *nimis, & perniciosum, » ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum » Christianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audeat, » ut quemadmodum dicitur, toto cœlo oberrare conspiciens, risum » tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo vi» deatur: sed quod auctores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse » creduntur: & cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, » tamquam indocti reprehenduntur, & respuuntur.* Unde mihi videtur » tutius esse, ut hæc quæ Philosophi communes senserunt, & nostræ fi» dei, non repugnant, nec sic asserenda, ut dogmata fidei, licet ali-

917 Ad primum neg. min. nam quod Deus sic revelaverit, constat nobis ex Ecclesia proponente; si enim, ut Lockius ait (1), ratione constare deberet, an res de qua disputatur, sit revelata, necne, jam nemo crederet, nisi ratione ductus; adeoque id solum crederet quod ipse putaret, esse à Deo revelatum: quod autem ipse putaret, non esset infallibile; quisque enim in iis quæ per se evidentia non sunt, falli potest: itaque nemo posset esse infallibiliter certus, quod Deus revelaverit; nulla igitur esset omnino certa revelatio; adeoque nulla fides, nulla revelata religio (2). Non ideo tamen imprudenter credimus: nam licet mysteria fidei in speciali non sint visa, sed credita, sunt tamen evidenter credibilia ex argumentis extrinsecis, quæ vide apud S. Thomam 1. con. Gen. c. 6.

918 Ad secundum dicimus, Sacros Doctores aliquando rationibus naturalibus uti non quidem ad probandum ea quæ sunt fidei, sed vel tamquam argumentis extrinsecis, & probabilibus (3), vel ad ipsam fidem defendendam ab iis qui eam impugnant (4). Argumentis autem deductis ex Sacris fontibus

---

» quando sub nomine Philosophorum introducantur: neque sic esse ne» ganda, tamquam fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi contem» nendi doctrinam fidei occasio præbeatur" Quare cavendum, ne quis affirmet, propositionem aliquam philosophicam pertinere ad fidem, vel à fide esse alienam, nisi constet de Ecclesiæ judicio.

(1) Essai &c. l. 4. c. 18. §. 10.

(2) Confer. Valsechius *De' fondamenti della Religione ec.* l. 3. p. 3. c. 1. §. 3. sqq. ubi ex testimonio P. Coste heterodoxi in Diss. ad Opus Lockii *de Christianismo rationabili* ostendit, hæreticos protestantes vi suorum principiorum, quibus statuunt non esse audiendam Ecclesiam, sed tantummodo Sacram Scripturam, prout ab unoquoque per spiritum privatum intelligitur, viam aperire libertati cogitandi, & universis erroribus usque ad ipsam impietatem.

(3) Adeatur S. Thomas 1. p. q. 1. a. 8. & 1. con. Gen. c. 8.

(4) Idem S. Thomas Opusc. 3. con. Græcos, Armenos, & Saracenos, ad Cantorem Anthiochenum, ipsum instruens, sic habet c. 2. » De » hoc primo admonere te volo, quod in disputationibus contra infide» les de articulis fidei, non ad hoc conari debes, ut fidem rationibus » necessariis probes. Hoc enim sublimitati fidei derogaret, cujus veri» tates non solum humanas mentes, sed etiam Angelorum excedunt. » A nobis autem creduntur, quia ab ipso Deo revelatæ. Quia tamen » quod à summa Veritate procedit, falsum esse non potest; nec neces» saria ratione impugnari valet, quod falsum non est, fides nostra,

utuntur tamquam propriis (1).

919 Ad tertium respondemus, principium illud intelligi debere de iis quæ sunt eadem uni tertio re, & ratione. In divinis autem licet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint idem re in natura, differunt tamen per relationes oppositas, per quas Personæ distinctæ constituuntur.

» necessariis rationibus, sicut probari non potest, quia humanam men» tem excedit; ita improbari necessaria ratione non potest propter sui » veritatem. Ad hoc igitur debet tendere Christiani disputatoris inten» tio in Articulis fidei, non ut fidem probet, sed ut fidem defendat. » Unde & B. Petrus non dicit (Epist. 1. c. 3. v. 15.) *parati semper ad* » *probationem*, sed *ad satisfactionem*: ut scilicet *rationabiliter* ostenda» tur non esse falsum, quod fides catholica confitetur."

(1) S. Thomas Quodl. 4. a. 18. quærens, *utrum determinationes theologicæ debeant fieri auctoritate, vel ratione*, egregie respondet: » Di» cendum, quod quilibet actus exequendus est, secundum quod conve» nit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest or» dinari. Quædam enim disputatio ordinatur ad removendum dubita» tionem, an ita sit, & in tali disputatione theologica maxime uten» dum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur, » puta, si cum Judæis disputetur, oportet inducere auctoritates veteris » Testamenti. Si cum Manichæis qui vetus Testamentum respuunt, opor» tet uti solum auctoritatibus novi Testamenti. Si autem cum Schis» maticis qui recipiunt vetus, & novum Testamentum, non autem doc» trinam Sanctorum nostrorum, sicut sunt Græci, oportet cum eis dis» putare ex auctoritatibus novi, vel veteris Testamenti, & illorum » Doctorum quos ipsi recipiunt. Si autem nullam auctoritatem reci» piunt, oportet ad eos convincendos, ad rationes naturales confugere. » Quædam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removen» dum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad in» tellectum veritatis, quam intendit; & tunc oportet rationibus inniti » (*deductis scilicet ex principiis fidei*) investigantibus veritatis radicem, » & facientibus scire (*nempe Theologice*) quomodo sit verum quod di» citur: alioquin si nudis auctoritatibus magister quæstionem determi» net, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiæ, » vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet." Atque hæc quidem ratio est, quare postremis hisce temporibus Sacræ Theologiæ auditores plerique è scholis discedant ferme jejuni præstantissimæ facultatis, quia cum eorum magistri toti sint in describendis auctoritatibus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quas apud tractatores Controversiarum adversus hæreticos inveniunt; discipuli qui eas auctoritates memoriæ defixas retinere nequeunt, scientiæ remanent omnino expertes.

ARTICULUS II.

Utrum sensus sit legitimum criterium in rebus sensibilibus.

920 Videtur negandum, I. quia veritas ad sensum non spectat, sed ad mentem, cujus est objectum. Sensus ergo nullo modo possunt esse criterium veritatis.

921 II. Multa sensibilia à sensibus non discernuntur, ut duo grana tritici, vel arenæ, quæ tamen discerni possunt ab intellectu. Is ergo in sensibilium dijudicatione, non ad sensus tamquam ad regulam, sed ad aliquod aliud criterium debet se convertere.

Propositio. *In rebus sensibilibus evidentia sensuum est criterium veritatis circa propria sensibilia; modo sensus sint recte dispositi, & omnia impedimenta removeantur.*

923 Ita S. Thomas (1). Prob. Si evidentia sensuum non posset esse criterium veritatis in rebus sensibilibus, etiam cum sensus sunt recte dispositi, & minime impediti, nulla posset esse scientia de rebus naturalibus, de quibus non aliter quam per sensus judicare possumus: aliunde sensus recte dispositi, & nullo obstante impedimento, numquam falluntur circa propria sensibilia, ut supra dictum est (2). Igitur evidentia sensuum &c. (3).

---

(1) Opusc. 70. q. 5. a. 2. Quandoque, *ait*, proprietates, & accidentia rei, quæ sensu demonstrantur, sufficienter exprimunt naturam rei, & tunc oportet, quod judicium de re vera, quod facit intellectus, conformetur his quæ sensus demonstrat de re: & hujusmodi sunt omnes res naturales quæ sunt determinatæ ad materiam sensibilem; & ideo in scientia naturali terminari debet cognitio ad sensum, ut scilicet hoc modo judicemus de rebus naturalibus, secundum quod sensus eas demonstrat. Et qui sensum negligit in naturalibus, incidit in errorem."

(2) §. 761.

(3) In hanc rem præclare Tertullianus l. de an. c. 17. *Quid agis*, inquit, *Academice procacissime? totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excæcas, quum cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fal-*

923 Ad primum dist. ant. veritas ad sensum non spectat principaliter, conc. ministerialiter, nego. Cum sensus sit veluti nuncius, & minister mentis, præcipue circa cognitionem rerum sensibilium; non ita ponimus, evidentiam sensus esse criterium veritatis, ut veritas in sensu consistat, sed ita ut mens utendo hujusmodi evidentia, de rebus sensibilibus verum proferre judicium possit. Ut autem feramus judicium, omnia sunt accurate consideranda, quibus expensis, si evidentia sensus plane faverit, tunc plane illi standum est (1).

924 Ad secundum dicimus, pleraque esse, quæ licet uno sensu discerni non posint, discernuntur tamen, si alius sensus adhibeatur (2); quædam etiam ab uno eodemque sensu, si instrumento aliquo perficiatur, discerni possunt: atque ita oculus, si microscropio armetur, sensibilem inter duo grana tritici, vel arenæ diversitatem videbit.

ARTICULUS III.

Utrum evidentia, & perspicuitas sint legitimum criterium pro rebus intelligibilibus.

925 Videtur negandum, I. quia evidentia, & perspicuitas reperiri cum falsitate possunt: nam multoties ea quæ sunt falsa, nonnullis apparent evidentia. Ergo.

---

laces, & mendaces dominos præfecerit sensus. An non istis universa conditio subministratur? An non per istos secunda quoque mundi instructio accessit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus, ornatusque? omnia totum vitæ saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal ratione dignoscitur intelligentiæ capax, & ipsius Academiæ. Persequitur, atque ostendit, nutare & ipsam Catholicam fidem, si nulla habenda sit ratio evidentiæ sensuum: nam & fides ex auditu.

(1) Quare Aristoteles 8. Phys. c. 3. agens de motu: universa, *inquit*, » censere quiescere, & hujusce rei quærere rationem, ipsum posthabendo sensum, imbecillitas est profecto mentis, ac hebetudo." Et lib. 2. Analytic. c. 28. » Ex ipsa experientia (*quæ utique sensibus utitur*) » proficiscuntur omnis artis, & scientiæ principia: artis quidem, si ad » eas res pertineant, quæ oriuntur, & occidunt: scientiæ autem; si ad ea quæ eadem semper sine ulla mutatione permanent."

(2) » Si eminus (inquit Macrobius l. 7. Saturn. cap. 14.) pomi quod » malum dicitur, figura visatur, non omni modo id malum est; po- » tuit enim ex aliqua materia fingi mali similitudo. Advocandus est

926. II. Si evidentia, & perspicuitas essent veritatis criterium, vel de hoc certi essemus, vel secus. Si alterum dicatur, jam constituitur incertum veritas criterium, adeoque non erit criterium, quod est certa regula dignoscendi verum. Si primum, opus erit adsignare, quare certi simus de hujusmodi criterio, propindeque nec ipsum erit criterium; quomodo enim regula potest esse, quod indiget alia regula, ut regula esse possit?

Propositio. *Evidentia intellectus est in rebus intelligibilibus legitimum veritatis criterium.*

927 Prob. In eo constitui debet criterium veritatis pro rebus intelligibilibus, per quod earum veritas intellectui manifestatur. Atqui hujusmodi est evidentia intellectus revera talis (1); hæc enim aliud non est quam vivida quædam lux, quæ intellectum illuminat, ut cognoscere possit, attributum con-

---

» igitur sensus alter, ut odor judicet. Sed potuit inter congeriem ma» lorum positum, auram odoris ipsius concepisse: hìc tactus consulen» dus est, qui potest de pondere judicare. Sed metus est, ne & ipse » fallatur, si fallax opifex materiam, quæ pomi pondus imitaretur, ele» git. Confugiendum est igitur ad saporem, qui si formæ consentiat, » malum esse nulla dubitatio est."

(1) Quænam sit evidentia revera talis, operosius est inquirendum; plerique enim dum patentes errores defendunt, evidentia se duci clamant. Cartesius Medit. 4. *Omnis*, inquit, *clara & distincta perceptio necessario Deum habet auctorem, Deum, inquam, illum summe perfectum, quem fallacem esse repugnat; ideoque procul dubio est vera.* Hæc autem ratio licet vera sit de facultate percipiendi, & de lumine intellectuali; utrumque enim immediate à Deo est; nihilominus falsam esse constat, si de ipso actu percipiendi intelligatur. Nam Deus ad operationes nostras concurrit ut causa universalis: defectus autem operationum non causæ universali, sed particulari tribuuntur.

Antonius Genuensis Art. Log. Crit. l. 3. c. 3. §. 9. ut veram ab apparente evidentiam discernat, ad duos judices appellat, ad conscientiam pacatam, & ab omni affectu liberam, & ad sensum optimorum communem. Sed rem non conficit. Nam sensus optimorum communis in rebus intelligibilibus, non omnimodam certitudinem, quam metaphysicam vocant, sed moralem constituit: nos autem de criterio inquirimus, quo de veritate simus omnino certi. Multi quoque sunt, qui turpiter errant, cum credant, se pacato animo judicare, & ob solum veritatis amorem.

Melius Malebrancius l. 1. de inq. ver. c. 3. §. 4. arbitratur, proposi-

venire, vel repugnare subjecto : quapropter S. Thomas (1) ait: *Lumen, secundum quod pertinet ad intellectum, nihil aliud est, quam quædam manifestatio veritatis* ; ideoque fieri non potest, ut mens veritatem evidenter propositam respuat. Evidentia igitur &c.

928 Ad primum dicimus, evidentiam apparentem posse cum falsitate conjungi, numquam vero evidentiam revera talem.

929 Ad secundum dicendum, lucem non indigere alterius lucis, ut videatur ; & eodem modo nec evidentia intellectus indiget alterius evidentiæ, ut sit veritatis criterium.

ARTICULUS IV.

Utrum auctoritas humana constitui possit veritatis criterium.

930 Videtur constitui non posse, I. quia ut ait S. Augustinus (2), *humana auctoritas plerumque fallit.*

931 II. Quia, ut docet S. Thomas (3) *locus ab auctoritate quæ fundatur super ratione humana, est infirmissimus.*

---

tiones illas esse evidenter veras, quæ sine interno quodam animi cruciatu negari non possunt. Sed neque id sufficit ; plurimi enim ita præjudiciis suis sunt implicati, ut de illis vel minimum dubitari, absque interno animi cruciatu non patiantur.

Itaque dicimus cum S. Thoma 1. p. q. 82. a. 1. ex propositionibus quasdam esse per se notas, quæ prima principia, & axiomata vocari solent; quasdam vero esse, quæ ex illis principiis per demonstrationem deducuntur, quæ theoremata dici posssnt. Propositiones autem per se notæ non solum in seipsis, sed etiam nobis, illæ sunt, in quibus attributum, sive prædicatum est in ratione subjecti, & ex sola perceptione terminorum cognoscitur, attributum contineri in subjecto, vel ei esse contrarium (Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 5. & lect. 19.). Theoremata vero sunt, quæ deducuntur ex hujusmodi propositionibus per se notis, & cum ipsis necessariam conexionem habent. Quoties ergo mens cognoscit, attributum esse in ratione subjecti, ut in hac propositione: omne totum est majus sua parte ; tunc habetur vera evidentia, cui mens non potest refragari. Et similiter quoties mens cognoscit, propositionem aliquam necessario deduci ex propositionibus per se notis, ut in hac propositione : omnis trianguli tres anguli sunt duobus rectis æquales, itaut propositio illa non possit esse falsa, nisi sint falsæ propositiones per se notæ ; tunc etiam habetur vera evidentia, & omnimoda certitudo.

(1) 1. p. q. 106. a. 1. (2) L. 2. de Ord. c. 9.

(3) 1. p. q. 1. a. 8. ad 2.

Propositio. I. *Auctoritas humana in Dogmatibus minimum valet*; II. *nisi agatur de iis quæ ab auctoritate unice pendent*; III. *vel adsit omnium, vel fere omnium consensus.* IV. *In rebus autem historicis haberi potest ut criterium veritatis.* V. *Numquam tamen excedit moralem certitudinem.*

932 Prob. 1. p. Dogmata vel sunt Theologica, vel philosophica. Theologica non humana, sed divina nituntur auctoritate. Philosophica admitti non debent sine intrinseca ratione, ut supra ostendimus (1). Auctoritas igitur humana in dogmatibus minimum valet (2).

933 Prob. 2. p. Ubi agitur de rebus, quæ unice ab auctoritate pendent, uti sunt leges, ipsa jubentis auctoritas instar demonstrationis est. Ergo in iis nulla alia ratio exquiri debet præter jubentis auctoritatem, nisi forte ad exquirendam jubentis mentem, cum de ipsa non constat (3).

934 Prob. 3. p. Cum omnes, vel fere omnes in aliqua re conveniunt, aliqua certe efficax ratio debet esse, qua illi permoveantur: nam ut recte Cicero (4), *neminem omnes, & nemo umquam omnes fefellit.* Quapropter non una tantum auctoritate, sed etiam ratione, dum illos sequimur, innitimur (5). Hinc si quæ sententia communis est inter Philosophos, etsi nobis non satis constet ratio qua probatur, haberi debet ut certa; multoque magis si communis sit inter Mathematicos; hi enim ex principiis certis suas propositiones deducunt. Quod si sententia Theologica sit, & communi Theologorum consensu

(1) §. 83. sq. (2) Vide S. Thom. 8. Phys. lect. 3. ubi reprobans sententiam Aristotelis de perpetuitate motus: » Omne, *inquit*, quod po» nitur absque ratione, vel auctoritate divina, fictitium esse videtur. Auc» toritas autem divina prævalet etiam rationi humanæ multo magis » quam auctoritas alicujus philosophi prævaleret alicui debili rationi, » quam aliquis puer induceret."

(3) Confer S. Thom. 2. 2. q. 120. a. 1. (4) L. 1. de nat. deor.

(5) Seneca Epist. 117. *Multum*, inquit, *dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tamquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est; nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat. Cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.*

recipiatur, tam certa habenda est, ut illam negare nemo absque temeritate possit. Denique si propositio Theologica communi Patrum omnium seculorum consensu recepta sit, non humana tantum, sed divina nititur auctoritate; firmissimum enim fundamentum habet in divina Traditione (1).

935 Prob. 4. p. Res historicæ, & aliæ quæ ab humana fide pendent, non aliter sciri possunt, nisi quia ab Auctoribus fide dignis referuntur; neque enim alia superest via ad ea scienda quæ oculis nostris non vidimus. Standum igitur est auctoritati dicentium, si fide sint digni.

936 Quod autem hæc auctoritas certitudinem moralem numquam excedat, compertum est; nititur enim testimonio humano quod est fallibile. Et per hæc patet solutio ad objecta.

QUÆSTIO XXV.

De Arte Critica.

937 Postquam de Criterio diximus, restat agendum de Critice. Est autem Critices (2) *ars de aliorum scriptis judicandi*; præcipue vero judicii ferendi de factis ad historiam pertinentibus; item discernendi Scriptorum opera sincera à suppositis; & in sinceris operibus emendandi loca corrupta; itemque interpretandi (3); quare tria sunt munera artis criticæ, dijudicatio, emendatio, interpretatio. Artis igitur criticæ 1. exponemus utilitatem. 2. historiam. 3. agemus de critice propositionum historica-

(1) Vide S. Thom. q. 10. de pot. a. 4. ad 13.

(2) Derivatur à verbo κρίνω, judico, accuso, condemno, secerno. Est Philologiæ pars. Philologia autem est *eruditio varia*, ut ipsam appellat Suetonius in Augusto c. 89. Dicitur etiam pars Grammaticæ nobilior, quatenus non modo veros Librorum auctores inquirit, sed etiam virga censoria errata notat, & sugillat. Conferatur Walchius Hist. Crit. Ling. Lat. in Prolegom. §. 3. & 8. Hinc censores aliorum operum dicti sunt Critici. Ad Logicam referri Critices potest, qua ratione regulas præstat, quibus recte judicemus de factis, & scriptis.

(3) Joan. Cleric. de Arte crit. in Præfat. Criticem definit *artem intelligendorum veterum Scriptorum sive numeris adstricta, sive soluta oratione utentium: & dignoscendi, quænam eorum genuina scripta sint, quæ spuria.* Quæ quidem definitio non satis explicat naturam Critices; hæc enim non solum scripta veterum ad examen revocat, sed etiam recentiorum. Insuper Clericus prætermittit facta historica, de quibus judicium ferre ad Criticem pertinet.

rum, & de requisitis, ut narratio historica sit fide digna. 4. regulas dabimus, quibus scripta genuina à suppositis discernantur. 5. quæremus de emendatione librorum, an fieri debeat ex Manuscriptis. 6. de interpretatione tractabimus.

ARTICULUS I.

Utrum ars critica utilis sit.

938 Videtur ars critica non solum esse inutilis, sed etiam noxia, I. quia si utilis foret, illam Ecclesiæ Patres minime neglexissent. Neglexerunt autem, ut inter alios Clericus (1) affirmat. Ergo.

939 II. Ex quo usus critices invaluit, gravissima damna Religio Catholica passa est, revocatis in dubium certisimis historiæ sacræ monumentis, & plurimorum Canonicorum Scripturæ Sanctæ librorum autenticitate negata.

940 III. Multa quæ ad pietatem conferunt, à criticis in dubium vocata sunt, præsertim circa plurima Sanctorum Acta, quæ fovendæ pietati inserviebant. Potius igitur noxia, quam utilis ars critica dicenda est.

Propositio. *Ars critica non solum Ecclesiæ, sed & Reipublicæ, magnæ est utilitatis.*

941 Prob. Ad Ecclesiæ, ac Reipublicæ utilitatem plurimum confert, quod facta historica à falsitate, & obscuritate vindicentur; quod genuina Auctorum cum Sacrorum, tum profanorum opera à supositis discernantur; quod loca corrupta emendentur; quod congrua librorum, & auctorum interpretatio fiat; ita enim Sacræ Doctrinæ (2), cæterisque scientiis, & artibus (3) magna lux affulget. Atqui hæc omnia Arte critica præs-

(1) Art. Log. Crit. p. 2. sect. 1. c. 17.

(2) Vide S. August. l. 2. de Doct. Christ. c. 28. ubi ostendit, historiam *plurimum nos adjuvare ad sanctos libros intelligendos ... nam & per Olympiadas, & per Consulum nomina multa sæpe quæruntur à nobis &c.*

(3) Equidem scientiæ & artes ex veterum Scriptorum operibus genuinis, & emendatis, satis magnum accipiunt præsidium: nec minus juvantur ex translatione accurata veterum Græcorum librorum in linguam Latinam.

tantur, ut dictum est (1). Ars igitur critica & Ecclesiæ, & Reipublicæ utilis est.

942 Ad primum negamus, Ecclesiæ Patres fuisse critices expertes; quis enim affirmabit, Originem sine critices subsidio potuisse Bibliorum editiones emendatas curare? Quis dixerit, Dionysium Alex. (2), Hieronymum (3), Augustinum (4) critices leges ignorasse? Quod si quæ sunt in Ecclesiæ Patribus, quæ criticis recentioribus non placent; non ideo ignoratæ critices accusandi sunt: nam & in ipsis criticis recentioribus, qui præstantissimi habentur, multa sunt, quæ aliis non placent (5).

943 Ad secundum dicendum, damna illa ex abusu critices provenisse (6): Nulla autem res est, quamlibet utilis, qua impii homines abuti non possint.

---

(1) §. 937.

(2) Vide Euseb. l. 7. Hist. c. 25. & Adnot. Valesii ita scribentis: *Ex hoc loco apparet, quantopere in critica exercitatus fuerit Dionysius Alexandrinus. Quippe proprium est Critici, de Scriptis veterum judicare, & quod verum est, ac germanum, quod spurium, ac subditicium opus sit, discernere.*

(3) Confer Præfat. in lib. Reg. & l. adv. Vigilantium, ubi ipsum reprehendit, quod librum apocryphum sub nomine Esdræ ei proposuerit.

(4) Lib. 15. de Civ. c. 23. *Omittamus*, inquit, *earum Scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, à quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima, & notissima successione pervenit.* Qua quidem ratione librum Enocho tributum, reputat apocryphum.

(5) Vide Honoratum à S. Maria Animad. in regul. & usum Crit. Diss. 2.

(6) Confer eumd. Honorat. ib. Dissert. 6. §. 1. Certe si Criticos heterodoxos hujus, & superioris sæculi consulas, præsertim Blondellum, Dallæum, Jurium, Clericum &c. omnis eorum usus Critices ad Catholicam Religionem impugnandam collineat. Ad rem apposite Mabillonius de Stud. Monast. p. 2. c. 13. » Impudentes, *inquit*, isti irrupto-» res (quemadmodum ipsos S. Bernardus ser. 62. in Cant. n. 5. indigi-» tat) tantum abest, ut veritatem semel assequantur, ut potius ab ea » longe arceantur, & in cimmerias illas caligines misere delabantur, » in quibus nihil ipsorum mentibus, præter falsitatem, atque menda-» cium occurrit. Postremo nil citius ad divinæ fidei amissionem con-» ducit, quam ipsam curiose nimis, criticeque velle discutere. Hujus-» cemodi farinæ viros ad unguem expressit S. Hilarius Pictavorum » Antistes, cum dixit lib. 2. ad Constant. n. 5. *Dum in verbis pugna est,* » *dum in novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum*

944 Ad tertium respondemus, pietatem falsitate non esse fovendam; quare si quæ aperte falsa sunt, rejici debent etiamsi pietatem redoleant; adhibenda tamen prudentia est, ne simplices scandalum patiantur. Si quæ autem hujusmodi res dubiæ sunt, non continuo rejici debent cum pietatis dispendio (1).

ARTICULUS II.

Utrum ars critica quolibet sæculo culta fuerit.

945 Videtur negandum, I. quidem quia ante sæculum proxime elapsum Opera Patrum, & aliorum Scriptorum perturbata undique erant, ita ut discerni vix possent genuina à suppositis; idque potissimum Monachorum sive inscitia, sive fraude in describendis mendacibus Codicibus.

946 II. Acta quoque SS. Martyrum, & historia aliorum Sanctorum adeo misere jacebant ante idem postremum sæculum, ut innumeris fabulis permixta essent.

947 III. Præterea Sacri Codices ad hæc usque tempora plurimas vicissitudines subierunt, neque hactenus eorum editio curata est omni prorsus errore vacans.

Propositio. *Quolibet Ecclesiæ seculo* (2) *egregii fuere artis criticæ cultores.*

948 Prob. Artis criticæ munera potissima sunt, secernere genuina opera à suppositis, & incorrupta ab interpolatis, ve-

---

» *de Auctoribus querela est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, prope jam nemo Christi est.*"

(1) Vide Tillemontium Tom. 1. in Præfat.

(2) De studio artis criticæ ante Christum natum, non magna lis est. Nam si de Judæis loquamur, dubitare nemo potest, quin illis specialis cura fuerit de Sacris Scripturarum libris in Canonem recensendis, excludendisque cæteris, quorum divina non esset auctoritas. Vide S. Hieronym. in Prol. Galeato, & in Epist. ad Paulinum. Expositio quoque Sacræ Scripturæ ad Scribas, & Pharisæos pertinuisse Christus ipse testatus est, cum ait Matth. 23. v. 2. sq. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* Hæc autem sine aliqua critices arte fieri minime poterant. De Ethnicis sapientibus non admodum solliciti sumus; nam eorum Critices potissimum exercebatur in ferendo de carminibus judicio,

rosque Scriptorum sensus interpretari, ut supra dictum est (1). Atqui quolibet Ecclesiæ sæculo viri egregii extitere hæc præstantes. Ac de primo quidem sæculo compertum est, pseudo-doctores, & hæreticos ejus ætatis non una ratione depravasse Scripturas veteris, novique Testamenti (2). Has autem fraudes Apostolici viri deprehenderunt, utque alii deprehenderent auctores fuerunt (3). Itaque arte critica fuerunt instructi sine qua hæc prestare minime potuissent.

---

utrum essent ad Grammaticæ regulas accommodata; quamquam progressus deinde fecerit studio præsertim Aristarchi, Varronis, aliorumque, inter quos Div. Chrysostomus Orat. 3. de Homero, principem locum tribuit Aristoteli. Vide Vossium in Arist. l. 1. c. 6.

(1) §. 937.

(2) Huc spectant quæ habet S. Petrus Epist. 2. c. 3. v. 16. ubi loquens de Epistolis S. Pauli, ait, in iis esse *quædam difficilia intellectu quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

(3) Joannes Clericus Epist. 4. Crit. adversus veterum Patrum doctrinam insurgens, eorum auctoritatem elevare posse credit ex eo quod *potuerunt facile esse inter hujusmodi homines* (quos S. Paulus castigat) *qui doctrinam Apostolicam adulterarent; immo vero fuerunt, viventibus ipsis Apostolis..... Fuere, ut sunt semper, homines etiam minime mali, sed exiguo judicio, qui & audita, & lecta male intelligere potuerunt, & quasi Apostolica dogmata errores suos propagare.* Hinc autem infert: » Fateamur oportet, post Apos» tolos qui ex institutione ipsa Christi, & divino afflatu in om» nem veritatem ducti fuerant, & Apostolicos aliquot viros cœles» tium illorum donorum participes..... Theologiam Christianam non » modo non satis commodo ordine traditam fuisse, sed ne satis qui» dem plene, ac perspicue. Viri boni videntur tunc temporis in » notionibus obscurioribus acquievisse..... Cum linguæ Hebraicæ sa» cræque criticæ non essent periti, Vetus, & Novum Testamen» tum..... non satis commode interpretabantur, & passim torquebant.« Animadverte quam egregius Logicus Clericus fuerit. Quis enim in Logica tyro est, qui in illius verbis paralogismos non videat? Potuerunt esse qui doctrinam Apostolicam vel ex malitia, vel ex imperitia adulterarent. Quidam etiam fuere, qui tantum facinus aggressi sunt, viventibus Apostolis: igitur nemo præter aliquot Apostolicos viros cœlestium donorum participes, puritatem doctrinæ Evangelicæ prima illa ætate servavit. Ecquænam consequutio hæc est à potentia, ut ajunt, ad actum, à particulari ad universale? Sed linguæ hebraicæ illi erant imperiti. Unde id rescivit Clericus? Mirum! Bellum ii gerebant potissimum cum Hebræis, quos infensissimos ubique habebant hostes. Quis crediderit, imperitos Hebraicæ linguæ cum He-

949 Secundo sæculo floruere S. Justinus Martyr (1), Ta-

---

bræis manus conseruisse? At Criticam Sacram illi ignorabant. Immo vero apprime callebant. Nam si tunc temporis indoctæ, & instabiles depravabant Scripturas, vel fuit qui eas depravationes deprehenderet, emendaretque, vel nemo talis fuit. Si fuit, ut certe fuere plurimi, hi sane Critices debebant esse periti, qua eas depravationes agnoscerent, atque corrigerent. Si vero nemo fuisset talis; igitur universi depravatas Scripturas tamquam veras essent amplexi; universi proinde in errorem essent prolapsi. Periisset ergo Ecclesia, vel ipsis viventibus Apostolis: nam S. Joannes Evangelista obiit anno centesimo primo, ex Chronologia Panvinii, sive anno centesimo tertio, ex supputatione Eusebii in Chronico, ubi animadvertit ex S. Irenæo, Joannem Apostolum usque ad Trajani tempora permansisse: Trajanus autem ex eodem Eusebio ib. regnare cœpit anno 101. sive, ut Panvinius statuit, anno 99. Quod si Ecclesia tunc temporis periisset in universis qui in errores essent prolapsi (quomodo enim Ecclesia stare potest cum depravatione doctrinæ?) cur Christus discipulis promisit, se daturum Paraclitum, *ut maneret cum illis in æternum*? Cur S. Irenæus qui vergente secundo sæculo floruit, l. 1. adv. hær. c. 10. scripsit: *Ecclesia per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, Fidem eam ab Apostolis, eorumque Discipulis acceptam..... summo studio, & cura, perinde atque unam domum incolens conservat.... Quamvis enim dispares inter se mundi linguæ sunt; una tamen, & eadem est Traditionis vis. Ac neque hæ quæ in Germanis sitæ sunt Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; nec quæ in Hispaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto &c.*? Potueruntne Ecclesiæ adeo inter se dissitæ in una eademque Fide convenire, si adhuc viventibus Apostolis doctrina fuisset depravata in plerisque omnibus, præter aliquot Apostolicos viros? Scilicet expectandi erant nuperi Pseudo-reformatores qui Ecclesiæ jam collapsæ ab Apostolicis temporibus opem ferrent, & Christi doctrinam jam fere ab initio depravatam, ac detortam, puram docerent. Quod *si* (ut verbis Nazianzeni Orat. 52. utamur) *triginta duntaxat abhinc annis* (nos ducentis ferme dicemus) *fides initium sumpsit, cum quadringenti jam fere anni* (dicamus nos mille septincentum & amplius anni) *fluxerint, à quo Christus manifestatus est, inane utique tanto tempore fuit Evangelium, inanis etiam fides nostra, frustraque Martyres martyrio perfuncti sunt, & tales tantique Antistites plebi præfuerunt.*

(1) Quam fuerit Justinus Critices peritus colligitur ex ejus Dialogo cum Tryphone, ubi n. 72. ut probet, Judæos loca quædam è Scripturis Sanctis recidisse, ac præsertim illum Jeremiæ 11. v. 19. *Ego ut Agnus qui portatur ad immolandum* &c. observat, *hunc ex Jeremia locum adhuc nonnulla ex his quæ apud Judæorum Synagogas asservantur, exemplaria, scriptum retinere.* Quibus ex verbis patet, quam immeri-

tianus (1), Hegesippus (2) Irenæus (3), quibus adjungi pos-

---

to Barbeyracus c. 2. scribat, Justinum, ut & reliquos veteres Patres *fuisse obnoxios aberrationibus falsæ criticæ.* Patet etiam, non recte dici posse, Justinum fuisse loquutum de sola interpretatione septuaginta Interpretum relata ad versiones Aquilæ, Simmachi & Theodotionis, minime de Hebraico contextu. Quis enim crediderit, S. Justinum patria Samaritanum, ut ipsemet scribit in dicto Dial. n. 120. & in Apol. 2. n. 15. ignorasse linguam Hebraicam? Quis dixerit, apud Synagogas Judæorum fuisse servata exemplaria versionis septuaginta Interpretum, & non potius Textum ipsum Hebraicum? nam & nostris temporibus videmus, in Synagogis Judæorum asservari Textum Hebraicum hebraice scriptum. Quis denique affirmabit, S. Justinum loquutum fuisse de versione septuaginta Interpretum relata ad versiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis? Nam Aquila, ut S. Epiphanius scribit, claruit sub Adriano Augusto circa annum 129. fuitque natione Ponticus: Justinus autem non multo post annum 114. natus fuit; Dialogum vero cum Triphone habuit, imperante Antonino, hoc est, circa annum 140. ut colligunt Maurini PP. in Præf. p. 3. c. 7. n. 3. quo tempore Aquilæ versionem in Synagogis Judæorum celebrem fuisse, & usu receptam verisimile non est. Symmachus autem claruit sub Septimio Severo an. 193. & Theodotion sub Severo an. 200. hoc est post mortem S. Justini, qui martyrio coronatus fuit anno circiter 168.

(1) Tatiani opus est Oratio adversus Græcos ad calcem Opp. S. Justini, inscripta: *quod nihil eorum quibus gloriantur studiorum, apud ipsos natum; sed omnia à Barbaris inventa sunt.* Quod certe opus sine magno Critices usu confici non potuit.

(2) Edidit Hegesippus Historiam quinque libris distinctam à Passione Domini ad sua usque tempora, qua usus fuit Eusebius, qui nobis ejus fragmenta reliquit.

(3) Adversus S. Irenæum Clericus loc. cit. impie, & mala fide blaterat. Impie quidem, cum ipsum non pudet, Martyrem inclytum, discipulum S. Polycarpi, qui Joannem Apostolum audivit, comparare cum Luthero, & Calvino. *Sane*, inquit, *timerem, ne dissimulationis insimularer, aut iniquitatis, si laudarem in Irenæo, quæ spernerem in Luthero, vel Calvino, aut vicissim.* Rursus postponere illum audet Grotio, & Hammondo. *Si exempli causa Justinum, & Irenæum cum Grotio, & Hammondo contuleris, priorum te miserebit.* Mala autem fide: nam ib. profert judicium Photii de S. Irenæo Cod. 120. quod *Ecclesiasticorum dogmatum adcuratam veritatem spuriis ratiocinationibus adulteravit.* Quod tamen Photius non dicit, sed post recensitos Irenæi libros adversus hæreses: » Plura, *inquit*, Divini Irenæi » & varia, & alia conscripta, & Epistolæ feruntur: etsi in aliquibus » ipsorum secundum Ecclesiastica dogmata veritas exquisita adulterinis » ratiocinationibus fucari videntur; quod oportet significasse. " Quod

sunt Judæus Aquila, & Simmachus, ac Theodotion, qui licet hæresi infecti, operam dedere adornandis novis Scripturæ versionibus.

950 Tertio Ecclesiæ sæculo illustres fuere Clemens Alexandrinus (1), Tertulianus (2), Origenes (3), Julius Africa-

---

ergo Photius de suppositis Irenæo operibus dicit, id Clericus mentiens attribuit genuinis operibus Sancti Martyris.

(1) Etsi Clementis Alexand. opera aliquibus erroribus sint notata; quapropter à Gelasio R. P. apocryphis accensentur; non ideo tamen censuram merentur, quam illis inurit Clericus loc. cit. ubi de Clemente Alex. & Eusebio Cæsariensi loquens: » Præstaret, *inquit*, ab iis Phi» losophos numquam lectos fuisse, qui Theologiam Christianam admix» tione Philosophiæ ethnicæ corruperunt.“ Quæ autem hæc corruptio est? non enim Theologia Christiana corrumpitur, nisi errores admisceantur: cum autem ad revincendos Ethnicorum errores, constituendaque Religionis Christianæ dogmata, Philosophia in obsequium Fidei ut ancilla vocatur (quod Clemens intendit), nulla est Theologiæ Christianæ corruptio. Anne Clericus affirmabit, Theologiam Christianam corruptam esse ex Critices, & Grammaticæ subsidiis, quorum ope, ut ipse ib. ait, *incertis traditionibus Apostolicis non patimur nunc fucum nobis fieri*? Si Critices, & Grammaticæ admixtio Theologiam non corrumpit, cur illam corrumpet Philosophiæ admixtio? Interea, si ut Hieronymus ait l. de Script. Eccl. c. 38. Clementis *feruntur insignia volumina plena eruditionis, & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quam de sæcularis litteraturæ instrumento*; planum est, quam fuerit Clemens Critices peritus, sine cujus præsidio ea insignia volumina perscribere minime potuisset. Quod si aliquando apocryphos quosdam libros citat, quemadmodum Tillemontius advertit in Clem. art. 5. ut Epistolam Barnabæ, & librum Pastoris, non illos citat tamquam indubiæ fidei, immo aliquando opus Barnabæ, supresso nomine, impugnat. Vide Cotelerium in Notis ad eam Epist. & ad S. Hermæ Pastorem.

(2) Confer Tertull. l. 4. con. Marc. c. 4. ubi ex Criticæ regulis probat, S. Lucæ Evangelium à Marcione impie fuisse corruptum.

(3) Nec Clericus ipse negat, Origenem operam dedisse addiscendæ linguæ Hebraicæ. Nihilominus addit Epist. 4. Crit. cit. ipsum, & S. Hieronymum *nescivisse eam in rem subsidiis quæ habebant uti, nec iis quæ norant, multum usos fuisse*. Si quis Clericum interroget, qua ratione id probet, respondet: » Vigebant iis temporibus lingua Syriaca, » & Arabica in vicinia Palæstinæ, & Ægypti, quæ linguæ, cum maxi» mi essent usus ad intelligendam Hebraicam, debuerant ab iis edisci, » quod tamen factum non est.“ Primum quæro, de qua lingua Syriaca, & Arabica loquatur Clericus. Si de illis, quæ vigebant temporibus Origenis, & Hieronymi; ostendere debuisset, eas maximi fuisse

nus (1), Serapio (2), Dionysius Alexandrinus (3); qui quidem adeo critices disciplina præstiterunt, precipue Origenes, ut cæteros posteriores criticos longo intervallo superent (4).

---

usus ad intelligendam linguam Hebraicam; ut enim in Ægypto magna fuit linguæ mutatio sub Ptolomæis, ita & in Syria sub Seleuco, & Antiochis. Si autem loquitur de linguis Syriaca, & Arabica, quas modo Syri, & Arabes adhibent, quis nescit, eas linguas ortas esse ex aliarum linguarum commixtione, præsertim Arameam, sive nuperam Syriacam ex commixtione Græcæ, Persicæ, & Arabicæ linguæ? Deinde si quis petat, unde Clericus probet, Origenem, & S. Hieronymum Syriacam, & Arabicam veteres nescisse, nihil sane habebit quod respondeat. Nos autem de Origine quidem producimus Eusebii testimonium Hist. l. 6. c. 19. ubi de Origenis in Arabiam profectione, scribit: *Missus ab illis Origenes in Arabiam perrexit.* Tum paullo post de ejus in Palæstina mansione hæc habet. *Palæstinam petiit, & Cæsareæ domicilium fixit. Ubi etiam ab illius Regionis Episcopis rogatus est, ut publice in Ecclesia dissereret, & Divinas Scripturas, tametsi nondum Presbyter ordinatus exponeret.* De alia Origenis in Arabiam profectione, ut cum Beryllo Bostrorum Episcopo congrederetur, vide eundem Eusebium ib. c. 37. Si in vicinia Palæstinæ, & Ægypti vigebant lingua Syriaca, & Arabica, quis dicet, Origenem qui in Arabiam perrexit, & in Palæstina domicilium fixit, & ad populum Cæsareæ divinas Scripturas exposuit, incognitas omnino habuisse linguas Arabicam, & Syriacam? De Hieronymo autem intelligat Clericus ex ejusdem Hieronymi testimonio in vita Malchi, ipsum adolescentulum moratum in Syria; & ad Chromantium scribentem audiat, ipsum in ea eremi parte habitasse, quæ inter Syros, & Saracenos vastum limitem ducit. Præterea si in vicinia Palæstinæ, & Ægypti Syriaca, & Arabica linguæ vigebant nonne verisimile est, Origenem notione Ægyptium, patria Alexandrinum, qui in Palæstina domicilium fixit; & Hieronymum, qui eremum incoluit inter Syros, & Saracenos positum, aliquam saltem utriusque linguæ habuisse notitiam; maxime cum ipse Hieronymus in c. 19. Isaiæ, & in Epitaphio Paulæ scribat, sua ætate fuisse in Ægypto quinque civitates, quæ lingua Cananæa, sive Syra utebantur? Sed de Origenis peritia in Arte Critica argumenta luculentissima sunt ejus Tetrapia, Hexapla, & Octapla, nec non Philocalia, ubi de auctoritate, stylo, & interpretatione Scripturarum disseritur.

(1) Scripsit Julius Africanus Chronicorum libros quinque.

(2) Vide Eusebium Hist. l. 6. c. 12. ubi Serapionis libri fragmentum recitat, quo ex artis criticæ regulis ostenditur, Evangelium quod sub S. Petri nomine in Rhossensi Parœcia legebatur, opus esse ab hæreticis Docitis suppositum.

(3) Vide §. 942. not. *Vide Euseb.*

(4) Vide Genebrardi Epist. ad Carolum Nonum Galliæ Regem, qua

951 Ad sæculum quartum pertinent Eusebius Cæsariensis (1), S. Athanasius (2), S. Hilarius (3), S. Basilius (4), S. Ambrosius (5), S. Gregorius Nazianzenus (6), S. Gregorius Nisse-

---

ipsi nuncupat Opera Origenis Edit. Paris. an. 1574. ubi de Hexaplis Origenis : *Omnia*, inquit, *per columnas digessit noster Adamantius, & ut singula singulis verbis responderent, incredibili diligentia accuravit, appositis etiam notis æmulatione Aristarchi, qui Poema Homericum magna sua laude, & eruditorum plausu emendasse fertur. Utinam autem hæc Originiana Biblia haberemus! Non opus esset novis translationibus, quæ quotidie sine numero cuduntur.*

(1) Quantus Criticus fuerit Eusebius, plane constat cum ex ejus Chronico, tum ex libris Hist. Eccl. in quibus passim genuina anteriorum Patrum opera à suppositis secernit. Sane posteriores Critici Eusebium ducem perpetuo sequuntur.

(2) Vide ejus Epist. ad Marcellinum.

(3) Confer Hilarii Prologum in lib. Psalm. ubi præclaras Criticæ regulas ad intelligentiam Scripturarum exhibet. Non est autem mirum, si Clericus hæreticus Socinianus S. Hilarium, quem Hieronymus Apol. adv. Ruffinum l. 2. appellat *virum eloquentissimum*, & *contra Arianos Latini sermonis tubam*, contumeliis afficiat loc. cit. cum ait obscurissime scripsisse, & passim ambiguitatibus laborare, nec tam scripsisse, ut intelligeretur, quam ut vinceret, & gravissimos ictus adversario inferret. Intelligebat enim, quibus armis Hilarius contra Arianos, adeoque contra Socinianos, invictissime pugnarit.

(4) Vide Epist. 204. al. 75. n. 5. ubi de scriptorum judicio hanc egregiam præscribit regulam : *Iisdem fere præsidiis instructos esse oportet, & qui de scriptis judicat, & qui scribit. Nisi forte de agriculturæ operibus non potest judicare qui non est agricola; & quid dissonum, consonumve in musicis modis non dignoscet, musicæ non peritus : statim vero sermonum erit judex, quicumque voluerit.* Mirum est autem, Tillemontium not. 5. in S. Joan. Bapt. qui aliis Criticæ regulas præscribebat, tribuisse Magno Basilio Homiliam in S. Christi Generationem, in qua probatur apocrypha narratio, quam Hieronymus in c. 25. Matth. tamquam fabellam habuit, de Zacharia scilicet Præcursoris patre interfecto inter Templum, & Altare; maxime cum eam Homiliam quam PP. Maurini tamquam spuriam rejecerunt in Append. T. 2. Opp. S. Basilii, ipse Tellemontius in S. Basil. a. 143. quoad eam partem uti dubiam habuerit.

(5) Instructus Criticæ regulis plane fuit Ambrosius. Vide Expositionem in Psal. 118. ser. 9. n. 13. & ser. 17. n. 35. & ser. 22. n. 27. & Enar. in Psal. 37. n. 49.

(6) Vide Orat. 52. ubi egregia docet de interpretatione Scripturarum ad expugnandos hæreticos.

nus (1), & ipsi critica exculti.

952 Quintum sæculum præstantissimis emicuit Patribus, Chrysostomo (2), Hieronymo (3), Augustino (4), Leone Magno (5), Theodoreto (6), Sulpitio Severo (7), Gelasio Rom. Pontifice (8), Gennadio (9), Prospero (10), Cyrillo Alexandrino (11), arte Critica bene doctis.

953 Venimus ad sæculum sextum, à quo litterarum, & Critices sensum optimum corruere cœpisse ob Barbarorum incursionem, juniores Critici statuunt. Etsi autem non simus nescii,

---

(1) Confer ejus Tract. de Psalm. inscriptionibus.

(2) Vide Hom. 1. in Acta, in qua exquisita tradit principia ad adstruendam veritatem factorum historicorum.

(3) Nemo umquam fuit Hieronymo præstantior in Criticis disciplinis, sive spectes ejus criterium in discernendis Operibus in libros de Scriptoribus Eclesiasticis, sive ejus diligentiam in interpretando Eusebii Chronico, novaque adjectione locupletando; sive in exponendis Sacris Scripturis, quarum Vetus Testamentum ex Hebræo vertit, ac Novum Græcæ fidei restituit; sive in vertendis ex Græco aliorum scriptis; sive in aliis excitandis ad scripturarum studia. Ex quo factum putat Simonius, ut ea ætate plures etiam nobiles fœminæ, sacræ in Biblia Criticæ operam dederint. Quod quidem, si de Paula, & Eustochio, aliisque nonnullis fœminis sermo sit, non diffitemur. Errasse autem Simonium dicimus, cum Hist. Crit. Vet. Test. l. 1. c. 1. putat, Suniam, & Fretelam fœminas fuisse (quo in errore etiam fuit Honoratus à S. Maria Diss. 1. a. 6.); nam ut advertit Martinæus in Com. Epist. Hieron. ad Suniam, & Fretelam, hi duo milites Getæ erant, ut ex ejusdem Epist. contextu patet. Ita aliquando & ipsis Criticis *bonus dormitat Homerus.*

(4) Vide præ cæteris Augustini libros de Doct. Christ.

(5) Vide ejus Epist. ad Turribium Austuricensem c. 15. sq.

(6) Quo criterio usus sit Theodoretus in Hæreticarum fabularum opere, & in sermonibus de curandis Græcorum adfectionibus quisque videt qui legerit. In historia item Ecclesiastica diligens criticus extitit, nisi cum de Theodoro Mopsuesteno agit cujus partes, & errores aliquando sectatus, postea ejuravit.

(7) Scripsit Sulpitius de Historia Sacra à mundi exordio ad annum Christi 400.

(8) Sub Gelasio in Concilio Romano à LXX. Episcopis libri Sacri, & authentici discreti sunt ab apocryphis. Vide Tom. 4. Conc. edit. Paris. an. 1671. col. 1260 sqq.

(9) Scripsit Gennadius Catalogum illustrium Virorum.

(10) Prosperi est continuatio Chronici Eusebiani, & Hieronymiani ab anno Domini 382. ad annum 448.

(11) Quanta eruditione Cyrillus non modo Divinam Scripturam com-

eruditionem Criticam ex eo tempore (quæ rerum humanarum conditio est) jacturam aliquam passam esse; nihilo tamen minus & sexto, & posterioribus sæculis prodiere viri Critici egregii. Itaque sexto sæculo floruere in ejusmodi facultate S. Gregorius Magnus (1), Boetius (2), Dionysius Exiguus (3), Cassiodorus (4), aliique (5).

---

mentatus fuerit, & adversus Nestorii blasphemias insurrexerit, verum etiam contra Julianum Apostatam scripserit, compertum est ex ejus operibus.

(1) Vide ejus Epistolam ad Narsem Comitem lib. 6. Judict. 14. Epist. 14. ubi ipsum monet, *ut novis Codicibus passim non credat*, utque Synodi Ephesinæ *vetustos omnino Codices requirat*. Additque: *Romani autem Codices multo veriores sunt Græcis: quia nos vestra sicut non acumina, ita nec imposturas habemus.* In S. Gregorio, uti in plerisque aliis Patribus, Bailletus in adm. a. 7. nimiam credulitatem agnoscit, quæ causa extiterit, cur in diversis factis historicis, à mendacibus hominibus fuerit deceptus. Verum si Bailletus animadvertisset, S. Gregorium in Historiis, quæ libris Dialogorum continentur, ob quas potissimum de nimia credulitate accusatur, fidem suam liberasse, quippe ut Gussanvillæus in Vindiciis Dialog. S. Gregorii observat, eas retulit, prout ab aliis didicerat, ut ipse S. Gregorius in Proemio habet; ne moderatius de tanto Pontifice fuisset loquutus; maxime quia, ut Maurini Patres in Præfat. adnotant n. 11. *Ex his quæ gesta refert Gregorius* (in Dialogis), *nonnulla sunt quibus ipse interfuit; alia vero à locupletibus testibus acceperat, nimirum, à Sanctissimis Episcopis, fuci prorsus expertibus, ab integerrimæ vitæ Monachis, aut Monasteriorum Præfectis, à viris nobilibus, & ingenuis*; nimirum ad exactissimæ Criticæ regulas.

(2) Ex ejusdem Criticæ regulis Boetius in Præf. l. de Prædic. vindicat Aristoteli libros Categoriarum.

(3) Inter alia Dionysii Opera recensetur Collectio Canonum, & Decretalium Romanorum Pontificum, de qua Ballarinii in Append. Opp. S. Leonis t. 3. p. 3. c. 1. §. 2. *Dubitari*, inquiunt, *non potest, quin Dionysii collectio cæteris antiquioribus & distinctione Canonum à Decretis Pontificum, & perspicuitate versionis Canonum Græcorum, & documentorum ordine, & titulis aptioribus non modicum præstet, nec non ipsa omnium decretorum sinceritate, qua nihil apocryphum recepit, exceptis Canonibus Apostolicis, quos tamen Dionysius non sine peculiari admonitione à cæteris genuinis canonibus distinguendos putavit.* Vide Constantium Epist. Rom. Pontific. tom. 1. in Præfat. §. 6.

(4) Conferri potest ejus Chronicon ad Theodoricum Regem, & Historia Tripartita.

(5) Vide Collationem Constantinopoli habitam anno 633. à Catholicis cum Severianis T. 4. Conc. edit. Paris. ann. 1671. col. 1766. sq.

954 Sæculo septimo in eadem arte illustres fuere inter cæteros S. Isidorus Hispalensis Episcopus (1), S. Maximus Monachus (2), S. Ildephonsus (3), quibus addendi sunt Patres Sextæ Synodi Œcumenicæ (4), nec non Auctor Hispanicæ Collectionis Conciliorum (5).

955 Octavum sæculum claruit Venerabilis Beda (6), Joannes (7),

---

ubi egregia pro discernendis genuinis à suppositis scriptis documenta ponuntur.

(1) Inter Isidori opera recensentur libri 20. Originum ; Chronicon ab initio mundi ad an. Christi 626. & Historia Gothorum, Vandalorum, & Suevorum. Card. Aguirius t. 1. diss. 1. Appar. ad Collect. maximam Conc. Hisp. ostendit, Isidorum Hispalensem Decretalia collegisse. Hæc autem collectio longe diversa est à Collectione Pseudo-Isidori Mercatoris, de qua paullo infra.

(2) Scripsit Maximus de Computo Ecclesiastico, cum brevi temporum putatione.

(3) Ildephonsi est Additio ad librum S. Isidori de Viris illustribus.

(4) Vide Action. 3. t. 6. Conc. edit. Paris. 1671. col. 622. sq. ubi Legati Sedis Apostolicæ falsata declararunt Acta quintæ Synodi, assutis quodam supposito libro Mennæ ad Vigilium Rom. Pontif. & duobus libris eidem Vigilio suppositis. Vide etiam ib. Action. 10.

(5) Nihil non genuinum continet. Est autem opus vel S. Isidori Hispalensis, vel ejus jussu concinnatum. Vide Ballerinios loc. cit. c. 4. §. 2. sq.

(6) Vide ejus Opera *de temporum ratione. De sex mundi ætatibus. De Anglorum historia.* Vide etiam ejus Martyrologium &c. Tillemontius Adnot. 5. in Jesum Christ. putat, librum *de Locis Sanctis* attribuendum esse Bedæ, aitque, in illo plura congeri minus probabilia, aut explorate falsa. Qua in re duo sunt valde miranda, primum, Criticum hunc non animadvertisse, librum illum non esse genuinum Bedæ fœtum. Alterum, ejus libri, quem mendacia complecti dixerat, non semel usum fuisse testimonio, ut loc. cit. a. 24. & adnot. 1. in S. Virginem.

(7) Damascenum nonnulli habent tamquam incuriosum artis Criticæ, tum quod Canones Apostolicos Clementi tribuerit l. 4. de Fide c. 17. Tum quod ex apocrypha *de Virginis transitu* historia Melitoni afficta, hauserit ea quæ scribit de assumptione B. Virginis in serm. de ejus dormitione. Tum quod de Edessena Salvatoris effigie in texto lineo expressa, verba faciat in Epist. ad Theophilum Imperatorem. Sed quod ad Canones Apostolicos attinet, jam Beveregius ostendit, primam eorum collectionem à Clemente non Romano, sed Alexandrino factam, ut testatur Eusebius Hist. l. 6. c. 13. Quod autem attinet ad B. Virginis assumptionem, gratis asseritur, Damascenum à conflicta Melitonis historia eam accepisse ; accepit namque *ex antiqua, & verissi-*

Damascenus Alcuinus (1), quibus addendi sunt Patres Septimæ Synodi Œcumenicæ (2), nec non Patres Concilii Francofordiensis (3), & Auctor Collectionis Canonum, quam Adrianus I. Carolo Magno tradidit (4). Iis autem non defuere Critices præsidia.

956 Nono sæculo (5) iisdem præsidiis destituti minime fuerunt

---

ma traditione Ecclesiæ Catholicæ, ut ipse ait ser. 3. de eadem dormitione. Vide Baronium in Not. Martyr. Rom. ad diem 15. Augusti. Denique quod spectat ad imaginem Edessenam, jampridem observavit Combesisius noster *in Manipulo rerum Constantinop.* Epistolam ad Theoph. Imp. non esse Damasceno adjudicandam. Et licet Damascenus idem l. 4. de Fide c. 16. de eadem Edessena imagine verba faciat; ait tamen: *fertur ejusmodi historia*: quod indicat, illum de ejus veritate non fuisse certum.

(1) Eruditissimus fuit Alcuinus Caroli M. magister, quo idem Carolus usus est ad Scholas restaurandas. Conferri potest Launojus *de Scholis celebrioribus.*

(2) Vide Action. V.

(3) Tom. 7. Conc. edit. Paris. an. 1671. col. 1034. ubi Patres exprobrant Elipando, quod in sui confirmationem erroris de Christo Filio Dei adoptivo nonnulla testimonia ex SS. Hieronymo, & Augustino falso protulerit.

(4) Quisquis ejus Auctor fuerit, constat, nihil non sincerum comprehendisse, & magna diligentia fuisse elaboratam.

(5) Hujus sæculi initio Eruditi consignant Collectionem Canonum Pseudo Isidori Mercatoris, in qua plures apocryphæ Decretales suppositæ sunt antiquis Romanis Pontificibus, quas enumerat Constantius Epist. Rom. Pont. in Præfat. §. 10. Quæ certe Collectio multis errandi occasionem deinceps præbuit, cum nihil de apocryphis Mercatoris mercibus suspicantes, eas pro genuinis habuerunt. Quo in errore Gratianus etiam in Decreto versatus fuit, aliisque qui eum bona fide sequuti sunt, errandi periculum creavit. Verum non ita gravis fuit error, ut vel Catholicam Fidem labefactaverit, vel Ecclesiæ mutaverit disciplinam. Nam ut advertit Petrus de Marca l. 3. de Concordia Sacerdotii, & Imperii c. 5. Epistolas illas ab Pseudo-Isidoro antiquis Romanis Pontificibus falso attributas, *è sententiis, & verbis legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum qui quarto, & quinto sæculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.* Quare non placet quod Constantius ait loc. cit. novam disciplinam à Pseudo-Isidoro inductam fuisse. Nam si eæ Epistolæ nihil ferme habent, quod acceptum non sit ex antiquis legibus, & Canonibus, exque Patribus quarti, & quinti sæculi, sane non video, quæ potuerit esse disciplinæ mutatio ob apocryphas illas Epistolas. Non defuere etiam qui eam Collectionem eodem sæculo nono respuerent. Cujus rei testes habemus Hicmarum Remen-

Rhabanus (1) Anastanius (2), Photius (3), Nicephorus Patriarca Constantinop. (4), Paschasius Radbertus (5), &c.

957 Jam vero sæculo decimo etsi non magnus numerus extitit hominum eruditorum, extitere tamen viri criticæ etiam eruditionis, prout tempora ferebant, non expertes, S. Odo Abbas Cluniacensis (6), Atto Vercellensis (7), Luitprandus (8), Reginus Prumiensis Abbas (9), Sylvester II. Rom. Pont. (10) &c.

958 Undecimum sæculum Criticos exhibet Theophylac-

---

sem ad Laudunensem Hicmarum scribentem, nec non Nicolaum I. & Leonem IV. Rom. Pontifices, qui Pseudo-Isidori spuria decreta taciti prætermerunt etiam cum eorum laudandorum occasio sese offerret. Itaque non est cur tantopere Critici conquerantur de Pseudo-Isidoriana collectione.

(1) Certe Rhabanus qui paulo post annum 841. Otgario Moguntino Episcopo Pœnitentiale nuncupavit, nihil excerpsit ex Pseudo-Isidoro: quod indicium est optimi ejus criterii.

(2) Etsi Anastasius S. R. E. Bibliothecarius à Baylleto dicatur minus prospere consilium iniisse de congerendis Martyrum Actis, cum à pravo ejus sæculi ingenio se tueri non potuerit; nihilominus constat, Anastasium Criticæ fuisse bene peritum; ut inter alia ostendit ejus versio Latina Octavæ Synodi. Vide Mabillonium Annal. Bened. ad an. 853. n. 71. & Baronium an. 869. n. 82. sqq.

(3) Utinam schismate fœdatus non fuisset Photius: nam ejus eruditio critica tanta fuit, ut vix alius sit artis criticæ ipso peritior.

(4) Vide ejus *Historiæ Brebiarium* editum à Petavio, & *Chronologiam* à Goario vulgatam, una cum Chronico Georgii Syncelli.

(5) De ejus scriptis vide Mabillonium in Annal. Bened. ad an. 858. n. 37.

(6) Ejus scripta recenset idem Mabilonius ib. ad an. 942 n. 19.

(7) Vide D'Acherium in Spicil. edit. Paris. an. 1723. tom. 1. p. 401. & ejusdem Attonis Edit. Vercellensem an. 1708. Ac D'Alcherius quidem: *Atto*, inquit, *in rebus Divinis, & Ecclesiasticis versatissimus suas lucubrationes testimoniis quasi margaritis è Sacra Scriptura, & Conciliis, & Ecclesiæ patribus desumptis adornavit.* Quod sine Critices præsidio præstare non poterat.

(8) Sex historiæ libros Luitprandus edidit, quo auctore utuntur quotquot de gestis nono, & decimo sæculo tractant. In eo Baronius, ad an. 963. n. 2. conjunctam agnoscit Græcarum litterarum eruditionem cum Poesi, ceterisque litterarum facultatibus.

(9) Chronicon duobus libris absolvit ab Incarnatione Domini ad an. 908. Vide Mabill. loc. cit. ad an. 908. n. 48.

(10) Ejus eruditionem, & apologiam describit Mabillonius loc. cit. ad an. 1003. n. 32.

tum (1), S. Petrum Damianum (2), Œcumenium (3), Burcardum (4), Hermannum Contractum (5), Cedrenum (6), Fulbertum (7), aliosque (8).

959 Emicuere sæculo duodecimo Eustatius (9), uterque Tzetzelius (10), S. Anselmus Cantuariensis (11), S. Bernardus (12), Petrus Lombardus (13), Petrus Blesensis (14), & alii (15).

960 Sæculo decimotertio à Fratribus Ordinis Prædicatorum, imperante S. Ludovico Galiarum Rege, adornata fuit correctio Latina Bibliorum, cum criticis notationibus decerptis ex Textu

---

(1) Nemo Theophylactum Critices expertem dixerit, qui legerit ejus in Scripturam Commentarios.

(2) Vide ejus lib. qui *Gomorrhianus* inscribitur c. 10. sqq. ubi de apocryphis Canonibus plura erudite scribit.

(3) Sine Critices subsidio Græcus hic Scriptor Catenas in Acta Apostolorum, & in S. Pauli Epistolas elucubrare minime potuisset.

(4) De Burchardi Collectione Canonum vide Ballerinios in Append. t. 3. Opp. S. Leonis P. 4. c. 12.

(5) Vide ejus Chronicon ab Adamo ad ann. Christi 1066.

(6) Historiam conscripsit accurate.

(7) Vide Mabillom. ad an. 992. n. 72.

(8) Confer Honoratum à S. Maria Animadv. in reg. & usum Crit. Diss. 1. a. 6. ubi ex Historia Universitatis Paris. Bulæi, enumerat Viros supra ducentos qui à sæculo octavo ad undecimum ex una tantum Parisiensi Schola prodierunt omni litterarum genere prestantissimos. Vide insuper Acta Concilii Lemovicensis II. Tom. 9. Conc. pag. 870. sq. ubi ex regulis Criticis agitur de Apostolatu S. Martialis, præsertim ex antiquissimis Codicibus, Litaniis, & Martyrologiis.

(9) Scripsit Commentarios in Homerum omnibus probatissimos.

(10) Prior in Lycophronum, posterior in Hesiodum scripsit.

(11) Nihil Anselmus habet in genuinis suis operibus, quod non sit ad exactissimæ Critices regulas compositum.

(12) Vide Epist. 326. sqq. ubi agit de Petri Abaelardi erroribus.

(13) Etsi Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, dictus Magister sententiarum, aliquando fuerit deceptus in citandis nonnullis Patrum operibus, quæ postea à Criticis deprehensa sunt non esse genuinos eorum fœtus; nemo tamen illum dicet Critices imperitum, qui quatuor ejus libros legerit ex sententiis Patrum collectos, quibus universa Theologia comprehenditur.

(14) Confer ejus historiam de Regibus Angliæ.

(15) Vide Mabillon. de stud. Monast. p. 1. c. 10. & in calce Thom. 1. Opp. S. Bernardi edit. an. 1690. & in Edit. Veneta an. 1765. in principio Volum. 1. post Chronologiam Bernardinam, ubi refertur censura Stephani Abbatis Cisterciensis II. de aliquot locis Bibliorum, facta an. 1109. & Decretum Capituli Generalis Ord. Cisterciensis an. 1196. de

Hebraico, ex versione Septuaginta, exque libris Origenis, & Hieronymi (1). Editæ quoque fuerunt ab Hugone de Sancto Charo, opem ferentibus ejus Sodalibus, Concordantiæ Latinæ Bibliorum (2). Emanarunt præterea correctiones aliæ, in quibus recensentur lectiones textus hebraici, versionis Septuaginta, & veteris latinæ (3). Quis autem dixerit, hæc fieri potuisse ab hominibus criticæ ignaris? Inter alios vero qui magno numero emicuerunt sæculo decimotertio, doctissimos homines, effulsit S. Thomas Aquinas, & ipse criticis præceptis plane eruditus (4).

---

emendanda lectione Evangelica Passionis Domini ad petitionem quondam Lugdunensis Archiepiscopi.

(1) Vide Lucam Burgensem in c. 3. lib. Job; & Euchardum de Script. Ord. Præd. T. 1. p. 197. Huic correctioni adlaborarunt Hugo de S. Charo, ejusque sodales Ord. Præd.

(2) De his Concordantiis Euchardus de Script. Ord. Præd. T. 1. p. 207. *Hæc est*, inquit, *tota, & certa Concordatiarum Sacræ Bibliothecæ historia. Hugo de S. Charo primum aggressus est, & ope suorum sodalium perfecit, locis tantum indicatis. Joannes Derlingtonia, & Ricardus de Stavenesby, & alii Angli Sodales auxerunt, ad loca indicata adjectis Sacræ Scripturæ sententiis, sed plerumque longioribus... Corandus de Halberstat tertiam suscepit brevioribus capitibus per quatuor tantum litteras distinctis, & sententiis Scripturæ ex parte reeisis, sicque commodiorem, & leviorem reddidit. Hæc sæculo decimo tertio, vel sequenti ineunte confecta: sæculo vero XV. circiter medio Joannes de Ragusio particularum indeclinabilium in prioribus omissarum alteras concordantias tentavit, & ope Amanuensium perfecit: adeo ut si quæ utilitas ex hoc opere, quæ quidem fuit maxima, tota Ordini Prædicatorum debeatur.* (3) Vide Honorat. à S. Maria loc. cit.

(4) Quam fuerit Thomas versatus in arte Critica, constat 1. ex regulis criticis, quas in Opusc. cont. errores Græcorum in Præf. statuit ad adsequendum sensum Scriptorum. 2. ex diligenti ejus criterio in discernendis operibus genuinis à suppositis. Sic 3. p. q. 35. a. 6. ad 3. & q. 36. a. 4. ad 3. & q. 43. a. 3. ad 1. docet, librum de infantia Salvatoris esse apocryphum. ibid. q. 45. a. 3. ad 2. abjudicat Augustino librum de Mirabilibus Sacræ Scripturæ. Et Quodl. 6. a. 10. Gennadio adscribit librum de Ecclesiasticis Dogmatibus, qui falso tribuebatur Augustino. Et q. un. de anima a. 12. ad 1. statuit, librum de Spiritu, & anima non esse Augustini, sed cujusdam Monachi Cisterciensis quem Maurini Patres Alcherum esse suspicantur. Et q. un. de spirit. creat. a. 3. ad 9. ait, librum de differentia spiritus, & animæ non esse authenticum. Et ib. a. 1. ad 21. abjudicat Boëtio librum de unitate, & uno. Quare & Theologi Lovanienses, & Maurini Patres in edendis Operibus S. Augustini, ac secernendis ejus operibus genuinis à suppositis, sæpe utuntur auctoritate S. Thomæ. 3. constat ex ejus diligentia in perquirendis Sanctorum Pa-

961 Jam sæculo decimoquarto cœperunt, ut ipsi fatentur juniores Critici, humanæ litteræ laqueis sese extricare cura summorum, ut ipsi inquiunt, virorum Dantis Alingerii, Petarcæ, Bocaccii (1). Quos sæculo decimoquinto plerique alii (2) sequuti sunt,

---

trum præsertim Græcorum operibus, iisque consulendis, aut nova translatione donandis, ut ipsemet fatetur in Epist. ad Urbanum IV. qua ei nuncupat Catenam in mattheum, & in Epist. ad Annibaldum Card. præfixa Catenæ in alia Evangelia. Quod si nonnumquam Thomas in suis operibus vel unius Scriptoris pro altero nomen ponit vel supposititia aliquando opera citat, id non ejus vitio vertendum est, sed extremæ Codicum penuriæ, ob quam Viri docti tunc cogebantur sententias Patrum colligere ex Glossis, vel ex Gratiani decreto. Quod aperte significavit idem Thomas in Epist. cit. ad Urbanum IV. cum ait: *Diversis Doctorum libris prædicti Evangelii Expositionem continuam compilavi: pauca quidem certorum Auctorum verbis, ut plurimum ex glossis adjiciens.* Certe ut Montfauconius refert Præfat. in Hom. Chrysostomi in Matth. Thomas adjebat, *malle se uti Chrysostomi libris in Matthæum, quam possidere fruique Lucretia Parisiorum.* Tanta tunc temporis erat Codicum penuria, cui postea fuit occursum typorum usu. Quocirca mirum non est, si post inventam artem typographicam, multiplicata librorum copia, accuratiores animadversiones in Patrum opera sint instituta, ut genuina à suppositis secernerentur. Præterea etiamsi Thomæ magna fuisset Codicum copia, non erat ipsi tantum temporis, ut de singulis Patrum operibus critice judicaret; id enim requirebat plurimorum annorum studium. Neque hoc studii genus magnopere contulisset ad conficiendum Sacræ Doctrinæ corpus, quod Thomas intendebat pro Ecclesiæ utilitate. Nam Patrum auctoritates non ideo in Theologia inducuntur, ut per sese singillatim ipsæ probent (Theologia enim non humana, sed divina nititur auctoritate) sed quia Patres testes sunt Traditionis: Traditio autem habetur, sive opus sit hujus, sive illius Doctoris, dummodo de ejus antiquitate constet. Cæterum de peritia S. Thomæ in re Historica, & critica adeundus est Bernardus de Rubeis in Duplici disser. hac de re edita, quarum prior habetur Tom. 5. Tertiæ Partis, posterior Tom. 3. ejusdem Tertiæ Partis Edit. Neapol. an. 1766.

(1) De hisce sæculi XIV. sapientibus vide quæ scribit S. Antoninus Chron. 3. p. tit. 21. c. 5. §. 2. & c. 10. §. 2.

(2) Inter hos recensentur Laurentius Valla, Leonardus Aretinus, Georgius Merula, Andreas Politianus, &c. qui quidem profana eruditione celebrantur. Sed & alii in Occidente, ac præsertim in Italia eo sæculo extiterunt in Divinis humanisque rebus præstantissime eruditi, etiam ante occupatam à Turcis Constantinopolim an. 1453. Nam in Concilio Florentino quod habitum fuit an. 1439. eximii ex parte Latinorum fuere Theologi, quos inter emicuit Joannes de Monte nigro, & Epis-

adlaborantes in recensendis Veterum Scriptorum Codicibus, in Græcis Auctoribus interpretandis, atque in conficiendis Lexicis, & historiis recensendis. Utinam in una tantum eruditione universi tunc temporis constitissent! Nam ut Honoratus (1) advertit, illorum aliqui ita nominis sui existimationem scriptis confirmarunt, *ut litterarum instaurationis Epocha immoderatæ quoque licentiæ renovationem recte designet.*

962 Denique in sequentibus sæculis ad hanc usque ætatem magna contentione ars critica fuit exculta. Utrum omnibus suis numeris sit absoluta, coligi potest ex iis quæ idem Honoratus adversus celebriores Criticos Simonium, Tillemontium, Dupinum,

---

copus Colossensis Ord. Præd. qui in eodem Concilio cum Græcis disputarunt, & non modo summi Theologi, sed perfecti Historici, & Critici deprehensi sunt. Vide sess. 20. Tom. XIII. edit. Paris. an. 1671. pag. 290. sq. & S. Antoninum, qui præsens Concilio adfuit, in Chron. p. 3. tit. 22. c. 11. Quapropter & ipsi Græci doctrinam, & eruditionem Latinorum admirati sunt. Hinc non assentimur iis, qui statuunt, renovationem litterarum in Occidente statuendam esse à tempore occupatæ Constantinopolis à Turcis, quo factum fuit, ut plures eruditi Græci in Occidentis partes commigrantes, litterarum studium, & æmulationem excitarint. Neque hoc loco Latinorum nostrorum testimonium proferam, sed hominis Græci fide dignissimi, Bessarionis, scilicet, Cardinalis, & Archiepiscopi Nicæni, qui & ipse Concilio Florentino interfuit: sic enim habet ad Alexium Lascarim ex interpretatione Petri Arcudii edit. Rom. 1630. p. 203. de Latinis loquens: *Ita sunt in suis gestis studiosi ac diligentes, ut non solum in rebus divinis, verum etiam mundanis, & politicis nihil eos antiquitatis fugiat. Quare & in urbibus in suis publicis tabulariis egregia facta omnia litteris consignata, ibique reservata reperies, quæ à temporibus, de quibus nulla extat memoria gesserint.* Hæc Bessario de Latinis ante Constantinopolim occupatam scribebat. Quis autem affirmabit, Latinos, quos homo Græcus adeo studiosos, ac diligentes dixit non in rebus divinis modo, sed & in mundanis, & politicis, excitari ad studia debuisse à Græcis, de quibus idem Bessario ib. pag. 207. scribit: *Nostri cum in hoc victi, & fugati fuissent, timebant secundum subire certamen..... Igitur animi sollicitudine vel maxime urgebantur, ac tremebant, & omnino nolebant amplius manere.... Ajebant vero inter se, quemadmodum ad nostras pervenit aures, Latinos posse ostendere multorum Sanctorum Doctorum permultas sententias?* Mirum! Græcus homo hæc de Latinorum sapientia, & eruditione illius ævi scribit: & nihilominus Latini plerique sunt, qui Latinæ eruditionis epocham à Græcis in Occidentem commigrantibus inchoandam esse statuunt.

(1) A. 6. cit.

Ruinartium, Natalem Alexandrum, Bailletum rationibus haud spernendis animadvertit.

963 Ex quibus plane constat, recte dici posse, artem Criticam omnium sæculorum esse artem.

964 Ad primum respondemus : Opera Patrum indiguisse quidem severioris Critices, ut genuina à suppositis secernerentur, id autem factum est præsidio accepto vel à vetustis Codicibus, vel ab Indicibus eorumdem Operum confectis, aut ab ipsis Patribus (1), aut ab aliis, qui eorum scripta recensuerunt (2). Itaque & ipsi Critici juniores veterum laboribus usi sunt; neque alia ratione quidquam perficere potuissent.

965 Negamus autem, genuina Patrum opera permixta fuisse cum suppositis, Monachorum fraude, aut inscitia. Nam si Monachi universim id in more positum habuissent, cum omnes fere Codices qui supersunt, à Monachis sint exarati, vix fieri potuisset, ut genuina à suppositis secernerentur ex Codicum inspectione, qui suspecti essent. Aliæ certe sunt hujusmodi permixtionis causæ, quas docte enumerat Sixtus Senensis (3).

---

(1) Sic S. Augustinus in lib. Retract. sua opera retractans enumeravit.

(2) Eusebius, & Sanctus Hieronymus priorum Patrum opera recenserunt.

(3) In calce l. 4. Biblioth. Sanctæ, ubi statuit, duplicem fingendi inscriptiones fuisse rationem, alteram ab ipsis auctoribus, alteram ab extraneis profectam. Ac prioris quidem causas omissarum ex industria ab auctoribus inscriptionum suorum nominum ponit sive humilitatis studium; sive explorandi alieni judicii desiderium; sive aliorum quibus invisi erant utilitatem; sive vitationem invidiæ, & periculorum; sive studiorum exercitationem, qua alterius, cujus personam, quis conatur exprimere, nomen adsumit; sive deceptionem indoctorum propositis nugis, vel erroribus sub speciosis celebriorum Virorum nominibus. Posterioris vero causas statuit, vel nominis æquivocationem; vel inscriptionis defectum; vel inscriptionis, exercitii gratia, simulationem; vel styli similitudinem; vel argumenti communitatem; vel quæstum Scriptorum, & typographorum; vel denique hæreticorum fraudem, quam multis exemplis idem Sixtus ostendit ib. & in Præfat. petitis cum ex veteri historia, tum ex recenti hæreticorum nostri temporis memoria. Inique igitur Protestantes Monachis impostura notam inurunt, quibus gratias referre deberent, quod monumenta Sacræ, & profanæ antiquitatis nobis reliquerint; quæ sane periissent, nisi Monachi laborem subiissent scribendi Codices. Et cum vix pauci reperiantur Codices, qui scripti sint ante octavum sæculum; perspicuum est, Ecclesiam, Rempublicam, & eruditos omnes plurimum teneri Monachis illorum sæcu-

966 Ad secundum dicimus, non ita fuisse fabulis permixta Acta Martyrum, & historias aliorum Sanctorum, ut nonnullis modernis Criticis placet, quibus quædam mira facta, & prodigia, & visiones quæ in illis narrantur, non adrident (1). Sane si ob hanc rationem Acta essent à sincerorum numero excludenda, pro sinceris haberi non possent Acta SS. Perpetuæ, & Felicitatis, Jacobi, & Mariani, Montani, & Lucii &c., quæ tamen Ruinartius pro sinceris habet (2). Non ideo tamen affirmamus, Acta universa fuisse sincera; extabant enim quædam, quæ erant expungenda. Id autem jam noverant homines docti, antequam litteræ, ut juniores ajunt, renascerentur (3).

---

lorum, in quibus dicitur barbaries lutulentius grassata; ut vel hac ratione minus acerbe de Monachis loqui debuissent.

(1) Vide quæ scribit Honoratus à S. Maria 1. 1. diss. 2. ubi adversus recentiores Criticos agit de Metaphrastis testimonio.

(2) Vide Card. Orsium Diss. pro SS. Perpetuæ, & Felicitatis Orthodoxia adv. Samuelem Basnagium.

(3) Vide Epist. Card. Papiensis ad Franciscum Castilionensem datam 25. Januarii 1469. in calce ejusdem Diss. *Nosti*, inquit, *quanta Sanctorum Martyrum legat Ecclesia, quam grande de his circumferatur volumen, rariorem illa fidem videntur habere, quod minus diserte sunt scripta ... Cuperem ergo, plenum hoc religionis opus suscipi à te, & pretiosas mortes vendicari in lucem ... Conarer, si minus ad levandam inopiam tuam subveniret manus potentium, meam, quantulacumque est, Bovi trituranti porrigere &c.* Cui Castilionensis respondit data epistola, quæ ib. legitur, se excusans cum ob varias rationes instituti sui, ac vitæ, tum quia *multa*, inquit, *scripta sunt Sanctorum martyria incertis Auctoribus, ut nosti, quæ nullam temporis aut Historiæ legem retinent; nil in se habent præter insulsam quamdam pietatem, quæ magnam fidem à lectore postulare videatur: quæ si quis in aliquem narrationis ordinem redigere velit, non possit; & quod primum est in historia, majorem quam antea fidem habitura non sint. Multa sunt apocrypha, ut nosti ... Multa etiam sunt quæ à doctioribus improbantur &c.* Ita viri isti scribebant ac tam eleganter paulo post medium seculum XV. & post paucos annos ab occupata Constantinopoli. Sed multo jam ante compertum fuit, Acta quædam SS. Martyrum fuisse depravata. Vide Decretum Gelasianum in Concilio Romano an. 494. t. 4. Conc. edit. Paris. an. 1671. p. 1265. Et Can. 63. Conc. Quini sexti T. 6. Conc. p. 1172. Vide etiam S. Gregorium Turonensem de gloria Martyrum c. 40. 51. & 64. & Baronium Præfat. in Rom. Martyrol. Optandum igitur erat, ut Acta sincera secernerentur: quod à Ruinartio factum est, magna quidem laude; etsi nonnuli adhuc de quorumdam illorum sinceritate dubitent, ac putent, aliqua à Ruinartio rejecta, posse sinceris accenseri. Conf. Honoratus t. 1. diss. 4.

967 Ad tertium dicimus, nullum in Scripturis Sanctis reperiri errorem ad Fidem, vel mores spectantem; si qui sunt levioris momenti, vel scriptorum, vel typographorum incuriæ, & oscitantiæ adscribi debent.

ARTICULUS III.

Utrum aliquæ sint regulæ ad dignoscendam veritatem historiæ.

968 Videtur negandum, I. quia si qua regula foret, maxime esset illa, quam S. Hieronymus statuit, cum ait (1), veræ historiæ legem esse, vulgi opinionem exprimere. Atqui vulgi opiniones ut plurimum falsæ sunt, neque proinde regula esse possunt ad dignoscendam historiæ veritatem. Ergo.

969 II. Nemo in historicis est, qui non plura sit mentitus (2). Quis autem hominibus mendacibus fidem præstabit?

Propositio. *Statuuntur regulæ ad dignoscendam veritatem in factis historicis.*

970 I. Regula. Historiæ contentæ in Sacris Scripturis veteris, & novi Testamenti, sunt omnes infallibilis veritatis; nituntur enim testimonio ipsius Dei, à quo earum Scriptores fuerunt inspirati.

971 II. Regula. Res quæ ab historicis communi consensu referuntur, haberi debent tamquam omnino veræ, ac certæ, ita ut stultissimum sit de illis dubitare. Nam ut supra (3) ex Cicerone diximus, *neminem omnes, & nemo umquam omnes fefellit* (4).

---

(1) Adv. Helvidium.

(2) Vide Vopiscum in Aureliano, scribentem, *neminem Scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum*; proditque *in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur.*

(3) §. 934.

(4) Sunt qui cum Genuensi Art. Log. Crit. l. 4. c. 2. §. 12. putant, infinitos etiam historicos, si omnes ab uno rem acceperunt, nec aliunde didicerunt, non majorem fidem facere, quam illum unum. Hac de causa in dubium ille revocat cum bellum Trojanum, tum historiam versionis Septuaginta Interpretum; hanc quidem quia unum Aristæam; illud quia unum Homerum auctorem primum habuit. Verum putatne

Hinc stultum esset dubitare, utrum Antipodes sint; utrum extiterint Homerus, Socrates, Pytagora, Plato, &c.

972 III. Regula. Historicus, cui Ecclesia in iis quæ ad Religionem pertinent, auctoritatem tribuit, admittendus est tam-

---

Genuensis, infinitos illos historicos ita fuisse obtusos, ac plane plumbeos, ut eorum nemo in re ab uno narrata falsitatem ne olfecerit quidem? Utque sistamus in exemplis adductis: si infiniti pene historici sunt, qui bellum Trojanum non memorant modo, sed etiam à Troja capta annorum supputationem instituunt, eritne simile vero, universos, pecudum more, Homerum, vel, si velis, Syargum fuisse sequutos, nullumque eorum suspicatum fuisse, Homerum, vel Syargum poëtas, potuisse fingere, quæ videntur narrare de bello Trojano? Sed unde Genuensis rescivit, unde Vicus, quem citat, universos historicos ex uno Homero, vel Syargo descripsisse historiam belli Trojani? Sallustius certe lib. de conjuratione Catilinæ c. 6. ait. „Urbem Romam, *sicut* „*ego accepi*, condidere, atque habuere initio Trojani, qui, Ænea „duce, profugi, sedibus incertis vagabantur.“ Livius etiam initio Decadis 1. postquam ait, ea quæ tradebantur ante Urbem conditam, esse *poeticis magis decora fabulis*, tum pergit referre initium Urbis *à Troja capta*, quod dicit, *primum omnium satis constare*. Erat igitur apud Romanos constans traditio excidii Trojani, ex qua illius notitiam Sallustius, & Livius acceperunt, non ex uno Homero, vel Syargo. Ad versionem Septuaginta quod attinet, dicimus cum Natali Alexandro Hist. t. 6. dist. 8. prop. 1. nos *Veteres in antiquitatis notitia duces sequi malle, quam recentiores quosdam qui conjecturis inanibus antiquam Traditionem, seu opinionem in Ecclesia ab Apostolicis temporibus receptam impugnant*. Sane Versioni Septuaginta non modo Aristobolus apud Eusebium l. 13. Præp. & Josephus in proemio Antiq. & l. 12. c. 2. & l. 2. con. Apion. sed & Patres universi testimonium perhibent. Dicere autem, universos Patres, nullo adhibito criterio, uni Artistææ adhæsisse, fabulamque ebibisse, minus certe congruit venerationi Patribus debitæ. Id persensit Genuensis; ideoque (fortasse monitus) notam posuit: *Cum à Ptolomæi tempore ad Josephum aliosque ejus ævi, aut sequentis scriptores vix effluxerint* 300. *solidi anni, potuit ex traditione id factum resciri. Quocirca non putaverim, omnes qui hanc historiam memorant, unum excripsisse Aristæam*. At Genuensis cum uno se erigit pede, altero claudicat; & cum aliis præcepta historiæ tradit, ipse in historiam enormiter peccat. Trecentine duntaxat solidi anni effluxere à Ptolomæi tempore ad Josephum, & alios etiam sequentis seculi Scriptores. Atqui Ptolomæus Philadelphus versionem curavit Olympiade 124. hoc est, ante Christi ortum 350 (Vide Sistum Sen. Bibl. San. l. 4.) Josephus vero Antiquitates Judaicas absolvit an. Christi circiter 93. ætatis suæ an. 56. (Vide Petav. Rat. Temp. p. 1. l. 5.) Igitur 387. effluxere anni à Ptolomæi tempore ad Josephi ortum.

quam verus ; contra rejiciendus historicus est , cui Ecclesia noluit adhiberi fidem ; in iis tamen , in quibus ab Ecclesia non dissentit , potest ei fides adhiberi (1). Cujus regulæ ratio est, quia judicium Ecclesiæ in rebus ad religionem pertinentibus, semper maximi est faciendum.

973 IV. Regula. Ut historica narratio sit fide digna , ha-

---

(1) Vide Canum de Locis l. 11. c. 6. Semper enim Ecclesia morem habuit sicut probandi libros sana dogmata , & veraces sacras historias comprehendentes ; ita damnandi libros , quibus vel contra Religionem dogmata , vel falsa , & apocrypha gesta , & miracula continerentur. Vide Can. 47. Conc. Carthag. III. an. 397. Tom. 2. Conc. p. 1277. Vide etiam Epist. S. Innoc. I. ad Exsuperium n. 13. apud Constant. Epist. Rom. Pont. Tom. 1. p. 795. & Decretum Gelasianum supra relatum. Insuper vide Epist. 15. S. Leonis M. ad Turribium Asturicensem , c. 15. & Epist. 29. S. Gregor. M. l. 8. ad Eulogium Alexand. Neque obstat quod recentiores Critici objiciunt , plures esse in Martyrologiis, & Breviariis historias, quas ipsi fabularum loco habent. Nam 1. Si Martyrologia , & Breviaria fabulis scatent , quare iidem Critici illorum auctoritate nituntur sæpe , cum inde opiniones suas probare posse perspiciunt ? 2. Quis dixit Criticis nostris Ecclesiam decreto suo probasse universa quæ in Martyrologiis , & Breviariis continentur? Usus Martyrologiorum in Ecclesia præsertim Romana utique antiquissimus est. Vide S. Gregorii M. vitam à Maurinis adornatam l. 3. c. 12. Et Card. Bona de Div. Psal. c. 16. §. 19. Nihilominus & Petrus Galesinus an. 1577. & Baronius an. 1584. correctioni Martyrologii Rom. adlaborarunt. Vide Litteras Greg. XIII. præfixas Martyrol. Baronii edit. Rom. an. 1598. Altera Martyrologii Correctio facta est sub Urbano VIII. Accessit tertia sub Benedicto XIV. Vide ejus Litt. quarum initium , *Postquam intellexímus* Tom. 2. ejus. Bull. Similiter Breviarium Rom. cognitum emendatumque fuit jussu S. Pii V. & rursus mandato Clementis VIII. Nec usquam Ecclesia , aut Summi Pontifices sanxerunt , nihil esse in Breviario , aut Martyrologio , quod ad exactissimas Criticæ , & historiæ regulas non sit compositum. Cur autem Summi Pontifices interdixerint , ne quis aliquid in Martyrologio , aut Breviario Rom. adderet , vel mutaret , duæ potissimum fuere causæ , altera , quia cum ejusmodi libri publico cultui sint destinati , non ad privatos homines pertinet illos emendare , nisi publica Ecclesiæ auctoritate agant ; altera quia cum Critici moderni ita sint delicatuli , ut nihil eis placeat quod non sit ad eorum gustum accommodatum , & inter ipsos quod uni placet, alteri displiceat , nullus esset mutandi finis , si ad eorum arbitrium mutatio fieri deberet ; & rursus hæc mutatio etiamsi utilitate adjuvaret, novitate perturbaret , ut de Ecclesiæ consuetudinibus Augustinus ait Epist. 119.

benda est ratio 1. ejus qui narrat, 2. rei narratæ, 3. modi narrationis. In eo qui narrat, ratio haberi debet scientiæ, & probitatis.¶ Nomine autem scientiæ intelligitur 1. notitia eorum quæ narrantur (1), 2. perspicacitas & eruditio illius qui narrat. Nisi enim quis probe sciat quæ narrat, potius fabulator, quam historicus erit. Nisi sit perspicax, & eruditus, facile hallucinabitur, & fabulas historiarum loco habebit. Probitatis autem nomine intelligitur morum honestas, fidelitatem etiam complectens in referendo res gestas(2). Ab hac autem fidelitate abducunt partium studia. Quare suspecti sunt historici, qui ad narrandum inducuntur vel odio (3), vel invidia (4), vel metu (5) vel adulatione (6), vel factione (7).

---

(1) Hac potissimum destituuntur plerique recentes viatores, qui cum vix paucis mensibus, vel diebus substiterint in aliqua ipsis ante incognita regione, cujus etiam quandoque linguam ignorant, tum integra conficiunt volumina de ejus religione, moribus, legibus &c. perinde ac si ibidem nati, & educati fuissent.

(2) Morum sanctitas plurimam historico conciliat fidem; suspicari enim non potest, hominem pium voluisse fallere.

(3) Scriptor de Memoriis Campanis in Præfat. Livium sugillat ob livorem adversus Etruscos.

(4) Inter Græcos nonnulli sunt, qui res Latinas ob Latini imperii fulgorem extenuant, Græcas illustrant.

(5) Cæsaris metu aliquando Cicero minus fuit verax.

(6) Adulator Justitiani fuit Procopius in octo hist. lib. in quibus ipsum celebrat, cujus postea in nono lib. quem inscripsit *Arcana*, flagitia prodit.

(7) Nullam fidem meretur Zozimus, cum de Constantino M. pessime loquitur; erat enim Ethnicus, & Ethnicorum factione ducebatur. Suspecti etiam sunt hæretici, cum de rebus Catholicorum scribunt; multo magis, cum veteres historias ad suos errores confirmandos trahunt Genuensis Art. Log. Crit. l. 3. c. 2. §. 17. *Hæreticorum*, inquit, *trium priorum Ecclesiæ sæculorum doctrinæ tanta cum varietate, & plerumque gypso, & cinnabro narrata habemus, ut critici satius putent judicium sæpe cohibere.* Adversus Valentinianos, aliosque hæreticos scripsit S. Irænæus sæculo secundo. Adversus Praxeam, & Marcionem sæculo tertio scripsit Tertullianus. S. Epiphanius deinde, & S. Augustinus scripserunt de hæresibus etiam trium priorum sæculorum. Manichæos, quorum secta initium cœpit sæculo tertio, exagitavit idem Augustinus. Hinc omnes gypso, & cinnabro narrarunt? Quid est hoc aliud, quam gravissimos Patres accusare, quod hominibus illis imposuerint errores, quos non docebant? Subdit: *Posterorum sæculorum res recentibus odiis compositæ sunt.* Quibus verbis omnia in suspicionem vocat, quæ de hæ-

974 Habenda est etiam ratio rei narratæ, ita ut nihil involvat aut absolute repugnans, aut minime cohærens cum adjunctis loci, temporis, & personarum. Si enim hæc involvat, manifeste deprehenditur falsitas.

975 Modus denique narrationis expendi debet: nam quæ poetice referuntur, infimum habent historicæ veritatis gradum (1); majorem, quæ oratorie; maximum (2) quæ sine amplificatione (3).

976 V. Regula. Testimonium historici gravissimi præferri debet testimoniis plurimorum qui gravissimi non sunt; gravissimus enim historicus est, cui scientia, & probitas inest maxima (4).

977 VI. Regula. Historici coævi si perspicaces, & probi sint, sunt cæteris fide digniores, maxime si fuerint testes oculati; potuerunt enim accuratius res gestas cognoscere (5). Quod

---

reticis hactenus scripta sunt sive à Patribus, sive à Conciliis, sive à Theologis, quasi non ex veritatis amore, sed ex odio hominum prodierint.

(1) Hunc gradum videntur obtinere libri Herodoti, quos inscripsit *Musarum* nominibus.

(2) Hac regula usus est Ruinartius ad secernenda Acta syncera Martyrum.

(3) Tres hasce præceptiones tradidit Cicero l. 1. de Orat. *Quis nescit, primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat? Deinde ne quid veri non audeat? Ne qua suspicio gratiæ sit in dicendo, ne qua simultatis. Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem inædificatio posita est in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem ... Verborum autem ratio, & genus orationis fusum, atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, sine hac judiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis, prosequendum est.*

(4) Tillemontius art. 34. in S. Petrum agens de Simonis Magi volatu, & casu, ait: » Quand il seroit vray que cette histoire seroit une » fiction, nous aimerions mieux, tant qu'on n'aura point de preuve » claire & convaincante de sa fausseté, nous tromper en ce point avec » Arnobe, S. Cyrille de Jerusalem, les Legats du Pape Libere, S. Am» broise, S. Augustin, S. Isidore de Peluse, Theodoret, & plusieurs au» tres &c." *Tametsi hæc historia revera ficta esset, mallemus potius, quousque ejus falsitas clare, & firmiter non constet, decipi hac in re cum Arnobio, S. Cyrillo Hierosolymitano, Legatis Papæ Liberii, S. Ambrosio, S. Augustino, S. Isidoro Pelusiota, Theodoreto, aliisque pluribus.*

(5) S. Justinus M. Apol. 1. n. 26. refert, se Romæ vidisse in Insula

si coævi Scriptores rem diversimode, vel oppositam referunt, habenda est ratio eorum perspicaciæ & probitatis (3) : nam testimonium auctoris perspicacioris, & probioris præferri debet.

978 VII. Regula. Non est necesse ad historiæ veritatem, ut factum historicum ab auctoribus ejusdem, aut fere ejusdem temporis (4) confirmetur ; sed satis est, ut ab auctoribus fide dignis, etiamsi posterioribus seculis vixerint, referatur. Cum enim auctores isti sint fidedigni, arbitrandum est, documenta idonea habuisse, quibus res gesta nitebatur, quamquam documenta illa ad nos non pervenerint (1).

979 VIII. Regula. In rebus historicis argumentum *negativum*

Tyberina inter duos pontes statuam erectam Simoni Mago, cum inscriptione, *Simoni Deo sancto.* Nonnulli recentiores critici Justinum hallucinatum fuisse contendunt ex similitudine inscriptionis repertæ in eadem Insula tempore Gregorii XIII. quæ habebat *Semoni sango Deo Fidio sacrum* : quasi Justinus latinas litteras nescierit, vel non potuerint ibi exstare duæ illæ inscriptiones, vel non cum eruditis Ethnicis in ea Apologia Justinus pugnaverit, qui possent falsitatem inscriptionis objicere. Vide quæ observant Maurini PP. in opera Justini Præfat. 3. p. cap. 6.

(1) Quis non præferat S. Gregorium Nazianzenum Libanio, cum is in Julianum apostatam laudes congerit, ille Juliani summam nequitiam describit ?

(2) Fleurius Hist. Eccl. in proem. contendit, nihili faciendam esse historiam, quam non confirmet scriptor qui vel rei gestæ ætate, vel saltem propinquiori vixerit. Id si verum esset, corrueret magna pars historiæ trium priorum Ecclesiæ seculorum, quorum pauci Scriptores supersunt. Oporteret etiam, magnam partem factorum quæ recentiores Critici narrant, ex eorum operibus delere ; v. g. Tillemontius 1. suorum Monumentorum volumine quamplurima pertinentia ad primum Ecclesiæ seculum narrat ex fide Scriptorum qui ab ea ætate distant non modo ducentis, sed trecentis, quadringentis, quingentis, & sexcentis annis. Hæc igitur omnia delenda essent. Idem dicendum de historia Fleurii, cujus duo priora volumina continent quamplurima facta, quæ uno tantum testimonio Scriptorum quarti, & quinti seculi nituntur.

(3) Quis nesciat, quam multa Scriptorum opera perierint, quorum vel nomina tantum, vel ne nomina quidem ad nos pervenerunt? Quid ergo prohibet, quominus dicamus, posteriores illos Scriptores priorum opera deperdita legisse, resque gestas illis comprehensas ad nos detulisse ? aut eas ex documentis hausisse, quæ ex traditione didicerant ? Id sane eorum probitas suadet, maxime si Viri Sancti fuerint, quos nefas est suspicari mendaces.

unice petitum ex silentio veterum, nullius est roboris (1) nisi argumenta positiva sint, suadentia falsitatem (2). Nam veteres potuere factum reticere, vel quia ignorabant (3), vel quia eis omnino excidit (4), vel quia tunc compertum omnibus pervulgatumque erat (5), vel etiam ob malitiam (6).

980 IX. Regula. Cum de historia agitur, recipiendæ non sunt, nullo adhibito examine, vulgi traditiones; ut enim Cicero ait (7), *nihil est incertius vulgo.* Nihilominus recipi debent traditiones factorum historicorum, quas docti homines, & cum primis Ecclesia comprobarunt. Numquam enim fallitur qui nititur Ecclesiæ consuetudinibus (8).

---

(1) Nihil frequentius in juniorum criticorum libris legimus, quam istud: *Auctores synchroni universi tacent; igitur historia apocrypha est.* Quod si verum esset, apocryphis accensenda forent Apologia Athenagoræ, opera S. Jacobi Nisibeni, Hypotyposes Theognosti &c. nam neque Eusebius, neque S. Hieronymus illorum meminerunt.

(2) Quare nihil conficit Launojus in Diss. de argum. negat. congerens testimonia Patrum ad probandum ejus usum. Patres enim de argumento partim negante, partim afirmante explicari debent.

(3) Plurimorum Martyrum ne nomina quidem Eusebius exhibet, quamvis celeberrimi ii fuerint, uti SS. Laurentius, Vincentius, Felicitas, Perpetua &c. Facile Græcus homo ignorare poterat quæ apud Latinos fiebant. Plura etiam græca reticuit, quæ ex aliis Scriptoribus scimus.

(4) Videtur excidisse Hieronymo Athenagoras, cujus ne nomen quidem indicat in lib. de Script. Eccles.

(5) De Tertulliano in eodem lib. Hieronymus habet: *Multa scripsit volumina, quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus.* Eadem habet de operibus S. Cypriani.

(6) Qui Eusebio Cæsariensi Arianismi notam inurunt etiam post Nicænum Concilium, animadvertunt, ipsum de Fidei controversia adversus Arium in eo Concilio habita, admodum parce fuisse loquutum.

(7) Pro Mur. 36.

(8) Ad rem S. Augustinus Epist. 55. al. 119. c. 18. *Una*, inquit, *in his saluberrima regula retinenda est, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.* Certe ex consuetudinibus Ecclesiæ, haustis ex fonte Traditionis, plurima facta cognoscimus pertinentia ad B. Virginem, ad Apostolos, ad Martyres, & ad ipsum Dominum nostrum Jesum Christum; v. g. quod Christus natus fuerit die 25. Decembris; quod fuerit conceptus die 25. Martii; quod in spelunca Bethelemitica fuerint bos, & asinus; quod

981 Ad primum respondemus, intentum Hieronymi esse, debere historicum non quidem sequi omnes vulgi opiniones, etiamsi falsæ sint; sed ita se gerere, ut quæ vulgus habet, ita ut à vulgo habentur, exprimat; sicque se gessit Evangelista Matthæus, dum Jesum Christum appellavit Josephi filium, & Josephum Jesu Christi Patrem (1).

982 Ad secundum dicimus, nullatenus esse dubitandum de historicis, qui probi sunt, quod non fuerint mentiti; probitas enim potissimum in veracitate posita est, ut supra diximus (2): veracitas autem cum mendacio pugnat. Ad summum falli potuerunt. Verum si docti, & perspicaces fuerint, nulla est ratio credendi, quod fuerint decepti (3).

ARTICULUS IV.

Utrum libri genuini possint secerni à suppositis.

983 Dallæus (4) putat fieri vix posse, ut genuina Patrum opera à suppositis secernantur; qua vel unica via arbitratur posse omnem Traditionis vim evacuare. Videtur autem ita dicendum, 1. quia fraus fingendi, & supponendi Patribus libros antiquissima est (5), & singulis ferme sæculis obti-

---

Virgo fuerit assumpta in Cœlum; aliaque plura, quæ communi Fidelium traditione tenentur, nec usquam Ecclesia contradixit. Quid refert has, & consimiles res, quæ ad exhortationem vitæ melioris, & ad fovendam pietatem plurimum valent, in dubium revocare, ut illæ sunt de translatione Domus Lauretanæ, de columna, cui Christus fuit alligatus, de Lancea, de Veronica &c. Quid, inquam, refert, nisi ad extinguendam pietatem, arcendosque fideles à piis exercitationibus, quæ piæ essent, etiamsi res illæ apocryphæ forent? cultus enim non ad materiales res, sed ad Deum, & Sanctos ordinatur. Sed de hujusmodi rebus confer Honoratum in laudato opere, ubi de ipsis solide, & erudite disserit.

(1) Vide Canum l. 11. c. 5. (2) §. 973.

(3) De Ethnicorum historiis major est dubitandi ratio. S. Augustinus l. 21. de Civ. c. 6. *Non habemus*, inquit, *necesse omnia credere, quæ continet historia gentium, cum & ipsi inter se historici, sicut ait Varro, quasi data opera, & quasi ex industria per multa dissentiant; sed ea si volumus, credimus, quæ non adversantur libris, quibus non dubitamus oportere nos credere.*

(4) De usu Patrum l. 1. c. 3.

(5) De Hegesippo Eusebius l. 4. Hist. c. 22. sic habet: *Agens de li-*

nuit (1). Quis igitur poterit in tanta hujuscemodi operum confusione secernere genuina à suppositis?

984 II. Tanta fuit in librariis, & Bibliopolis ante inventam artem typographicam, licentia in supponendis libris, ut de ipsa conquerantur S. Hieronymus (2), & Casiodorus (3), & S. Gregorius M. (4). Qua igitur ratione discerni poterunt à suppositis opera genuina, si hæc licentia tantopere fuit grassata?

985 III. Quandoque etiam PP. ipsi hanc licentiam adhibuerunt; nam Zosimus, & Bonifacius Rom. Pontifices obtrusere Episcopis Africanis quosdam Canones, quasi essent Nicæni Concilii, ad vindicandum appellationis jus ad sedem Apostolicam. In tanta igitur confusione, qui poterunt libri genuini discerni à suppositis?

Propositio. *Traduntur Canones, quibus opera genuina à suppositis discerni possunt.*

986 Tres præcipui Canones traduntur à Sixto Senensi (5), quorum primus respicit tempus; alter dogmata; tertius stylum. His Critici posteriores adjecerunt alios. Itaque sit

987 I. Canon. Si quæ opera ut supposita, vel dubia constanter habita sunt à veteribus Scriptoribus, pro genuinis haberi

---

bris qui, apocryphi dicuntur, quosdam eorum sua ætate ab nonnullis hæreticis compositos esse scribit.

(1) S. Hieronymus in lib. de Script. Eccl. meminit scriptorum apocryphorum Petro, Barnabæ, Clementi, aliisque attributorum. In V. Syn. Act. 5. fit mentio Epistolæ sub S. Cyrilli nomine pervulgatæ à Nestorianis. Ab Eutychianis etiam fuerunt adscripti Doctoribus Catholicis quidam Appollinaris libri. Monothelitæ similiter Mennæ Patriarchæ Constantinopolitano Homiliam adscripserunt, quam dicebant missam ad Vigilium Romanum Pontificem. Poterat Dallæus alia insuper exempla subjicere ex gestis suorum gregalium petita, quæ refert Sixtus Senensis Biblioth. San. in Præf. quod scilicet Œcolampadii opus contra Sacramentum Eucharistiæ vulgaverint sub nomine Bertrami; quod opus Carlostadii contra imagines, inscripserint Carolo Magno; quod Calvini opus emiserint sub nomine Alcuini; quod opus Bulingeri attribuerint Magno Athanasio; quod Buceri opusculum impugnans merita bonorum operum adscripserint Joanni Rofensi &c. Hæc præteriit Dallæus, quæ ostendunt, suos Pseudo-reformatos vestigiis inhæsisse veterum hæreticorum; hæretici namque cum veritate non possint, mala fide agunt.

(2) Apol. 2. con. Ruff. (3) Div. Inst. l. 8. (4) L. 10. Epist. 69.
(5) Bibl. San. l. 4. in calce.

nequeunt (1). Nam qua ratione constare potest nobis novissimis, opus non esse spurium, quod tale ab antiquis compertum fuit?

988 II. Canon. Si quæ opera in veteribus Scriptoribus, vel Indicibus atributa alicui Scriptori non sint, non continuo rejicienda sunt tamquam supposita, sed expendendæ sunt aliæ rationes (2). Argumentum enim mere negativum nihil concludit, ut supra dictum est (3).

989 III. Canon. Opera quæ antiqui Scriptores, maxime si fuerunt coævi, pro genuinis habuerunt, pro genuinis haberi debent (4). Nam historici coævi sunt fide digni, ut supra diximus (5).

990 IV. Canon. Si quæ habentur in aliquo opere, quæ non conveniant cum tempore (6), aut doctrina Scriptoris (7), cui opus illud tribuitur, non leve suppositionis argumentum præbent, aut certe interpolationis. Non enim fieri potest, ut Auctor anterior de posterioribus factis (8) scripserit; nec est ve-

---

(1) Sic Evangelii Petri, Thomæ, Matthiæ, Acta Andreæ, Joannis, & aliorum Apostolorum, rejicienda sunt tamquam spuria, & ab hæreticis confecta. Vide Eus. Hist. l. 3. c. 25. Sic etiam Recognitiones S. Clementi attributæ, sive Itinerarium, & Disputationes S. Petri cum Appione, nec non Epistola ejusdem S. Clementis ad Jacobum pro suppositis sunt habendæ. Vide Euseb. ib. c. 38. & S. Hieronym. de Script. Eccl.

(2) Ita præstitere Maurini Patres, qui numquam in rejiciendis spuriis operibus uno tantum silentio veterum nituntur, sed alias rationes adjungunt.

(3) §. 979.

(4) Hinc opera quæ Possidius in Indiculo atribuit Augustino, sunt prorsus indubia; multoque magis ea, quæ idem Augustinus enumerat in lib. Retract.

(5) §. 977.

(6) Sic liber de Mirabilibus Sacræ Scripturæ merito abjudicatur S. Augustino; cum enim ibi fiat mentio de cyclis, apparet, post sæculum sextum fuisse scriptum. Sic S. Athanasio Alexandrino abjudicatur libellus de Imagine Christi, quæ ut Sigebertus narrat, sæculo octavo percussa à Judeo sanguinem fudit.

(7) Vide S. Hieronymum adv. Rufi. l. 3. c. 4. ubi ex hoc canone negat Pamphilo martyri Apologiam pro Origene.

(8) *De factis*, inquam; nam si de dogmatibus sermo sit, dogmata in posterioribus Conciliis definita, reperiuntur tradita à Patribus anterioribus; nisi enim tradita fuissent, probari ex Traditione non possent.

risimile dogmata sua mutasse (1).

991 V. Canon. Diversitas styli evidentior est conjectura, qua genuina à suppositis discernuntur (2) : nam impostores possunt quidem nomen, tempus, & dogmata ficti Auctoris prætexere ; ut autem stilum exacte imitentur, fieri vix, aut ne vix quidem potest.

992 VI. Canon. Ad judicandum de genuitate operum nonnihil adjumenti confert collatio Codicum ; nam quis persuadere sibi poterit, universos Codices fuisse falsatos (3)?

993 Ad primum respondemus, Dallæum rogantes, ut nos doceat, unde cognovit, hæreticos sæpe finxisse, & supposuisse Patribus libros? Id sane cognovit ex historia Ecclesiastica ; neque enim alibi, nisi divinando rescire potuisset. Atqui historia Ecclesiastica nos docet, fictiones illas, & suppositiones hæreticorum à viris doctis deprehensas fuisse. Idem igitur viri docti fictiones alias, & suppositiones deprehendissent in cæteris Patrum operibus, si quæ aliæ ab hæreticis manassent. Tantum vero abest, ut illas deprehenderint, quin eorumdem operum genuinorum nobis catalogum reliquerunt. Dalleus igitur operam oleumque perdidit, seque suo mucrone jugulavit (4).

994 Ad secundum, dicendum, quæcumque fuerit Libra-

---

(1) Prophani Scriptores, maxime si Sceptici fuerint, potuerunt sententiam facilius mutare. Non ita vero Scriptores Sacri, cum de doctrina agitur in ils, quæ ad Fidem pertinent ; in reliquis vero verisimile est : sententiam tenuisse, nisi constet oppositum.

(2) Hac conjectura S. Thomas q. un. de spir. creat. a. 1. ad 21. abjudicat Boëtio librum de unit. & uno ; » Liber, *inquit*, de unitate & » uno non est Boëtii, ut ipse stylus indicat."

(3) S. Hieronymus Epist. 84. ad Pammach. loquens de libris Origenis, quæ falsata ab hæreticis dicebantur, scribit : *Solus inventus est Origenes, cujus scripta in toto orbe falsarentur, & quasi ad Mitridatis litteras omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus est liber, num universa ejus opera, quæ diversis, & locis, & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt?*

(4) Simile Ruffini argumentum depellit idem Hieronymus Apol. 2. con. Ruff. *Si conceditur, ut quidquid in libris noxium reperitur ab aliis corruptum sit, nihil eorum erit quorum fertur nominibus ; sed his deputabitur, à quibus dicitur esse vitiatum : quamquam & illorum non erit, quorum incerta sunt nomina : atque ita fiet, ut dum omnium omnia sunt, nihil alicujus sit ... Hoc genere & iste ipse tuus liber, tuus non erit, sed forsitan meus ... & dum omnia ad hæreticos refers, quid Ecclesiasticis tribues, quibus proprium nihil relinquis?*

riorum, & Bibliopolarum licentia, numquid in toto orbe potuerunt Codices universos adulterare numquid Auctorum mutare stylum ? numquid delere veterum catalogos (1)?

995 Ad tertium respondemus primum quærendo ex Dallæo, quidnam reponeret, si quis principiis ejus nixus diceret, Zosimum, & Anastasium recte citasse Canonem Nicænum, qui tamen ab Arianis e numero Nicænorum Canonum fuisset sublatus. Nonne per ipsum hæretici Patrum opera adulterarunt ? Quid igitur mirum, si adulterassent etiam Acta Concilii Nicæni (2)? Deinde si qui adderent, supposititias esse Epistolas Zosimi, & Anastasii in causa Africana de appellationibus ad Sedem Apostolicam, quid responderet Dallæus, qui universa pene opera vult fuisse corrupta, & supposita ? Proferretne Acta Concilii VI. Carthaginensis in quo controversia de Appellationibus ad Apostolicam Sedem mota fuit ? Quid vero, si qui contenderet, hæc Acta esse commentitia (3) ? Sed nihilominus respondemus, Zosimum, & Anastasium laudasse Canonem V. Sardicensem, quem Nicænum appellarunt ex veteri usu, quo

---

(1) Jampridem S. Augustinus in Fausto Manichæo l. 33. con. ipsum c. 6. Dallæi sophisma depulerat : *Platonis*, inquit, *Aristotelis*, *Ciceronis*, *aliorum ejusmodi Auctorum libros unde noverunt homines*, *quod ipsorum sint*, *nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua*? ... *Quis tanto furore cæcatur* ... *qui dicat*, *hoc non potuisse mereri Apostolorum Ecclesiam*, *tam fidam*, *tam numerosam fratrum concordiam*, *ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent*?

(2) Non desunt qui docent ; Canones Nicænos fuisse plusquam viginti. Certe S. Ambrosius Epist. 63. ad Vercellensem Eccles. memorat Canonem Nicænum de bigamis non ordinandis, cujus Canonis nulla fit mentio in 20. Canonibus Nicænis, qui exstant. In eodem Nicæno Concilio fuit decretum editum de celebratione Paschatis, de quo tamen nulla est mentio inter eosdem viginti canones. Vide Dissert. Abrahami Ecchellensis de auctoritate Canonum, & Constitutionum, Nicænæ 1. Synodi à se ex Arabico latine versorum, T. 3. Conc. Edit. Paris. an. 1671. pag. 393. sqq. Vide etiam Baronium ad an. 325.

(3) Id argui posset 1. quia in Concilio Carthaginensi habito an. 419. perlectus fuit Canon omnium Conciliorum Africæ ab anno 393. celebratorum: ibi autem nulla fit mentio Concertationis, quam Acta illa Concilii VI. ponunt factam an. 418. II. hoc Concilium ordine ponitur sextum, cum tamen, si quod fuisset, deberet esse ordine quintum. III. Idem Concilium VI. ponitur habitum an. 418. die 25. Maji Atqui eodem anno die 29 Junii, (ut habetur in Conc. Africano can. 94.) die 30. Maji celebratum fuit Concilium Carthagine in Basilica Restitu-

Sardicenses Canones nominari Nicæni consueverunt (1), propterea quod habiti fuere tamquam appendices Nicæni Concilii.

ARTICULUS V.

Utrum emendatio librorum fieri debeat ex Manuscriptis Codicibus.

996 Videtur fieri non posse I. quia si libri typis editi, multis, iisdemque sæpe gravibus scatent erroribus, multo magis in Manuscriptos Codices irrepere debuerunt innumera menda ex librariorum incuria, & imperitia (2). Manuscripti igitur Codices sunt omnis fidei expertes, neque proinde quidquam conferre ad emendationem possunt.

997 II. Præterea non defuere Critici, qui ut Manuscriptos Codices emendarent, manus in eos injecerunt, quædam addentes, quædam detrahentes (3). Idipsum hæretici præstiterunt (4). Qua igitur ratione emendatio fieri poterit ex hujusmodi Codicibus Manuscriptis depravatis?

998 III. Insuper quamplurimi Codices Manuscripti ita fuerunt ætate confecti, ut multæ lacunæ exstiterint (5), quas imperiti supplere volentes, depravarunt libros. Has autem depravationes deprehendendi nulla suppetit via.

---

tæ, quod ponitur ordine VII. Vide Tom. 3. Conc. p. 1603. Longe autem abest à vero, eodem anno, eodemque, vel ferme eodem mense duo Concilia Carthagine habita fuisse. IV. De jure appellandi ad Rom. Pontificem numquam disputatum fuisse in Africa, constat ex S. Augustino cum Epist. 43. al. 162. c. 2. ubi ait, Cæcilianum à Melchiade Rom. Pont. fuisse in Episcopatu confirmatum, & Donatum improbatum; tum Epist. 209. al. 261. ubi agit de appellatione Antonii Fussalensis ad S. Cælestinum qui immediate successit Anastasio. Vide Christianum Lupum de Afric. Eccl. Romanis appellationibus.

(1) Confer Epist. Synodi Constantinop. an. 382. à Theodoreto descriptam l. 5. Hist. c. 9. ubi Nicæni Canonis nomine Sardicensem Canonem allegarunt. Vide etiam S. Hieron. Epist. 83. ad Oceanum, & S. Leonem Epist. 44. c. 3.

(2) Vide Strabonem l. 13.

(3) Vide Gellium l. 1. c. 7. ubi exempla adfert Criticorum inepte scripta emendantium.

(4) Vide Euseb. Hist. l. 3. c. 23.

(5) Hanc fuisse sortem librorum Aristotelis, & Theophrasti, narrat Strabo loc. cit. *Aristoteles*, inquit, *& bibliothecam, & scholam*

Propositio. *Libri integri à corruptis, & à mutilatis, aut interpolatis potissimum ope MSS. Codicum discernuntur; ex quibus proinde emendatio librorum fieri debet.*

999 Prob. ex S. Hieronymi (1) principio. Fieri non potest, ut universi Codices ejusdem libri diversis & locis, & temporibus, & à diversis hominibus exarati, corrupti fuerint. Si ergo plures ejusmodi Codices, præsertim vetustiores (2), inter sese conferantur, & in illis liber iisdem verbis sit descriptus (3), nec ulla appareat corruptionis, sive abrasionis (4),

---

reliquit Theophrasto, & primus omnium quos scimus, libros congregavit, & Egypti reges bibliothecæ ordinem docuit. Theophrastus vero eam tradidit Neleo, Neleus eam Scepsim detulit, ac posteris dedit, hominibus plane imperitis, qui libros inclusos, ac negligenter positos tenebant. Cumque Attalicorum Regum, sub quibus erant, studium sentirent conquirendorum librorum, ad instruendam eam bibliothecam, quæ Pergami erat, eos in fossa quadam sub terram occuluerunt, quos & tineis, & humiditate labefactatos, tandem qui ex eo genere erant, Apelliconi Tejo tradiderunt ... Apellicon, ut qui magis librorum esset studiosus, quam sapientiæ, volens corrosiones emendare eos transcribendos dedit, scriptura non recte suppleta; quapropter libros edidit erroribus plenos.

(1) Vide not. 3. pag. 508. & ibid. not. 4.

(2) Tertullianus l. 4. con. Marcionem c. 4. *Ego*, inquit, *meum (Evangelium Lucæ) dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperitur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* Et S. Augustinus Epist. 82. al. 19. n. 6. scribit: *Manichæi plurima divinarum Scripturarum, quibus eorum nefarius error clarissima sententiarum perspicuitate convincitur, quia in alium sensum detorquere non possunt, falsa esse contendunt .., Quod tamen quia nec pluribus, sive antiquioribus, exemplaribus ... probare aliquando potuerunt, notissima omnibus veritate superati, confusique discedunt.*

(3) De variantibus lectionibus levioris momenti non est admodum curandum; nemo enim est tam diligens scripror, qui ex oscitantia, vel festinatione in aliquos errores leves longius scribendo non incidat.

(4) Ita Joannes de Monte-nigro Ord. Præd. in Concilio Florentino sess. 20. Marcum Ephesinum convicit; cum enim Joannes produxisset quoddam testimonium S. Basilii ex l. 3. con. Eunom. ad probandam

vel additionis alieni characteris nota, plane constat, librum esse integrum (1). Si autem pluribus Codicibus invicem collatis, inveniatur, paucos discrepare à reliquis majori numero, suspicari potest, paucos illos fuisse corruptos, maxime si recentiores sint, & nota aliqua corruptionis deprehendatur (2).

1000 Ad primum dicendum, menda librariorum facile deprehendi ex plurium Codicum inspectione; neque enim in quo unus librarius erravit, cæteros erravisse credendum est.

1001 Ad secundum respondemus, neque Criticos, neque hæreticos in universos Codices potuisse manus injicere. Ex illis ergo, in quos manus non injecerunt, cognosci poterit, quid addiderint, quidve detraxerint (3).

1002 Ad tertium dicimus, non admodum multos fuisse Codices illustriorum Auctorum, quos viri docti permiserint ætate, & tineis confici; curarunt enim diligentissime, ut Codicibus, qui ætate consumebantur, alii substituerentur; qua in re Monachi præsertim præclaram meruere laudem. Quod si hanc jacturam perpessa esse Aristotelis opera Straboni credimus (4); quis ex singulari facto inferet, idipsum communius evenisse?

---

processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio: Ephesinus autem reposuisset, locum illum esse corruptum; Joannes respondit, Codicem Basilii delatum paulo ante Constantinopoli à Nicolao de Cusa *esse ex membranis, non bambacinis foliis, adeoque annosæ antiquitatis.* Addiditque: *Liber tam bene est interpunctus, tam emendatus, atque optime dispositus, ut nullam corruptelæ suspitionem injiciat ... Perspiciatur ergo, diligentique indagatione quæratur, an ulla in eo rasura, sive depravatio, aut manus adjectio deprehendatur.*

(1) Hac regula usi Maurini Patres accuratissimas Patrum editiones curarunt; quam ob causam inter alias plurimas Ordo Benedictinus optime est de Ecclesia meritus.

(2) Sunt & aliæ notæ corruptionis Codicum dignoscendarum. 1. si omnia præcedentia, & sequentia apte conveniant, indicium erit incorruptionis; sint minus, corruptionis. Vide Bessarionem in Orat. Dog. c. 9. T. 13. Conc. pag. 450. sq. II. si ea quæ in codicibus habentur, apte respondent testimoniis inde desumptis, & allatis ab Auctoribus fide dignis, est altera nota incorruptionis; si vero discrepent, ingerunt nonnullam corruptionis suspicionem. Vide ib. III. si quos libros ab antiquis temporibus universi sapientes ut incorruptos habuerint, eos pro corruptis habere, magnæ est dementiæ.

(3) Vide Acta VI. Synodi Act. 6. ubi mutilata à Monothelitis V. Synodi Acta ex aliis non mutilatis secreta fuerunt.

(4) Nulla nos cogit necessitas, ut Straboni præstemus fidem; nam

ARTICULUS VI.

Utrum certæ sint regulæ ad Scriptorum libros interpretandos.

1003 De interpretatione superest agendum, quam artem appellant *Hermeneuticam* (1). De ipsa copiose agit Sixtus Senensis (2), quod ad Sacræ Scripturæ expositionem pertinet.

1004 Videtur autem, vix posse certas regulas assignari: I. quia si quis fuit egregius interpres, is fuit S. Hieronymus. Atqui de Hieronymo conqueritur S. Augustinus (3), quod in interpretando fuerit aliquando deceptus. Ergo.

1005 II. Idem Hieronymus (4) magnam interpretando difficultatem & perpessus, & fassus est, nec ullas videtur regulas agnovisse.

Propositio. *Certæ sunt regulæ artis Hermeneuticæ.*

1006 Quoniam ars hermeneutica exerceri potest & circa librorum ex una in aliam linguam versionem; & circa intelligentiam sensus Scriptorum in iis quæ sunt obscure, aut ambigue dicta, vel pravum efferre sensum videntur; de utroque interpretandi genere constituendæ sunt leges.

Athenæus l. 1. refert, Neleum Ptolomæo Philadelpho vendidisse Aristotelis libros; Ptolomæum vero illos Alexandriam transtulisse. Vide Stanlej. Hist. Phil. par. 5. c. 16.

(1) Ab ἑρμηνεία, interpretatio, quasi ars interpretativa. Vide S. Thom. 1. Perih. lect. 1.

(2) Bibl. San. l. 3. ubi hanc artem in tres dividit partes, *definitivam* quæ diversitatem sensuum, & expositionum enumerat; *inventivam*, quæ docet sensus definitos investigare; & *dispositivam*, quæ sensus inventos, docet apte ordinare. Ad hanc tertiam idem Sixtus revocat *Translationem*, qua libri ex alia in aliam linguam vertuntur.

(3) Epist. 71. al. 10. c. 3.

(4) Sic enim habet Præfat. in Eusebii Chronicon: *Difficile est alienas linguas insequentem non alicubi excidere: arduum, ut quæ in aliena lingua bene dicta sunt, eumdem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate, non habeo meum quo id efferam, & dum quæro implere sententiam, longo ambitu vix brevia spatia consumo. Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitu-*

Regulæ de optimo interpretandi genere in vertendis libris ex una in aliam linguam.

1007 I. Regula. Qui negotium suscipit transferendi aliquod opus de una in aliam linguam, debet esse utriusque linguæ plane peritus: nisi enim utramque calleat, potius corruptor, quam translator erit (1).

1008 II. Regula. In Sacris Scripturis vertendis verba de verbis, quantum diversitas linguarum patitur, fidelissime sunt reddenda; nam ut S. Hieronymus advertit (2), in Scripturis Sanctis *& verborum ordo, & mysterium est*, scilicet, in singulis pene verbis innumera abdita sunt mysteria (3).

1009 III. Regula In reliquis transferendis Scriptorum operibus, necesse non est *verbum è verbo, sed sensum exprimere de sensu* (4). Ita enim se gessisse præclaros interpretes, ostendit S. Hieronymus (5), qui etiam rationem reddit; quippe

---

dines casuum, varietates figurarum; ipsum postremo suum, & ut ita dicam vernaculum linguæ genus, si ad verbum interpretor, absurde resonat: si ob necessitatem aliquid in ordine, in sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse.

(1) Vide S. Hieronymum Epist. ad Pammach. de optimo genere interpretandi.

(2) Ibid.

(3) Hanc regulam servavit idem Hieronymus in vertendis Scripturis Veteris Testamenti. Vide ejus Præfat. in Pentateuchum ad Desiderium: *Sicubi*, inquit, *in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diversarum urbium magistros consule.* Idipsum præstavit in Novo Testamento, cum illud Græcæ veritati restituit. Quare nihil est quod in Vulgata sit reprehensione dignum; ipsamque merito nobis tenendam ut authenticam proponit Ecclesia. Ab hac autem regula declinantes hæretici protestantes, cum sacrilege proclamarent, Scripturas majori ex parte esse male versas, & contaminatas, novasque propterea versiones cuderent juxta suorum dogmatum placita, Scripturas corruperunt. Quod non solum Sixtus Senensis hac in re plane eruditus animadvertit Præfat. in Bibl. San. sed Protestantes etiam ipsi testati sunt, ut accurate Walemburgici adnotant.

(4) S. Hieron. loc. cit.

(5) Ibid. *Habeo*, inquit, *hujus rei magistrum Tullium, qui Protagoram Platonis, & Oeconomicon Xenophontis, & Eschinis, & Demosthenis duas contra se orationes pulcherrimas transtulit. Quanta in illis prætermiserit, quanta addiderit, quanta mutaverit, ut proprietates alterius linguæ suis proprietatibus explicaret, non est hujus temporis*

ex alia in aliam linguam expressa ad verbum translatio, sensum speris, & veluti læto gramine sata strangulat (1).

Regulæ de optimo genere interpretandi sensum Scriptorum.

1010 I. Regula. In Sacræ Scripturæ sensu interpretando in iis quæ ad Fidem, & mores pertinent, standum est judicio Ecclesiæ; hæc enim est columna, & firmamentum veritatis. Nec est recedendum ab unanimi Patrum consensu, qui sunt Traditionis testes (2).

1011 II. Regula. Ut quis Scripturæ Sanctæ sensum interpretetur, necesse non est, ut calleat linguas Hebraicam,

---

dicere..... Sed & Horatius vir acutus, & doctus, hoc idem in Arte poetica erudito interpreti præcipit. Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres. Terentius Menandrum, Plautus, & Cæcilius veteres Comicos interpretati sunt. Numquid hærent in verbis, ac non decorem magis, & elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis?

(1) S. Thomas Opusc. 1. con. errores Græcorum in Præfat. *ad officium*, inquit, *boni translatoris pertinet, ut ea quæ sunt Catholicæ fidei transferens, servet sententiam, mutet autem modum loquendi secundum proprietatem linguæ, in quam transfert. Apparet enim, quod si ea quæ in latino litteraliter dicuntur, vulgariter exponantur, indecens erit expositio, si semper verbum ex verbo sumatur.*

(2) Hinc Tridentina Synodus sess. 4. præcipit; *ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.* Vide S. Irenæum l. 4. adv. hær. c. 52. Clem. Alex. Strom. 7. Tertullianum l. de Præscript. c. 21. & S. August. l. de utilit. cred. c. 7. & l. 1. de grat. Christi c. 42. & l. 1. de Gen. ad lit. c. 21. ubi hanc egregiam tradit regulam: » Cum divinos libros legi» mus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis » eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimum deli» gamus, quod certum apparuerit, eum sensisse quem legimus: si au» tem quod latet, id certe quod circunstantia Scripturæ non impedit » & cum sana fide concordat: si autem & Scripturæ circunstantia » pertractari, ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana » præscribit; aliud est enim quid potissimum scriptor senserit non dig» noscere, aliud autem à regula pietatis errare. "

Chaldaicam, & Græcam (1); expedit autem illas callere; nam plures sunt in iis linguis idiotismi, qui majorem quamdam in propio idiomate energiam habent (2).

1012 III. Regula. Quæ metaphorice in divinis Litteris dicuntur, non sunt accipienda ad litteram (3); nam litteralis sensus in ejusmodi metaphoris, non est ipsa figura, sed id quod est figuratum (4). Ad discernendum autem, utrum lo-

---

(1) Genuensis Art. Log. Crit. l. 4. c. 8. hanc Artis Hermeneuticæ primam statuit regulam: *Qui librum aliquem est intellecturus, originalem linguam, in qua est scriptus, ita callere debet, ut non magis calleat aprugnum callum.* An Plautinum dictum *in Persa* ad rem sit, non quæro. Quæro autem, utrum omnes Ecclesiæ Patres, vel saltem plerique ita calluerint originales linguas, in quibus Scripturæ Sanctæ fuerunt exarat? Aut si calluerunt, cur plerique omnes, ante S. Hieronymum, ne ipsis quidem exceptis Apostolis, veteres versiones Sacrarum Scripturarum citarunt, eisdemque versionibus usi fuerunt, præcipue versione Septuaginta Interpretum, ut Scripturas interpretarentur? Affirmandumne erit Catholico viro, Patres qui Hebraicam & Chaldaicam linguam ignorabant, ut plurimi sane fuerunt, non intellexisse libros Veteris Testamenti; Latinos autem Patres, qui non admodum Græce docti erant, ut de se testatur S. Augustinus Præfat. in l. 3. de Trin. non intellexisse Novum Testamentum, quod Græce fuit conscriptum? Sed inquit Genuensis: versiones nec sunt ullæ perfectæ, nec fieri ullo modo possunt perfectæ. Si de essentiali perfectione sermo sit, negamus, nullam esse versionem perfectam, nam quomodo Ecclesia Vulgatam Fidelibus proponeret tamquam autherticam, si esset essentialiter imperfecta? Si autem de perfectione accidentali, quid hæc ad intelligentiam Scripturarum in iis quæ ad fidem, & mores pertinent? Potest igitur quis librum aliquem intelligere, quin originalem linguam, in qua scriptus est, apprime calleat.

(2) V. g. S. Basilius Hom. 2. in Hexam. n. 6. exponens verba illa, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: » Dicam tibi, *inquit*, non meam » sed viri Syri sententiam..... Ajebat igitur, vocem Syrorum, & signi» ficatiorem esse, & ob suam cum Hebraica lingua cognationem, quo» dam modo ad Scripturarum sensum propius accedere..... Illud, in» quiebat, verbum, *superferebatur*, interpretantes sumunt pro verbo » *confovebat*, & naturæ aquarum vim tribuebat fœtificandi, instar in» cubantis avis &c. " Vide S. Augustinum l. 1. de Gen. ad litt. n. 36. & S. Ambros. l. 1. Hexam. n. 29. Nam verbum Hebraicum *merahephet* denotat incubare, perinde ac avis incubat pullis suis, fovendo.

(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 10. ad 3.

(4) S. Augustinus l. 3. de Doct. Christ. c. 5. » Cavendum est, *in*» *quit*, ne figuratam loquutionem ad litteram accipias..... Cum enim fi-

quutio sit metaphorica, vel propia, duo animadvertito ex S. Augustino : primum, *ut quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas* (1). Alterum, ut verba accipiantur proprie, & secundum litteram, cum nullum sensum absurdum reddunt, repugnantem fidei dogmatibus, & morum honestati (2).

1013 IV. Regula. In exponendis locis difficilioribus Sacrarum Scripturarum, opus est Dei gratia, quam Apostolus 1. Cor. 12. v. 10. appellat *interpretationem sermonum* (3). Hinc Gen. 40. v. 8. dicitur : *Numquid non Dei est interpretatio?* Quare de S. Thoma Aquinate legitur, ipsum in locis difficilioribus Sacræ Scripturæ interpretandis, ad orationem jejunium addidisse, ut interpretationis gratiam consequeretur (4). Quam gratiam Deus impertitus est Ecclesiæ Doctoribus.

1014 V. Regula. Ad interpretandos aliorum Scriptorum sensus, libri emendatiores consulendi sunt ; nam mendosi libri sensus obscuriores faciunt. Si autem aliena lingua sunt scripti, interpres, vel debet callere linguam illam, vel certe uti versionibus emendatioribus (5) ; alioqui nihil efficiet.

» gurate dictum sic accipitur tamquam proprie dictum sit, carnaliter sa-» pitur. "

(1) L. 3. de Doct. Christ. c. 10.

(2) L. 8. de Gen. ad litt. c. 7.

(3) Vide S. Thom. in cit. cap. lect. 2.

(4) Hinc patet, quanti sint faciendi Commentarii Divinarum Scripturarum sive à Rabbinis Thalmudistis, sive ab hæreticis, Grotio, Polo, &c. edita, in iis scilicet, quæ ex proprio penu producunt. Non enim Deus consuevit ejusmodi hominibus gratiam interpretandi præbere. Et idcirco S. Augustinus l. 3. de Doct. Christ. c. 37. ait : *Non solum monendi sunt studiosi venerabilium litterarum, ut in Scripturis Sanctis genera loquutionum sciant.... verum etiam, quod est præcipuum, & maxime necessarium, orent, ut intelligant. In eis quippe litteris, quarum studiosi sunt, legunt,* quoniam Dominus dat sapientiam.

(5) Dallæus l. 1. de usu Patrum c. 5. multa congerit, probareque nititur, magnæ temeritatis esse de Græcis Patribus judicare absque solida Græcæ linguæ cognitione, quin sufficiat interpretem quempiam quantumvis eruditum, disertum, & fidum sequi. Hinc vero infert, plurima dogmata, quæ Catholici confitentur tradita à Patribus Græcis, in eorum operibus non inveniri ab iis, qui græce sciunt. Longum esset singula percurrere, nec institutum patitur. Pauca delibabimus : 1. Dallæus de Ruffini, & Christophorsoni in interpretando fide dubitat. Jam

1015 VI. Regula. Expedit etiam scire circunstantias temporis (1), in quo Auctor scribebat; finis propter quem scrip-

---

id acceperat ex Joanne Curterio, & Petro Alloixio. Vide Epist. Valesii præfixam Hist. Eusebii Cæsarien. Sed cur fidem Ruffini postulat, de qua multo jam ante S. Hieronymus Apolog. adv. Ruffin. expostulaverat? De Christophorsoni autem versione cur tacet, quod Curterius animadvertit, eam *piam quidem, & catholicam, sed inchoatam potius, quam exactam, aut perfectam multis rationibus credi par esse*? Quid ergo Dallæus conficit, dum ejusmodi versiones in medium producit? An alias non habemus & emendatiores, & fideliores? 2. Dallæus sugillat Card. Perronium, quod ex linguæ Græcæ, ut ipse inquit, penu male sit interpretatus inscriptionem Epistolæ Constantini ad Miltiadem Episcopum Romanum, & Marcum. Sed quid ad rem? Perronius certe linguam Græcam callebat, quod Dallæus ipse non negat. Si ergo male est interpretatus præfatam Epistolæ inscriptionem, quodnam ipsi subsidium præbuit eruditio linguæ græcæ? Non negavit Perronius, nec Baronius inficiatus fuit, Epistolam illam apud Eusebium l. 10. c. 5. inscribi Μιλτιάδῃ Ε' πισκόπῳ Ρ' ωμαίων καὶ Μάρκῳ; sed contendunt, pro καὶ Μάρκῳ, legendum esse ος' Ιερἀρχῳ, *Melchiadi Episcopo Romano hierarchæ*. Vide Albaspinæum in Not. ad l. 1. S. Optati de Schism. Donat. n. 23. Quid ergo Dallæus concludit, cum ait: *Atque hinc satis patet, quam sit ad probe capiendam veterum mentem necessaria Græcæ, Latinæque linguæ cognitio*? Non enim agebatur de capienda Eusebii mente, sed quæstio erat de inscriptione illa, an esset corrupta. Quod autem corrupta non sit, Dallæus minime ostendit: 3. contra Græcos, & Latinos in Synodo Florentina certantes Dallæus insurgit: & licet fateatur, disputationem Latinorum credi fuisse feliciorem; ait tamen, locum Basilii, quem citat ex Orat. in Sac. Bapt. à Latinis allatum, etiamnum ipsorum explicationem rejicere. Animadverte, quam Dallæus fuerit diligentiæ, & accuratioris Criticæ negligens. Nam Oratio illa de Sac. Bapt. quam attribuit S. Basilio, jampridem à Garnerio inter suppositas in Appendicem fuit rejecta. Locus autem, de quo acrius fuit disputatum inter Græcos, & Latinos in Concilio Florentino, non erat ex ea oratione, sed ex lib. 3. con. Eunom. n. 1. desumptus. Vide ib. Garnerii notam.

(1) Qui ante aliquam exortam hæresim scripserunt, aliquando non admodum clare, & præcise loquuti sunt. *Errores* (inquit S. Thomas Opusc. 1. con. errores Græc. in Præf.) *circa fidem exorti, occasionem dederunt Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ut ea quæ sunt Fidei, majori circumspectione traderent ad eliminandos errores exortos; sicut patet, quod Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expresse loquuti sunt de unitate Divinæ essentiæ, sicut Doctores sequentes: & simile de aliis contingit erroribus. Quod non solum in diversis Doctoribus, sed in uno egregio Doctorum Augustino expresse appa-*

sit (1); ejus morum (2); profesionis (3), &c. Ex his namque similibusve adjunctis facilius Auctoris mens deprehenditur (4).

---

ret. Nam in suis libris, quos post exortam Pelagianorum hæresim edidit, cautius loquutus est de potestate liberi arbitrii, quam in libris quos edidit ante prædictæ hæresis ortum, in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos defendens, aliqua protulit, quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani, divinæ gratiæ adversantes. Et ideo non est mirum, si moderni fidei Doctores post varios errores exortos, cautius, & quasi limatius loquuntur circa doctrinam fidei ad omnem hæresim evitandam. Unde si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tanta cautela non dicantur, quanta à modernis servatur, non sunt contemnenda, aut abjicienda, sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter. Quibus documentis (quæ S. Augustini quoque sunt l. 10. de Civ. c. 2. & l. 18. c. 51. & l. de vera Relig. c. 10. & l. de Catechiz. rudibus c. 24. & l. de Dono Persev. c. 20.) Angelicus Doctor jampridem respondit cum nefariæ Clerici adversus S. Augustinum censuræ, dum Epist. 4. Crit. ait, Augustinum contra Pelagium ita loqui, ut libertatem videatur homini relinquere, alibi vero illi detrahere; qua ex re, impudenter mentiendo, subdit factum esse, ut inter eruditos Romanæ Ecclesiæ de sententia Augustini natæ sint controversiæ; nemo enim est Catholicorum qui de Catholica Augustini sententia tam circa libertatem arbitrii, quam circa necessitatem gratiæ usquam dubitaverit. Tum impiæ Dallæi positioni l. 1. de usu Patr. c. 5. qua S. Justinum M. & S. Dionysium Alex. in Arianismi suspicionem vocare audet.

(1) Ex fine Legislatoris fit legum interpretatio. Vide S. Thom. 2. 2. q. 120. a. 1.

(2) Licet impii homines possint aliqua vera scribere, & contra pii possint aliquando decipi; si tamen in libris piorum hominum quædam obscura sint, ipsa eorum pietas postulat, ne in deteriorem partem accipiantur. At vero obscure dicta ab hominibus impiis, saltem suspicionem ingerunt erroris; ipsi enim captant obscuritatem, ut venenum spargere facilius possint. Hujus generis sunt libri Voltaire, Rousseau, Pufendorfii, aliorumque magno numero, qui tetra contagione ipsam quoque Rempublicam hac nostra ætate infecerunt.

(3) Si quæ obscure dicta sint à Viro Catholico, Catholice interpretari debemus, nisi forte gravissima argumenta id fieri prohibeant. Vide S. August. l. de cathechizandis rudibus c. 8. de hac re egregie scribentem.

(4) Hinc expedit magnopere, ut cum primum aliquem librum legere aggredimur legamus Epistolam ad lectorem, Præfationem Operis, Auctoris vitam: nam ejus peritia, occasio scribendi, modus procedendi, ætas qua scripsit, non solum conferunt ad intelligenda pleraque, quæ alioqui non intelligerentur; sed etiam ad percurrendum opus

1016 VII. Regula. Si quæ sunt Scriptorum sententiæ obscuræ, vel ambiguæ, explicandæ sunt ex serie, & colligatione doctrinæ eorum (1), potissimum vero ex antecedentibus, & consequentibus (2); ita enim intelligi potest quid voluerint significare (3). Standum quoque est interpretationi doctorum Virorum, qui in doctrina illorum Scriptorum versati, loca illa obscura commentati sunt (4).

1017 VIII. Regula. Si auctor suspectus sit, & videatur eamdem rem quandoque affirmare, quandoque negare (5) meri-

---

majori cum attentione, & ad singula in eo contenta, justo pondere æstimanda.

(1) Cicero de Invent. l. 2. c. 40. ait: » Qua in sententia scriptor fuerit, ex cæteris ejus scriptis, factis, dictis, animo, atque vita ejus sumi » oportebit. "

(2) Antecedentia, & consequentia determinant ambiguas significationes vocabulorum, & æquivocationes tollunt, unde oritur obscuritas.

(3) Nec difficultatem ingenerare debet, quod opponit Dallæus obscuritatem quandoque obvenire ex rhetoricis ornamentis, exque liberalium disciplinarum artificiis: nam si id semel universim admittatur, jam omnia Oratorum opera erunt obscura: ipse quoque Dallæus obscurus erit, qui ad decipiendum, sæpe utitur rhetoricis ornamentis, & artificiis. Quod vero mireris est: Dallæus eodem loco, ubi S. Epiphanium obscuritatis accusat, quod fuerit *rhetoricæ admodum rudis*, obscuritatem exprobrat Origeni, Methodio, Eusebio, Cypriano, Minutio, Lactantio, Hilario &c. quod rhetorica ornamenta adhibuerint. Et quod amplius mireris: eodem loco Methodium reprehendit ob adhibita rhetorica ornamenta, & Methodium ipsum inducit, quasi hæc ornamenta in Doctoribus Christianis reprehendentem. *Atramenti effusione sepiæ se tutantur*, inquiebat Tullius. Sic Dallæus fulgorem ferre non sustinens dogmatum Catholicorum, quæ passim in Operibus Patrum obvia sunt adversus Protestantes, atramento obscuritatis & rhetoricis ornamentis se tutari posse existimavit.

(4) Optimus Patrum interpres, præsertim S. Augustini, est Angelicus Doctor. Vide Card. de Aguirre Proleg. 2. ad Tom. 3. Theol. Sancti Anselmi.

(5) Hic Novatorum antiquissimus fuit mos, tenebras spargere in suis operibus, quodque in uno loco affirmarunt, in alio negare, ut si quando in discrimen abdicatæ Religionis vocentur, ad asylum confugiant obscuritatis. Vide Epist. 13. S. Cælestini T. 1. Epist. Rom. Pont. ubi de Nestorio scribit: » Quodam multiloquio labebaris, dum vera » involvis obscuris, rursus utraque confundens, vel confiteris negata, » vel niteris negare confessa. " Vide etiam S. Augustinum l. de nat.

to in quæstionem vocari potest; nemo enim sciens prudens sibimet contradicit.

1018 Ad primum dicimus, S. Hieronymum in eo quod ipsi objicit S. Augustinus, non fuisse deceptum (1): Augustinus autem ita putabat ex fide quorumdam Hebræorum, de quibus etiam utrum *imperitia*, *an malitia* id asseruerint (2), dubitat.

1019 Ad secundum respondemus, S. Hieronymum ibi loqui de difficultate cudendæ versionis omnibus numeris absolutæ; numquam tamen ait, hanc difficultatem superari à nemine posse; nam ipse Vetus Testamentum transtulit, ejusque versionem Ecclesia probavit.

QUÆSTIO XXVI.

De propositionibus.

1020 Judicia propositionibus exprimimus; quare superest de propositionibus agere. Pene autem omnia quæ ad propositiones pertinere videbantur, tradidimus in Institutionibus. Duo tantum hic remanent inquirenda de veritate propositionum.

ARTICULUS I.

Utrum una propositio possit esse altera verior.

1021 Videtur posse esse: I. quia una propositio potest esse altera certior; propositio enim demonstrata est certior probabili. Ergo & una altera verior.

1022 II. Objectum unius propositionis potest esse verius objecto alterius propositionis. Ergo etiam una propositio verior altera.

& grat. cap. 45. & de peccato orig. cap. 15. Et Epist. 34 Innocentii 1. Tom. cit. Epist. Rom. Pont. n. 3. & Epist. S. Leonis ad Flavianum c. 2.

(1) Vide Epist. S. Hieron. inter Augustinianas 75. al. 11. c. 7.

(2) Vide Epist. 71. al. 10. c. 3.

Propositio. *Si veritas consideretur secundum rationem æqualitatis una propositio non est altera verior.*

1023 Prob. In. qualibet propositione duo psssunt considerari : 1. res ipsæ quarum sunt propositiones : 2. adæquatio intellectus, in qua formaliter consistit propositionis veritas. Atqui si res ipsæ considerentur, cum non omnes æqualiter participent rationem entis, quæ est ipsa ratio veritatis ; diversa enim entia diversimode participant rationem entis ; in diversis propositionibus diversa est veritas (1). Si vero consideretur ipsa ratio æqualitatis, cum hæc non recipiat magis, & minus ; non enim magis æqualis est v. g. linea viginti cubitorum lineæ viginti cubitorum, quam linea unius cubiti lineæ unius cubiti ; sic una propositio non est altera verior (2). Et per hæc patet responsio ad objecta.

---

(1) Vide S. Augustinum l. 8. de Trin. c. 1. ubi ex constituto principio probat, in Deo non esse majus quid tres, quam unam Personam. » In substantia, *inquit*, veritatis, quoniam sola vere est, non est ma» jor aliqua, nisi quæ verius est. Quidquid autem intelligibile, atque » incommutabile est, non aliud alio verius est, quia æque incommu» tabiliter æternum est..... Quapropter ubi magnitudo ipsa veritas est, » quidquid plus habet magnitudinis, necesse est, ut plus habeat verita» tis : quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam » magnitudinis..... Non enim ibi major est, quæ verior non est, ubi » est ipsa veritas magnitudo. Quia in essentia veritatis, hoc est verum » esse, quod est esse" &c.

(2) S. Thomas q. 2. de verit. a. 9. ad 1. » Cum veritas consistat » in adæquatione intellectus, & rei, si consideretur veritas secundum » rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus, sic non con» tingit esse aliquid magis, & minus verum. Sed si consideretur ipsum » esse rei, quod est ratio veritatis, eadem est dispositio rerum in esse, » & veritate : unde quæ sunt magis entia, sunt magis vera : & propter » hoc etiam in scientiis demonstrativis magis creduntur principia quam » conclusiones."

ARTICULUS II.

Utrum propositionum contradictoriarum una sit determinate vera, altera falsa.

1024 Propositionum contradictoriarum quædam sunt in materia necessaria absolute, ut bis tria sunt sex, bis tria non sunt sex; quædam in materia contingenti: atque hæ vel significant aliquid præsens, ut Petrus sedet, Petrus non sedet; vel præteritum, ut Romulus fuit, Romulus non fuit; vel futurum, ut Antichristus erit, Antichristus non erit. Certum est autem, propositionum contradictoriarum in materia necessaria absolute, unam esse determinate veram, alteram falsam; nam una ex natura sua destruit alteram. Certum similiter est, propositionum contradictoriarum in materia contingenti præsenti, vel præterita, unam quoque esse determinate veram, alteram falsam; quandoquidem eventus etsi contingens ex seipso, jam est determinatus ad unam contradictionis partem. Itaque inquirendum duntaxat remanet de propositionibus contradictoriis futuri contingentis.

1025 Fuere quondam qui cum omnia fato contineri dicerent (1) omnium propositionum contradictoriarum unam determinate veram, alteram determinate falsam statuebant. Deinde quidam illorum qui scientiam quamdam mediam in Deo excogitarunt, qua futura contingentia præsciret, post multas irrito labore tentatas vias, hanc tandem ingressi fuerunt, constitueruntque, Deum futura contingentia præscire in veritate propositionum contradictoriarum, quarum una sit determinate vera, altera falsa, omnino independenter à quolibet Divino Decreto (2).

---

(1) In hac sententia fuere Stoici, aliique fatalem in rebus necessitatem inducentes. Vide S. Thom. 1. Perih. lect. 14. Vide etiam Tullium in l. de Fato. Et certe si futura contingentia essent seipsis determinate futura, omnia fato continerentur; neque enim fieri posset, ut non essent futura, quippe natura sua determinata essent ad futuritionem.

(2) Qui hanc sunt viam ingressi, ne sub Decreto Dei prædeterminante videretur induci necessitas, ac destrui rerum contingentia, lædique humana libertas, videntur hoc ipso necessitatem inducere, & contingentiam rerum, libertatemque arbitrii destruere. Nam si ideo Deus cognovisset Petrum v. g. convertendum post Christum negatum quia ex his duabus propositionibus contradictoriis, hæc, Petrus converte-

1026 Videtur autem ita dicendum : I. quia propositiones contradictoriæ etiam de futuro contingenti non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ, alioquin idem simul esset & non esset. Igitur una debet esse determinate vera, altera falsa (1).

1027 II. Inter duas contradictorias non datur medium; nihil enim est medium inter esse, & non esse. Ergo necessario una propositionum contradictoriarum de futuro contingenti est determinate vera, altera falsa.

1028 III. Deus non est causa malorum, nec potest mala decernere. Ergo saltem mala non redduntur futura per Divinum Decretum, sed Deus illa futura cognoscit in determinata veritate unius propositionis contradictoriæ.

---

tur, erat determinate vera; altera, Petrus non convertetur, determinate falsa, ante quodlibet Divinum Decretum; non fuisset in potestate Petri se convertere, & non convertere: nam determinatio illa esset ex natura contradictionis, adeoque necessaria. Ad rem S. Augustinus Epist. 217. al. 107. c. 3. » Si vere volumus defendere liberum arbitrium, non » oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua nos » trum ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberatur arbi» trium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum. " Vide etiam Epist. 157. al. 89. n. 10. Quandoquidem, ut advertit S. Thomas 1. p. q. 19. a. 8. » Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, » quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo » Deus ea fieri vult. " Vult autem Deus quædam fieri necessario, quædam contingenter, quædam libere. Sed hac de re alias.

(1) Genuensis Log. Ital. l. 3. c. 8. §. 7. huic sophismati respondet, in eo confundi fatalitatem enunciationis, sive Logicam, cum physica; item physicam hypotheticam cum absoluta. Futilis utraque responsio. Nam licet fateamur cum S. Thoma 1. Perih. lect. 14. quod *non propter nostrum affirmare, vel negare mutatur cursus rerum, ut sit aliquid, vel non sit; quia veritas nostræ enunciationis non est causa existentiæ rerum, sed potius econverso*; quia tamen veritas, & falsitas logica propositionum dependet à conformitate vel difformitate rei enunciatæ cum intellectu, vel ab intellectu enunciante: res autem futura si determinate ex se ipsa esset futura, jam physice aliquando futura esset natura sua, adeoque necessitate non hypothetica, sed absoluta; idcirco Genuensis responsione sua nihil conficit; imò videtur non comprehendisse vim difficultatis, idque multo magis apparet ex exemplo ibidem adducto, scilicet, *omnis numerus necessario est par, aut impar. Igitur scribere non possum aliquem numerum, qui non sit par, aut impar.* Siquidem hæ propositiones non sunt contradictoriæ, sed disjunctivæ; neque altera est *physica hypothetica*, supponens, ut Genuensis ait, me velle scribere

Propositio. *Propositionum contradictoriarum futuri contingentis neutra est determinate vera, vel falsa, nisi dependenter à Divino Decreto.*

1029 Prob. ratione S. Thomæ (1). Propositio est determinate vera, quæ est conformis determinato objecto, falsa vero, quæ est difformis; veritas enim, & falsitas in conformitate vel difformitate mentis enunciantis cum re, vel à re enunciata, posita est, ut supra diximus (2). Atqui in propositionibus contradictoriis futuri contingentis, objecta non sunt determinata, nisi dependenter à Divino Decreto. Fac enim objecta illa esse determinata independenter à Divino Decreto, vel essent ejusmodi natura sua, vel dependenter ab alio aliquo; si natura sua, jam essent necessario absolute futura; quod enim natura sua tale est, est absolute necessarium: id autem repugnat contingentiæ. Si dependenter ab alio aliquo: 1. jam neutra esset determinate vera vel falsa ex vi contradictionis: 2. implicat, aliquid aliud esse determinatum ante determinationem primæ Causæ, quæ per suum Decretum determinatur ad res futuras producendas; productio enim rerum futurarum est actus Dei liber: actus autem Dei liber supponit Divinum Decretum, quo Deus se determinat. Itaque ante determinationem primæ Causæ nihil est determinatum, ut sit potius futurum, quam non futurum; alioquin aliquid esset determinate futurum, antequam Deus ejus futuritionem determinaret; ideoque esset futurum independenter à prima Causa; quæ proinde non esset prima Causa omnium omnino rerum futurarum: quod esse non potest (3).

---

aliquem numerum; sive enim velim, sive nolim scribere, semper verum necessario est, me scribere non posse numerum qui non sit par, vel impar.

(1) 1. Perih. lect. 13. & 1. p. q. 46. a. 7. ad 3.

(2) §. 750.

(3) S. Thomas 1. p. q. 16. a. 7. ad 3. » Illud, *inquit*, quod nunc est, » ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in sua causa erat, ut fieret; unde sublata causa, non est futurum illud. Sola autem causa » prima est æterna: unde non sequitur, quod ea quæ sunt, semper fuit » verum, ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura, quæ quidem causa est solus Deus. " Quam doctrinam hausit Angelicus ex S. Augustino, qui l. 6. de Gen. ad litt. c. 17. scribit: » Hoc necessario futurum est, quod ille (Deus) vult, & ea vere futura

1030 Ad primum concesso ant. neg. cons. Aliud enim est dicere, propositiones contradictorias non posse esse simul veras, vel simul falsas : aliud unam earum esse determinate veram, alteram determinate falsam. Ut enim utraque non sit vera, vel falsa, sufficit utramque esse indifferentem, ut sit vera, vel falsa; nec requiritur, ut hæc potius, quam illa sit vera, vel falsa, quod quidem requireretur, si alterutra esset determinate vera, vel falsa.

1031 Ad secundum neg. cons. Ut enim inter contradictorias non detur medium, sufficit, utramque non posse esse simul veram, vel simul falsam; non oportet tamen, ut alterutra sit determinate vera, vel falsa : nam etsi utraque sit indifferens ad falsitatem, vel veritatem, semper verum est, utramque simul non posse esse veram, aut falsam.

1032 Ad tertium dicimus, Deum non decernere mala Decreto approbante, sed permittente (1). Addimusque, Deum positive non concurrere ad actum peccati, qua peccatum est; concurrere vero positive ad actum illum, qua actus est (2).

» sunt, quæ ille præscivit. Nam multa secundum inferiores causas futura » sunt, sed si ita sunt & in præscientia Dei, vere futura sunt : si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi qui » præscit falli non potest.... Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad » vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum præsciebat, & in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit quod » futurum non erat : hoc enim magis erat futurum, quod se facturum » esse præsciebat. " Et tract. 104. in Joan. n. 2. explicans verba illa, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*, ait : » Ostendit, omne tempus, & quid quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum » qui tempori subditus non est : quoniam quæ futura erant per singula » tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt » tempora. Non ergo credatur hæc hora fato urgente venisse, sed Deo » potius ordinante. "

(1) Vide S. August. l. de Continentia c. 6.

(2) Ita S. Augustinus l. 83. qq. 21. » Quisquis omnium quæ sunt, auctor est, & ad cujus bonitatem id tantum pertinet, ut sit omne quod » est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod » deficit, ab eo quod est esse, deficit, & tendit in non esse. Esse autem, & in nullo deficere, bonum est, & malum est deficere. At ille ad quem non esse non pertinet, non est causa deficiendi, id est, » tendendi ad non esse : quia, ut ita dicam, essendi causa est. Boni » igitur tantummodo causa est : & propterea ipse summum bonum est.

QUÆSTIO XXVII.

De Argumentatione in genere.

1033 Expeditis iis quæ ad perceptionem, & judicium pertinere videbantur, progredimur ad argumentationem. Argumentatione vero quandoque concludimus necessario, quod est demonstrare; quandoque probabiliter; quandoque sophistice, ut supra dictum est (1): & idcirco 1. de argumentatione in genere: 2. de demonstratione: 3. de probabilitate: 4. de Sophismis agemus. De argumentatione autem in genere multa quæ certa erant, jam in Institutionibus dicta sunt. Remanet inquirendum 1. cuinam argumentari proprie conveniat: 2. expediatne ratiocinari per syllogismos: 3. sitne probanda hypothetica argumentandi ratio: 4. Idem de argumentatione ad absurdum: 5. & de argumentatione ex datis: 6. & de reciproca, seu circulari: 7. an possit ex veris præmissis inferri conclusio falsa, vel econtra: 8. an intellectus præstito præmissis assensu, necessario assentiri debeat conclusioni: 9. quomodo præmissæ influant in conclusionem.

ARTICULUS I.

Utrum argumentari sit proprium mentis humanæ.

1034 Videtur negandum I. quia discursus etiam Angelis convenit; discursus enim est, cum ex uno aliquid aliud inferimus. Angeli autem multoties ex una re aliam inferunt; sic Deum cognoscunt ex cognitione sui, & ex cognitione causarum cognoscunt effectus. Ergo.

1035 II. In Angelis, & in Deo datur scientia. Scientia autem habetur, cum res cognoscuntur per suas causas, hoc est, per argumentationem, sive discursum. Ergo.

1036 III. Angeli circa supernaturalia multoties opinantur, immo Angeli mali falluntur, ut S. Thomas advertit (2).

» Quocirca mali auctor non est, qui omnium quæ sunt auctor est quia in » quantum sunt, in tantum bona sunt. "

(1) §. 168

(2) Q. 16. de malo a. 6.

Sed opinatio non est absque discursu. Itaque etiam Angeli discurrunt.

Propositio. *Argumentari, sive discurrere, & ratiocinari ita est proprium mentis humanæ, ut nulli alteri naturæ intellectuali conveniat.*

Probatur ratione S. Thomæ (1). Argumentatio est quidam motus, & discursus, sive progressio, qua intellectus ex uno cognito ad aliud cognoscendum procedit (2). Atqui hic motus, & progressio uni tantum menti humanæ proprie convenit; id enim contingit ex debilitate luminis intellectualis, qua fit, ut, cognitis principiis, intellectus humanus non statim possit omnia ea quæ in illis principiis continentur, videre (3). Angeli autem cum perfusi sint lumine pleniori, omniaque naturalia comprehendant, visis principiis, statim in iis naturaliter perspiciunt universa quæ in eis cognosci possunt (4). Multoque magis Deus cujus sapientia infinita est, & qui unico actu, qui ipsemet Deus est, seipsum, & omnia comprehendit (5). Igitur.

---

(1) 1. p. q. 14. a. 7. & q. 58. a. 3.

(2) S. Augustinus l. de immort. animæ c. 1. » Est, *inquit*, recta ratiocinatio à certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio. „ Et l. de quant. animæ c. 17. ait: » Recte ista fortasse ratiocinatio nominatur, » ut ratio sit quidam mentis adspectus, ratiocinatio autem rationis inquisitio, id est, adspectus illius per ea quæ adspicienda sunt motio. « Vide S. Thom. 1. con. Gent. c. 57. & q. 8. de ver. a. 15.

(3) Plotinus Ennead. l. 8. c. 2. de hominum cognitione loquens: » Ratiocinantur, *inquit*, quidve ex quoque sequatur, excogitant, & » res per consequentiam speculantur; utpote qui antea non habuerint, sed » antequam discerent, vacui fuerint, quamvis tunc etiam intellectus » extiterint. «

(4) S. Bernardus ser. 5. in Cant. n. 4. » Supercœlestis spiritus, *ait*, » absque adjutorio corporis, & absque intuitu horum quæ per corpus » sentiuntur, sola profecto suæ vicinitate, ac vivacitate naturæ sufficit » apprehendere summa, & intima penetrare. An non hoc Apostolus » intellexit, qui cum diceret, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt* » *intellecta conspiciuntur*: adjecit protinus, *à creatura mundi*? Nimirum, quoniam à creatura cœli non ita. «

(5) Plotinus Enneade 4. l. 4. c. 12. » Ratione discurrere quidnam » aliud est, quam appetere sapientiam invenire?.... Qui enim ratiocinatur, similis est pulsanti citharam absolute pulsationis gratia, atque » meditanti ad habitum consequendum, & omnino discenti gratia cognos-

1038 Ad primum neg. min. Angeli enim eadem notitia qua cognoscunt seipsos, cognoscunt Deum auctorem naturæ, & similiter eadem notitia qua cognoscunt causas, in iisdem cognoscunt effectus.

1039 Ad secundum respondemus, in Deo, & in Angelis esse scientiam quoad certitudinem, & evidentiam, non vero quoad illationem; hæc enim propria est mentis humanæ, quæ non potest in cognitionem ignotorum venire, nisi procedendo, & inferendo ex jam notis. Quapropter scientia in Deo, & in Angelis non est discursiva.

1040 Ad tertium respondemus cum S. Thoma (1), Angelos nec circa supernaturalia discurrere: nam in horum cognitionem ex seipsis venire non possunt conferendo, sed solum ex revelatione Divina. Nec respectu illorum in Angelis bonis potest esse defectus falsæ opinionis, sed solum simplicis negationis, id est, nescientiæ: in Angelis autem malis potest esse falsa opinio, non quia discurrunt, sed quia præsumptuose judicant de iis quæ ipsos excedunt (2).

ARTICULUS II.

Utrum expediat ratiocinari per syllogismos.

1041 Verulamius (3) syllogismos rejicit, unamque duntaxat inductionem probat. Lockius etiam arbitratur (4), syllogismorum nullam esse utilitatem ad veritatem inquirendam.

1042 Videtur autem ita dicendum, quia ut Verulamius advertit (5), syllogismus ex propositionibus constat; propositiones ex verbis; verba autem sunt signa notionum animi. Itaque si notiones ipsæ sint male à rebus abstractæ & vagæ

» cendi. Ratiocinator enim id quærit addiscere, quod qui jam habet, » est sapiens ... Testatur id & ipse ratiocinator: nam cum primum inve- » nit quod optabat, cessat ratiocinari, & in sapientia ipsa positus con- » quiescit. Si igitur ipsum mundi ducem vicem habere discentium ar- » bitremur, nimirum rationis discursiones, dubitationesque, illi & me- » moriam tribuemus conferenti, videlicet, præterita cum præsentibus, » & futuris &c."

(1) Q. 8. de ver. a. 15. ad 2. (2) Q. 16. de malo a. 6.
(3) Novi Organi in Distribut. Oper.
(4) Essai &c. l. 4. c. 17. §. 4. (5) Loc. cit.

nec satis distinctæ, omnia ruunt. Syllogismus igitur est rejiciendus.

1043 II. Antequam Aristoteles artem syllogisticam inveheret, homines ratiocinabantur. Modo etiam *Asiani & Americani*, qui nihil de syllogismis audierunt, acute disserunt. Nemo præterea cum intra seipsum ratiocinatur, syllogismos conficit. Igitur usus syllogismorum utilitate non præstat.

1044 III. Ad veritatem inferendam ope syllogismorum, sæpe opus est catena quadam longissima, quæ confusionem parit; cum tamen nulla sit confusio, si unice attendamus ad connexionem idearum.

1045 IV. Supremi Reipublicæ Moderatores, & qui eis sunt à consiliis, artem syllogisticam ignorant; quam profecto non neglexissent, si qua ei utilitas inesset.

1046 V. Syllogistica ars, si quid valet, valet tantum ad confundendum adversarium, non ad convincendum, & persuadendum. Quorsum enim post tot tantasque disputationes, adversarii nihilominus persuasi sunt de propria sententia, quam deserere debuissent, si fuissent convicti? Atque hæc quidem Lockius magno verborum apparatu.

Propositio. *In veritate inquirenda oportet ratiocinari per syllogismos.*

1047 Prob. Veritas inquiri debet, cum non patet, an prædicatum conveniat, vel non conveniat subjecto. Atqui nulla suppetit via ad id cognoscendum, quam ut comparemus prædicatum, & subjectum cum aliquo tertio; nam si conveniant cum illo tertio, abs dubio est, convenire etiam inter se, ex illo principio: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, quo tota ars syllogistica nititur. Jam vero exceptis tantum principiis per se notis, in quibus, apparet absque ratiocinio, prædicatum convenire subjecto, quia est in ratione subjecti, in cæteris propositionibus id non apparet. Ergo ut appareat, fieri debet comparatio cum aliquo tertio. Hæc autem comparatio fit per syllogismos, in quibus majus, & minus extremum comparantur cum medio, ut diximus in Institutionibus. Veritas igitur ubi non est per se nota, aliter quam per syllogismos inveniri non potest. In veritate igitur inquirenda oportet ratiocinari per syllogismos.

1048 Ad primum dicimus, Verulamium eo ipso loco, quo syllogismos rejicit, facto ostendere, quanta sit necessitas syllogismorum ad recte concludendum. Quis enim non videt, ejus

ratiocinium nihil concludere? Nam quæ est hæc consequutio: si notiones sint male abstractæ, vagæ, minus distinctæ, omnia ruunt; igitur syllogismus est rejiciendus? Atqui notiones possunt esse rite abstractæ, determinatæ, distinctæ: tunc autem stabunt & verba, & propositiones, ex quibus constat syllogismus; stabit, proinde & ipse syllogismus. Ad summum posset concludi, syllogismum nutare, si notiones sint indeterminatæ, vagæ, & minus distinctæ. Sed hinc minime infertur quod Verulamius infert, syllogismum universim esse rejiciendum (1).

1049 Ad secundum concedimus quidem, artem syllogisticam promotam fuisse ab Aristotele; negamus tamen ante Aristotelem fuisse penitus ignoratam, aut neglectam. Ars enim syllogistica est ipsamet Logica, quæ, ut supra diximus (2), infusa fuit Adamo, qui eam cum posteris communicavit. Gratis autem Lockius *Asianos*, & *Americanos* in medium producit, quos tamquam barbaros, hebetes, & sylvestres alibi (3) describit. Quod si qui

---

(1) Licet syllogismi usum probemus, non ideo tamen inductionem excludimus, immo censemus cum S. Thoma 1. Poster. lect. 30. inductione agendum esse præsertim in Philosophia naturali, in qua *per experientiam quam habemus circa singularia sensibilia, accipimus notitiam universalem.* Qua quidem ratione inductio differt à syllogismo, in quo ex universali infertur particulare sub eo contentum, vel *accipitur cognitio alicujus universalis conclusi ab aliis universalibus notis*, ut ib. lect. 1. Angelicus adnotat, ubi præterea docet, *exemplum esse quamdam inductionem imperfectam, quippe exemplo proceditur à singulari ad singulare.* Verum quia in inductione etiam subintelligitur aliqua propositio generalis præter enumerationem singularium; v. g. cum ex enumeratis singularibus corporibus gravibus tendentibus deorsum, concludimus, omnia corpora gravia deorsum tendere, subintelligimus hanc propositionem universalem: Quod dicitur de singulis universim enumeratis, dicitur de omnibus: idcirco & in inductione (idem dic de exemplo) syllogismus adhibetur. Quare si ratiocinationis vis inspicitur, una tantum est ratiocinatio; & idcirco Græce ratiocinatio συλλογισμὸς dicitur. Vide Quintilianum l. 7. c. 9.

(2) §. 22.

(3) Essai &c. l. 1. c. 3. §. 8. ubi scribit: » N'a-t-on pas découvert, » dans ces derniers siécles, par le moyen de la navigation, des Na- » tions entiéres qui n'avoient aucune idée de Dieu, à la Baye de Sol- » danie, dans le Brésil, & dans les Islej Caribes &c. ... Ces exemples » sont pris de Nations où la nature inculte à été abandonée à elle mê- » me sans avoir reçu aucun secours des Lettres." *Postremis hisce sæculis ope navigationis, deprehensæ sunt integræ Nationes quacumque idea Dei destitutæ, in Soldania, in Brasilia, in Insulis Caribis. Hæc*

sint Asianorum, & Americanorum acute disserentes, cum tamen de arte syllogistica nihil audierint, id casu potius evenit, perinde atque opera artis aliquando quis recte facit, qui artem ignorat (1). Ut autem Cicero advertit (2), *Numquam perfecte veritatem casus imitatur.* Denique quod additur de ratiocinatione intra nos ipsos absque usu syllogismorum, prorsus negamus; nam qua via alios, ita nos ipsos in veritatis cognitionem inducimus, hoc est, resolvendo in principia (3).

---

exempla desumpta sunt ex Nationibus, in quibus natura inculta, sibi ipsi derelicta est, nullo habito litterarum subsidio. Addit ibid. §. 9. existentiam Dei adeo evidentem esse » qu' il me paroit tout-à-fait é-» trange qu'il puisse se trouver sur la Terre une Nation entiére d' hom-» mes assez stupides pour n'avoir aucune idée de Dieu." *Insolitum mihi prorsus videtur, inveniri in Terra posse integram Nationem hominum ita stupidorum, ut Dei nullam habeant ideam.* Si existentia Dei tam est evidens, ut à nulla integra Natione etiam stupida possit ignorari, cur Lockius Viatorum fide innixus, integras Nationes extare asserit destitutas quacumque Dei idea? Si autem habitatores sinus Soldaniæ, Brasiliæ, & Insularum Caribarum ita erant stupidi, ut nullam Dei notitiam habuerint; quæ erat ratio, cur Lockius idem induceret Americanos acute disserentes sine ope syllogismorum: Quiconque » prendra la peine de considérer la plus grande partie de l' Asie, & de » l' Amerique, y trouvera des Hommes qui raissonent peut-etre aussi sub-» tilement que lui." *Quicumque considerare velit majorem Asiæ, & Americæ partem, fortasse ibi homines inveniet non minus, ac ipse subtiliter ratiocinantes.* Fierine potest, ut homines adeo subtiliter ratiocinantes, tam fuerint stupidi, ut Dei existentiam captu facillimam ignoraverint? Nollem, Lockium vestigiis institisse impii Petri Baëlii, qui postquam statuit, Viatorum quorumdam fide, integras barbaras nationes esse destitutas omni idea Dei, & Religionis; tum ponit, atheos illos morum etiam honestate præstare.

(1) S. Thomas 1. Metaph. lect. 1. *Quando aliquis inexpertus recte operatur, à casu est.*

(2) L. 2. de Divin.

(3) S. Thomas q. 11. de ver. a. 1. » Est, *inquit*, duplex modus ac-» quirendi scientiam, unus, quando naturalis ratio per seipsam deve-» nit in cognitionem ignotorum, & hic modus dicitur inventio: alius, » quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, & hic modus » dicitur disciplina ... In scientiæ acquisitione eodem modo docens » alium, ad scientiam ignotorum deducit inveniendo, sicut si aliquis » deducit seipsum in cognitionem ignoti. Processus autem rationis pro-» venientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia » communia per se nota applicet ad determinatas materias, & inde

1050 Ad tertium respondemus, necesse non esse, ut veritatis inquisitor semper exprimat omnes syllogismos qui catenam veluti efficiunt resolutionum ad principia; multoties enim loco syllogismorum enthymemata ponimus, in quibus altera præmissa, quæ obvia est, subintelligitur; multoties utimur sorite (1) qui syllogismus coacervatus est; multoties adhibemus epicherema, qui syllogismus est, cujus major, & minor alias propositiones probantes continent (2); multoties quoque utimur dilemmate. Sed dum hæc agimus, ab arte syllogistica non recedimus: nam & enthymema, & sorites, & epicheremma, & dilemma syllogismi sunt, ut in Institutionibus explicavimus.

1051 Ad quartum respondemus, Lockium, cum à supre-

» procedat ad aliquas particulares conclusiones, & ex his in alias: un- » de & secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discur- » sum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per sig- » na; & sic ratio discipuli per hujusmodi sibi proposita, sicut per quæ- » dam instrumenta pervenit in cognitionem ignotorum."

(1) Joannes Gualbertus de Soria l. de Scientia hominis par. 2. pag. 113. syllogismis vult esse substituendos soritas: atque putat probare se posse artem syllogismorum quæ in scholis traditur, debere eliminari, quod non sufficiat ad veritatem, & falsitatem detegendam; idque, ait, constare exemplo Peripateticorum. Si Soriæ parendum esset præcepto, oporteret, universarum Mathematicarum mutare formam, in quibus nonnisi per syllogismos perpetuo concluditur. Oporteret etiam ostendisse, per Soritas semper posse deprehendi veritatem, & falsitatem. Cicero autem l. 4. Acad. c. 49. *Captiosissimo*, inquit, *genere interrogationis utuntur, quod genus minime in Philosophia probari solet, cum aliquid minutatim, & gradatim additur, aut demitur. Soritas hos vocant, qui acervum efficiunt, uno addito grano: vitiosum sane, & captiosum genus.* Itaque quod Cicero captiosum argumentandi genus, hoc Soria unicam deprehendendæ veritatis viam agnoscit. Nihil autem conficit exemplo Peripateticorum, quibus nemo, si paucos excipias, acutius & verius ratiocinatus est: quorum institutio tantum valet in ipsa etiam dicendi arte, ut Tullius idem in Bruto scripserit: *Peripateticorum, Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus.* Denique Soritas ad syllogismos referri, jam dictum est.

(2) His ratiocinandi modis usi sunt Patres, usus est & S. Thomas; neque enim semper syllogismis syllogismos adjunxerunt. Recentiores autem Scholastici, ut tyronibus magis consulerent, qui multoties ratiocinii vim non penetrant, putarunt, integram syllogismorum catenam texere. An id expedierit, non quærimus. Thomas certe qui Summam Theologicam pro tyronibus edidit, ab hocce modo abstinuit.

mis Potestatibus, earumque Magistratibus omnem syllogisticam artem excludit, videri, homines indoctos, & rudes Reipublicæ administrandæ præficere: quod dici absque injuria non potest. Quis enim revera doctus est, qui primas ratiocinandi Logicas regulas ignoret? Quod si non multum severa syllogismorum forma utuntur Politici Viri, id efficit non ignoratio, aut neglectus artis, sed cum ipsa natura Politicæ (1), tum conditio eorum, quibuscum agere debent, qui subtilioris ratiocinii vim plerumque minime capiunt (2).

1052 Ad quintum negamus, syllogisticam artem non valere ad convincendum, si conclusiones illatæ sint ex præmissis evidenter certis; sic enim vera fit demonstratio, cui mens refragari nequit, ut infra ostendemus. Si autem conclusiones inferantur ex præmissis probabilibus, tunc certe mens non convincitur, non quidem defectu artis syllogisticæ, sed quia conclusio illata ex probabilibus, probabilis ipsa est. Atque hinc sæpissime evenit, ut post initas disputationes, adversarii nihilo magis convicti abscedant; nisi forte de illorum numero sint, qui cum convicti, & superati fuerint, ne videantur causa cecidisse, veritatem manifestam perfracte negant.

ARTICULUS III.

Utrum probanda sit hypothetica argumentandi ratio.

1053 Hypothetice argumentamur, cum ex aliqua suppositione quidpiam concludimus (3). Ita Cartesiani ex suppositione

(1) Nam ut S. Thomas advertit 1. Ethic. lect. 3. *Necessarium est in qualibet operativa scientia* (cujusmodi Politica est) *ut procedatur modo compositio. Econverso autem in scientia speculativa necesse est, ut procedatur modo resolutorio, resolvendo composita in principia simplicia.*

(2) Qui Reipublicæ regimini sunt præpositi, haud ignorant, imperitæ multitudini cum persuadere conantur, demonstrationibus accuratis uti non posse, tum quod multa demonstrari nequeant, tum quod principia, ex quibus fit id argumenti genus, vulgus non percipiat. Argumentis igitur popularibus ferme semper utuntur, ut possint intelligi, cum multitudini loquuntur. Sed tamen cum de Reipublicæ bono, & de reddenda cuique justitia agitur, syllogisticam artem, ut fert materia, non negligunt.

(3) Nam ὑποθεσις derivatur ab ὑπο, *sub*, & θεσις, *positio*. Vide

affectionum, quas ipsi particulis materiæ tribuunt, putant explicare posse universa naturæ fœnomena. Idipsum censent Nevtoniani efficere posse supposita universali attractione.

1054 Videtur autem probanda hæc hypothetica concludendi ratio I. quia Geometræ ex postulatis recte concludunt: hypotheses autem sunt veluti quædam postulata.

1055 II. Suppositiones etiam insufficienter probantes, opportunæ sunt ad congruenter probandos consequentes effectus, ut docet S. Thomas (1), cum scribit: *Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Uno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem ... Alio modo inducitur ratio non quæ sufficienter probet radicem, sed quæ radici jam positæ ostendat congruere consequentes effectus. Sicut in Astrologia ponitur ratio eccentricorum, & epyciclorum ex hoc quod hac positione facta, possunt salvari apparentia sensibilia circa motus cœlestes; non tamen ratio hæc est sufficienter probans, quia etiam forte alia positione facta salvari possent.* Potest igitur ex hypothesibus recte concludi.

Propositio. *Ut ex hypothesi aliquid sufficienter probetur, necesse est, suppositionem vel esse certam, vel saltem probabilem.*

1056 Ita S. Thomas (2). Prob. Ut aliquid sufficienter probetur, necessaria est aliqua ratio vel omnino certa, vel saltem probabilis; si enim nulla omnino sit ratio, vel ea sit improbabilis, aut falsa, probatio stare non potest. At vero ubi suppostio non est certa, vel saltem probabilis, nulla extat ratio neque certa, neque probabilis; hæc enim esse non potest, ubi præmissæ neque sunt certæ, neque probabiles: nam ratio est ut præmissæ, quandoquidem in conclusione comparantur invicem majus, & minus extremum, quæ sunt distributa in præmissis, ut dictum est (3). Igitur ex hypothesi nihil sufficienter pro-

---

S. Thomam 1. Poster. lect. 19. ubi differentiam explicat inter axiomata definitiones, suppositiones, & postulata.

(1) 1. p. q. 32. a. 1. ad 2.

(2) 1. Perih. lect. 1. *Hypothetica*, inquit, *enuntiatio non continet absolutam veritatem, cujus cognitio requiritur in demonstratione ... sed significat, aliquid verum esse ex suppositione: quod non sufficit in scientiis demonstrativis, nisi confirmetur per absolutam veritatem simplicis enunciationis.*

(3) §. 1047.

batur, nisi suppositio sit certa (1), vel saltem probabilis (2).

1057 Ad primum respondemus, postulata Geometriæ niti certa ratione. Sic illud, *à quovis puncto ad quodvis punctum rectam lineam ducere*, sequitur eâm definitionem, quæ tradit, lineam esse puncti fluxum, & rectam lineam esse æquabilem, & non declivem fluxum (3).

1058 Ad secundum dicimus, doctrinam S. Thomæ ibi allatam probare propositionem. Nam etsi in systemate Ptolemaico per eccentricos, & epyciclos, veteres Astronomi explicaverint motus Planetarum, non tamen positionem suam sufficienter probarunt (4). Sed hac de re alibi.

ARTICULUS IV.

Utrum probanda sit argumentatio ad absurdum.

1059 Ut argumentatio aliquando est affirmativa, cum scilicet conclusio affirmativa est; aliquando negativa, cum conclusio est negativa (5); ita aliquando est ostensiva; aliquando ducens ad impossibile, & ad absurdum, quod sequeretur, si con-

(1) Sic suppositiones quæ fiunt in Physica ex demonstrationibus mathematicis, certæ sunt, quia licet principia illa non demonstrentur in Physica, supponuntur tamen ut demonstrata in Mathematicis.

(2) Hinc patet corruere pleraque omnia systemata juniorum Philosophorum. Nam quæ Cartesiani concludunt ex particulis materiæ, hypotesi nituntur suorum elementorum, & vorticum, necnon motuum, quibus materiæ particulæ diversimode abripiuntur. Hæc autem supponunt illi quidem, sed nulla firma ratione probant. Similiter quæ Nevtonus infert ex universali attractione, præsertim in systemate Planetario, nituntur hypothesi ejusdem universalis attractionis, quam ille supponit in omnibus omnino corporibus, nec tamen probat sufficienter, ut alibi ostendemus. Itaque vel hac una ratione corruit universum ejus systema. Corruit quoque systema Leibnitianum armoniæ præstabilitæ, quod procedit ex hypothesi duplicis automatis spiritualis, & corporalis, quorum motus perfecte respondeant, quam hypothesim qui negat, destruit universum ejus systema. Nulla igitur hypothesis est admittenda, nisi sit sufficienter probata.

(3) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 5.

(4) Id multo magis verum habet in systemate sive Tichonico, sive Copernicano, ut suo loco, favente Deo, ostendemus.

(5) De utraque vide S. Thomam 1. Poster. lect. 39. ubi ostendit

sequens verum esset (1). Exemplum argumentationis ostensivæ sit prima propositio l. 1. Euclidis, in qua probatur, triangulum æquilaterum constitutum esse super datam rectam lineam, quia descriptis circulis à punctis extremis datæ rectæ lineæ, & ductis etiam duabus aliis rectis lineis ab iisdem punctis ad circumferentias illorum circulorum, tres illæ lineæ sunt æquales. Dicitur *ostensiva*, quia adsumitur ad ostendendum. Exemplum autem argumentationis ad absurdum esto propositio 6. ejusdem lib. ubi Euclides probat, duos triangulos habentes duos angulos æquales, habere latera illos subtendentia æquales, quia alioqui sequeretur, partem esse æqualem toti. Hæc autem argumentatio duobus modis fieri potest 1. ostendendo, thesim esse falsam, quia si vera foret, sequerentur absurda. 2. ostendendo, thesim esse veram, quia sequerentur absurda, si falsa foret. Absurdum autem dicitur quidquid fieri non potest.

1060 Videtur autem hæc argumentatio parum valere I. quia nec mentem illuminat, nec docet, sed tantum cogit adversarium. Ergo.

1061 II. Quia cum hæc argumentatio ducat ad impossibile, necesse esset, rem nullo alio modo esse posse, quod tamen vix ostendi potest in tanta rerum obscuritate.

---

etiam, argumentationem affirmativam potiorem esse negativa, tum quia affimativa est notior, cum per affirmativam probetur negativa, & non econtra; tum quod affirmatio naturaliter præcedit negationem.

(1) S. Thomas ib. lect. 40. *Demonstratio ducens ad impossibile, hoc modo se habet. Sit ita quod oporteat demonstrare, quod A non insit B, accipiamus oppositum ejus quod probare volumus, scilicet, omne B est A, & accipiamus quod B sit in C per hanc propositionem, omne C est B, ex quibus sequitur conclusio, omne C est A: & sit ita quod notum sit, & concessum apud omnes, quod est impossibile. Et ex hoc concludimus, primam esse falsam, scilicet, omne B est A, & ita oportebit, vel quod nullum B sit A, vel saltem quod quoddam B non sit A. Sed hoc tamen intelligendum est quod sequitur A non esse in B, quando manifestum est B esse in C, quia si manifestum esset, hanc esse falsam, omne C est A, & si non esset manifestum, hanc esse veram, omne C est B, non esset per consequens manifestum, hanc esse falsam, omne B est A, quia falsitas conclusionis poterat procedere ex alterutra præmissarum.*

Propositio. I. *Argumentatio ad absurdum utilis est.* II. *Non est tamen potior neque negativa, neque affirmativa.*

1062 Prob. 1. p. Argumentatione ad absurdum passim utuntur Geometræ. Utuntur etiam Philosophi, & Teologi, cum adversariorum placita impugnant, inducendo absurda, quæ sequerentur, illis admissis (1). Est igitur utilis argumentatio ad absurdum.

1063 Prob. 2. p. ratione S. Thomæ (2). Argumentatio negativa est, *si accipiatur, quod* A *in nullo* B *sit, &* B *sit in omni* C, *& concludatur,* A *esse in nullo* C; Argumentatio vero ad absurdum est, cum *accipitur ista propositio* C *non est* A, *quia ex hoc quod est* A *non in* C *esse, ostenditur* A *non esse in* B. Atqui *ista propositio,* B *non est* A, *est naturaliter prior, quam ista propositio,* C *non est* A; quandoquidem hæc propositio C non est A, in argumentatione negativa ponitur ut conclusio; in argumentatione vero ad absurdum ut præmissa: præmissæ autem sunt priores conclusione, cum hæc ex illis inferatur. In rationis autem progressu, quæ sunt priora sunt etiam notiora, adeoque potiora. Potior est igitur argumentatio negativa argumentatione ad absurdum. Ex quibus patet, multo potiorem esse argumentationem affirmativam; cum enim hæc sit potior negativa, ut dictum est (3): negativa vero sit potior ea quæ est, ad absurdum, affirmativa multo potior debet esse, ea quæ ducit ad absurdum (4).

1064 Ad primum dicimus, argumentatione ad absurdum ostendi, impossibile esse quod adversarius adsumit; quæ quidem res magnam ad convincendum utilitatem habet.

1065 Ad secundum dicimus, multa esse, de quibus perspicue constat, ita neccessario esse, nec posse omnino aliter esse, uti sunt principia per se nota, ad quæ reducimur argumentando ad absurdum.

---

(1) Sic S. Thomas 1. p. q. 2. a. 3. probat Deum esse ex ratione causæ efficientis; quia si non esset prima Causa efficiens, nec esset causa ultima, nec media, atque ita nullus esset effectus.

(2) 1. Poster. lect. 40. (3) Not. 1. pag. 537.

(4) Hinc argumentatio affirmativa præferri debet negativæ, & negativa illi quæ ducit ad absurdum. Quare, si fieri potest argumentatio affirmativa, relinquenda est negativa: & si affirmativa non suppetit, adhibenda est potius negativa, quam illa quæ est ad absurdum.

ARTICULUS V.

Utrum expediat argumentari ex datis.

1066 Videtur non expedire I. quia argumentatio ordinatur ad inquirendam veritatem: qui autem argumentatur ex datis, supponit vera esse quæ falsa sunt.

1067 II. Argumentatio debet procedere ex veris; nam ex falsis nihil concluditur. Sed qui argumentatur ex datis, procedit ex falsis. Igitur nihil concludit.

Propositio. I. *Argumentatio ex datis* (1) *potissima est ad revincendum*; II. *infirma ad probandum.*

1068 Prob. 1. p. Ut S. Irenæus ait (2), *Illa est vera, & sine contradictione probatio, quæ etiam ab adversariis ipsis signa testificationis profert* (3). Sed quoties argumentamur ex datis, probatione utimur, quæ ab ipsis adversariis testificationem accipit. Est ergo hujusmodi argumentatio sine contradictione, id est aptissima ad revincendum. Quid enim respondere adversarii possunt, cum ex ipsis eorum principiis illos revincimus?

1069 Prob. 2. p. Qui argumentatur ex datis, procedit ex principiis adversariorum, quæ assumuntur tamquam vera, etiamsi falsa sint. Sed argumentatio ut sit firma ad probandum, debet procedere ex principiis veris in seipsis, non tantum assumptis tamquam veris. Igitur argumentatio ex datis infirma est ad probandum (4).

---

(1) Hæc argumentatio vocari solet *ad hominem.*

(2) l. 4. adv. hæres. c. 14.

(3) Hoc argumenti genere usi sunt Christianæ Religionis Apologistæ, Justinus Martyr, Tatianus, Tertullianus, Origenes, aliique adversus Gentiles, producentes testimonia Philosophorum, & Poëtarum, qui magno apud eosdem Gentiles in pretio erant.

(4) S. Thomas 1. de ani. lect. 6. *Aliter*, inquit, *argumentandum est ad eum qui simpliciter intendit veritatem, quia ex veris oportet procedere, sed qui arguit ad positionem, procedit ex datis. Et ideo frequenter Aristoteles quando argumentatur ad positiones, videtur quod*

1070 Ad primum dicimus, argumentationem ex datis non ordinari simpliciter ad inquirendam veritatem, sed ad revincendum adversarium, ut dictum est (1).

1071 Ad secundum respondemus, ex falsis, si assumantur tamquam vera, posse verum inferri, non quod verum sit in seipso, sed quod ab adversario negari non possit tamquam falsum (2).

ARTICULUS VI.

Utrum adhiberi possit argumentatio reciproca, seu circularis.

1072 *Circularis syllogismus dicitur*, inquit S. Thomas (3), *quando ex conclusione, & altera præmissarum conversa concluditur reliqua; sicut si fiat talis syllogismus: Omne animal rationale mortale est risibile, omnis homo est animal rationale mortale, ergo omnis homo est risibilis. Assumatur ergo conclusio tamquam principium, & adjungatur ei minor conversa, hoc modo: Omnis homo est risibilis, omne animal rationale mortale est homo, ergo omne animal rationale mortale est risibile, quæ erat major primi syllogismi.*

1073 Videtur autem adhiberi posse husmodi argumentatio, I. quia, ut in exemplo allato, optime possumus inferre, hominem esse risibilem, ex eo quod omne animal rationale mortale est risibile; & è converso inferre, omne animal rationale mortale esse risibile, ex eo quod homo est risibilis.

1074 II. Valet argumentatio à causa ad effectum, & ab effectu ad causam: hæc autem argumentatio circularis est.

---

inducat rationes parum efficaces, quia procedit ex datis ad interimendum positionem.

(1) §. præc.

(2) Vide S. Thomam 5. Metaph. lect. 6. ubit scribit: *Dicitur simpliciter demonstratum ad ejus differentiam, quod demonstratur in demonstratione, quæ est ad aliquem, & non simpliciter ... In talibus enim demonstrationibus, quæ sunt ad aliquem, contingit etiam impossibile concludi ex aliquibus impossibilibus possitis.* Confer S. August. l. 2. de Doct. Christ. c. 31. n. 49.

(3) 1. Poster. lect. 8.

Propositio. I. *Non licet uti argumentatione circulari in eodem genere causæ.* II. *In diverso genere causæ*, III. *& in diverso genere argumentationis, licet.*

1075 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Principium per quod argumentando aliquid probamus, est prius, & notius conclusione, ut dictum est (2); adeoque conclusio, seu id quod probatur, est minus notum; alioqui probatione non indigeret. Si ergo in eodem genere causæ liceret uti argumentatione circulari, sequeretur, idem esse prius, & posterius respectu unius, & ejusdem, & simul notius, ac minus notum. Hoc autem fieri non potest. Ergo fieri non potest argumentatio circularis in eodem genere causæ (3).

1076 Prob. 2. p. ratione ejusdem S. Thomæ (4). Si non sit omnino unum, & idem quod prius fuit conclusio, & postea est principium, nihil prohibet circulo argumentari; tunc enim non est idem, prius, & posterius, & notius, & minus notum. Sed cum argumentatio procedit in diverso genere causæ, non est omnino idem quod fuit conclusio, & postea est principium; est enim diversum genus causæ. Tunc igitur nihil prohibet circulo argumentari (5).

---

(1) 1. Poster. lect. 8. (2) §. 1047.

(3) S. Thomas loc. cit. *Dialecticus syllogismus*, inquit, *potest esse circularis; procedit enim ex probabilibus. Probabilia autem dicuntur, quæ sunt magis nota, vel sapientibus, vel pluribus. Et sic dialecticus syllogismus procedit ex his, quæ sunt magis nota nobis. Contingit autem, idem esse magis, & minus notum quoad diversos; & ideo nihil prohibet, syllogismum dialecticum fieri circularem. Sed demonstratio fit ex notioribus simpliciter; & ideo non potest fieri circularis demonstratio.*

(4) 2. Poster. lect. 12.

(5) Hinc recte ex testimonio Sacræ Scripturæ infertur auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, & ex Ecclesiæ Catholicæ testimonio infertur auctoritas Sacræ Scripturæ. S. Augustinus l. 1. con. Cresconium c. 33. »Quoniam Sancta Scriptura, *inquit*, fallere non potest, quisquis falli metuit, hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura commendat.« Nimirum, in diverso genere causæ, Scriptura quidem ut movens ad credendum. Ecclesia, ut proponens quod credere debemus. Quare nullus est circulus vitiosus, ut Protestantes ajunt.

1077 Prob. 3. p. ex eodem S. Thoma (1). Cum est diversum genus argumentationis id est *à priori*, seu per causam, & *à posteriori*, seu per effectus, tunc non est idem notius, & minus notum; nam sicut causa notior est secundum se, ita effectus sunt notiores quoad nos. Potest igitur fieri argumentatio à causa ad effectum & ab effectu, ad causam (2). Et per hæc patet solutio ad objecta.

ARTICULUS VII.

Utrum ex veris præmissis inferri possit conclusio falsa, vel ex falsis conclusio vera.

1078 Videtur, ex falso posse deduci verum I. quia Arithmetici tradunt regulam quamdam, quæ dicitur falsi; qua è duobus, vel pluribus numeris incertis, verus aliquis, & certus colligitur (3).

1079 II. Geometræ plures demonstrationes conficiunt, in quibus ex contradictoria infertur propositio demonstranda (4). Cum igitur duæ contradictoriæ non possint esse simul veræ, & falsæ, ut supra dictum est (5), consequitur ex falso verum inferri.

---

(1) 1. Poster. lect. 8.

(2) Solet hoc argumentandi genus appellari *regressus*, & *circulus non conformis*. Adhibetur autem, cum ex effectibus concludimus esse causam; & deinde conamur investigare rationem, cur causa producat tales effectus, investigando naturam causæ, & sic regredimur ad effectus.

(3) V. g. centum aurei dividendi sunt inter tres A, B, C, hac lege, ut A habeat partem duplam B, & B partem triplam C. Quæritur quantum singulis obveniet. Ponatur A obvenire 6, habebit B 3, C 1. quæ in unum efficiunt 10. Statuantur 10 primo loco, 6 secundo loco, & tertio loco numerus 100 dividendus. Tum adhibita regula proportionum ducatur 100 in 6, & numerus 600 productus dividatur per 10, & invenientur 60. Itaque A habebit 60, B, 30, C 10.

(4) Vide prop. 12. l. 9. Euclidis, ubi hæc propositio *numerus E metitur numerum A*, demonstratur ex ejus contradictoria. Pleræque consimiles sunt cum apud Euclidem, tum apud Theodosium.

(5) §. 1030.

Propositio. I. *Ex vero non potest inferri, nisi verum.* II. *Ex falso autem per se, & directe non potest inferri, nisi falsum.* III. *Indirecte tamen, & per accidens infertur aliquando verum.*

1080 Prob. 1. p. Si ex veris præmissis posset inferri consequens falsum, præmissæ essent simul veræ, & non veræ; nam consequens continetur in præmissis, ut dictum est (1). Ex veris igitur præmisis non potest inferri, nisi consequens verum. Quod si præmissis existentibus veris, consequens est falsum, signum est, non recte inferri ex præmissis.

1081 Prob. 2. p. Consequens non aliter deducitur per se, & directe ex præmissis, nisi quia continetur in præmissis. Atqui in falsis præmissis non potest contineri nisi falsum consequens; nam verum in falso contineri non potest, cum sint opposita. Igitur ex falso non potest inferri per se, & directe, nisi falsum (2).

1082 Prob. 3. p. Cum argumentamur ad absurdum, & ex datis, multoties ex falso verum concludimus, ut supra dictum est (3): tunc autem ex falso indirecte infertur verum; quippe verum tunc non infertur præcise ex falso, sed ex vera conexione ratiocinationis (4), qua uno imposibili admisso, sequitur aliud. Præterea quandoque propositio illata vera est in

(1) §. 1047.

(2) Tacquetus in Append. post theoremata Archimedis, probandum suscipit adversus Danielem Lipstorpium, ex falsis posse verum directe elici, idque putat confirmare se posse exemplis Geometricis; sed apprime fallitur; nam exempla illa demonstrant, duntaxat, ex falso posse concludi verum indirecte, hoc est per argumentationem ad absurdum.

(3) §. 1059. sq.

(4) S. Augustinus l. 2. de Doct. Christ. c. 31. n. 49. » Sunt, *inquit*, » veræ conexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur: quæ tamen ad hoc inferuntur à bono, & docto homine, ut in iis erubescens ille, cujus errorem consequuntur, eumdem relinquat errorem: quia si in eodem » manere voluerit, necessse est etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. » Non enim vera inferebat Apostolus, cum diceret, *Neque Christus* » *resurrexit*: & illa alia, *Inanis est prædicatio nostra, inanis est &* » *fides vestra*: & deinceps alia quæ omnino falsa sunt, quia & Christus » resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annuncia-

seipsa, non vi illationis, ut in hoc syllogismo: *Lapis est animal, Petrus est lapis, ergo Petrus est animal*; hæc enim propositio, *Petrus est animal*, vera est in seipsa, non vi illationis: nam licet ea quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se; non oportet tamen, ut quæ sunt eadem inter se, semper sint eadem uni tertio. In hac igitur illatione conclusio est vera per accidens. Itaque ex falso potest indirecte, & per accidens inferri verum.

1083 Ad primum respondemus, ex regula falsi non colligi verum ex falso; nam ex vera proportione inter 10. & 6. colligitur vera proportio inter 100. & 60. fit enim ut 10. ad 6. ita 100. ad 60.

1084 Ad secundum dicimus, demonstrationes illas Geometrarum, quas Tacquetus producit, concludere ad absurdum, neque proinde esse directas, sed indirectas, ut dictum est (1).

ARTICULUS VIII.

Utrum intellectus, præstito præmissis assensu, necessitetur ad assentiendum conclusioni.

1085 Præmisæ, ex quibus conclusio infertur, possunt esse vel evidenter certæ, vel creditæ, vel probabiles. De singulis quæri potest an intellectui necessitatem inferant ad assentiendum conclusioni.

1086 Necessitas porro duplex est, altera respiciens speciem actus v. g. amoris, & dicitur *quoad specificationem*, seu necessitas ad hanc speciem actus: altera respicit ipsum actum elicitum, & dicitur *quoad exercitium*, seu necessitas ad hunc actum eliciendum. Et similiter duplex est libertas, altera *quoad spicificationem*, & dicitur libertas *contrarietatis*, quia versatur circa actus contrarios, v. g. odii, & amoris; altera *quoad exercitium*, & dicitur libertas *contradictionis*, qua sci-

---

» bant: nec fides eorum qui hoc crediderant: sed ista falsa verissime » conectebantur illi sententiæ, qua dicebatur, non esse resurrectionem » mortuorum. Istis autem falsis repudiatis, quoniam vera erant, si mor» tui non resurgunt, consequens erit resurrectio mortuorum. Cum ergo » sint veræ conexiones; non solum verarum, sed etiam falsarum sen» tentiarum, facile est veritatem conexionum etiam in Scholis illis » discere, quæ præter Ecclesiam sunt."

(1) §. 1082.

licet possumus elicere, & non elicere actum, v. g. amare, & non amare.

1087 Videtur autem, nullo modo necesse esse, ut intellectus, postquam præmissis assensum præbuit, assentiatur conclusioni, I. quia veritas conclusionis est quoddam peculiare hominis bonum ex doctrina S. Thomæ (1); continetur enim sub bono universali: bonum autem peculiare nequit necesitatem inferre.

1088 II. Potest quis assentiri huic practicæ demonstrationi: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; tibi non vis furari, ergo alteri ne fureris.* Nec propterea voluntas necessitate cogitur ad non furandum.

1089 III. Si intellectus possitis præmissis, nullam indifferentiam haberet, nullam acquireret scientiam; nam esset naturaliter determinatus ad conclusionem, ex cujus assensu scientia gignitur; ubi autem est naturalis determinatio potentiæ, nullus habitus reperitur.

Propositio. I. *Si præmissæ sint probabiles, vel creditæ, præstito iis assensu, oportet intellectum assentiri conclusioni vi illationis, non autem veritatis inferentis.* II. *Si autem præmissæ sint evidenter veræ, necesse est, intellectum, præstito eisdem assensu, asentiri conclusioni, necessitate, & quoad specificationem,* III. *& quoad exercitium.*

1090 Prob. 1. p. Qui assentitur præmissis probabilibus, & creditis, vi argumentationis quidem debet assentiri conclusioni recte illatæ; cum enim termini ex quibus constat conclusio, in præmissis collati sint cum tertio, scilicet, medio, & concessum sit, convenire cum illo, intellectus nullo modo potest negare vi illationis, eosdem terminos convenire inter se in conclusione; nam alioqui falsum esset illud principium, quo argumentatio nititur: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Nihilominus quia veritas in præmissis probabilibus, & creditis non est evidens, potest intellectus, præstito iis præmissis assensu, suspendere assensum conclusioni, & regredi ad præmissas expendendas (2). Nulla igitur est ibi necesitas assentien-

(1) 1. 2. q. 9. a. 1. ad 3.

(2) S. Thomas 1. p. q. 82. a. 2. » Sunt, *inquit*, quædam intelligibilia, » quæ non habent necessariam conexionem ad prima principia: sicut

di conclusioni vi veritatis inferentis (1).

1091 Prob. 2. p. Si autem præmissæ sint evidenter veræ, cum vero evidenter cognito intellectus non possit dissentire; alioqui assentiretur falso evidenter cognito, quod esse non potest; consequitur, intellectum, præstito hujusmodi præmissis asensu, debere necessario assentire conclusioni, nec posse dissentire: quod est, necessitate contrarietatis adigi ad speciem actus, hoc est, ita esse determinatum ad assensum, ut non possit ponere dissensum.

1092 Prob. 3. p. Positis præmissis evidenter veris, licet voluntas possit impedire, ne intellectus illis attendat, neque de illis cogitet, si tamen sinat intellectum illis atendere, & de illis cogitare, iisque assensum præbere, nequit efficere, ut intellectus assentiat, vel non asentiat conclusioni (quæ est libertas exercitii, & contradictionis) sed omnino manet intellectus determinatus ad assensum; tunc enim intellectus est naturaliter determinatus. Et quemadmodum potest quidem voluntas imperare, ut oculi claudantur, nec videant, cum sol splendet; non potest autem efficere, ne splendente sole, oculi aperti videant; ita potest quidem avertere mentem, ne præmissis evidentibus atendat, non potest tamen efficere, ne si illis intellectus attendat, assensum conclusionis suspendat (2).

1093 Ad primum dicimus, bonum peculiare non posse ab-

» contingentes propositiones ad quarum remotionem non sequitur re» motio primorum principiorum. Et talibus non ex necessitate assentit » intellectus." Et 1. Poster. lect. 14. » Licet ex præmissis contingentibus » non sequatur conclusio necessaria necessitate absoluta; sequitur tamen » secundum quod est ibi necessitas consequentiæ, secundum quod con» clusio sequitur ex præmissis."

(1) Hac ratione probat S. Thomas, ad credendum Fide Divina, requiri piam affectionem, seu motionem voluntatis. *Corde enim*, inquit Apostolus Rom. 10. v. 10. *creditur ad justitiam*, id est *voluntate*, ut notat S. Thomas ib. lect. 2. » Nam cætera quæ ad exteriorem Dei » cultum pertinent, potest homo nolens, sed credere non potest nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum » veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis, sed ex volun» tate: & ideo scire non pertinet ad justitiam hominis, quæ est in vo» luntate, sed credere."

(2) Quæ diximus, luculentius docet S. Thomas 1. 2. q. 17. a. 6. *Actus*, inquit, *rationis potest considerari dupliciter, uno modo quoad exercitium actus, ut cum indicitur alicui, ut atendat, & ratione utatur, & sic potest imperari actus rationis: alio modo quantum ad objectum,*

solute necessitatem imponere voluntati, nisi forte pertineat ad proprium hominis esse, quod quisque non libere, sed necessario amat. Potest tamen imponere necessitatem ex hypothesi, sive suppositione, ut est in casu: nam voluntas potest quidem impedire, ne intellectus attendat præmissis, adeoque conclusioni; at vero si velit, intellectum attendere præmissis evidentibus, non potest impedire, ne intellectus assentiatur conclusioni.

1094 Ad secundum respondemus, ex ratiocinatione practica id tantum concludi, ita scilicet esse faciendum, quia lex ita præcipit; quod autem ita fiat, id pendet ex voluntate humana, quæ cum sit indiferens ad faciendum, & non faciendum, imo ad actum, & ejus oppositum, inde evenit, ut plerique cognoscentes illicitum esse furari, nihilominus furentur.

1095 Ad tertium dicendum, habitum scientificum non solum versari circa conclusiones, verum etiam circa præmisas, ut inferentes conclusiones: potest autem intellectus attendere, vel non attendere præmisis, quibus ut attendat ad inferendas conclusiones, determinari debet per habitum.

ARTICULUS IX.

Utrum assensus præmissarum influat efficienter in assensum conclusionis.

1096 Videtur negandum, I. quia vis effectiva est potentia, vel habitus, non vero actus: sed assensus præmissarum actus est; non igitur influit efficienter in assensum conclusionis.

1097 II. Apprehensio boni amabilis non influit efficienter

---

respectu cujus duo actus rationis attenduntur; primo quidem ut veritatem circa aliquod apprehendat, & hoc non est in potestate nostra; hoc enim contingit per virtutem alicujus luminis, vel naturalis, vel supernaturalis, & ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra. Alius autem actus rationis est, dum his quæ apprehendit, assentit. Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum, & dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est.

in actum amoris, sed est conditio requisita ad amandum. Ergo & assensus præmissarum mera conditio erit.

1098 III. Quod influit efficienter, debet existere, dum producitur effectus, alioqui effectus produceretur sine causa. Sed dum mens assentitur conclusioni, jam non existit assensus præmissarum, qui cum sit actus, jam præcessit. Ergo.

Propositio. *Præmissæ habent rationem causæ efficientis, & activæ respectu conclusionis.*

1099 Ita S. Thomas (1). Prob. Quod complet, & determinat intellectum, ut assentiatur conclusioni, censetur habere rationem causæ efficientis, & activæ; quod enim complet, & determinat causam efficientem, influit in ejus actionem. Atqui præmissæ complent, & determinant intellectum, ut assentiatur conclusioni: nam conclusio virtute continetur in præmissis, & idcirco diximus (2), necesse esse, ut intellectus, præstito præmissis assensu, assentiatur etiam conclusioni; non enim assentitur conclusioni, nisi quia completus, & determinatus est per præmissas. Hæ igitur respectu conclusionis rationem habent causæ efficientis, & activæ.

1100 Ad primum respondemus, vim effectivam non uni tantum potentiæ, & habitui, sed etiam actui convenire, si is virtute contineat alium: tunc enim determinare potest potentiam ad hunc alium actum efficiendum. Sic gaudium est effectus dilectionis, qua Deum amamus (3). Sic lætitia est effectus devotionis (4).

1101 Ad secundum dicendum, apprehensionem boni esse voluntati extrinsecam, nec proinde posse voluntatem intrinsece determinare. At vero assensus præmissarum intrinsecus est intellectui, quem propterea intrinsece determinat.

---

(1) 1. Poster. lect. 3. » Principia, *inquit*, se habent ad conclusiones » in demonstrativis, sicut causæ activæ in naturalibus ad suos effec» tus.« Et 5. Metaph. lect. 3. ait: » Propositiones dicuntur esse mate» ria conclusionis, non quidem secundum quod sub tali forma existunt, » vel secundum virtutem earum (sic enim magis se habent in ratione » causæ efficientis) sed quantum ad terminos, ex quibus componun» tur: nam ex terminis præmissarum componitur conclusio, scilicet, » ex majori, & ex minori extremitate.« Vide etiam 1. con. Gen. c. 55. & 57. & 1. p. q. 14. a. 7.

(2) §. 1090. sqq. (3) Vide S. Thom. 2. 2. q. 28. sq.

(4) Vide eumdem ib. q. 82. a. 2.

1102 Ad tertium dicimus, eodem tempore, quo mens assentitur conclusioni, existere causam inferentem; nam minor, & conclusio eodem tempore cognoscuntur (1).

QUÆSTIO XXVIII.

De Demonstratione.

1103 Post argumentationem in genere, progrediamur ad ejus species, quarum prima est demonstratio, ut supra dictum est (2). Quæremus autem 1. de necessitate demonstrationis. 2. de ejus divisione. 3. de ejus principiis.

ARTICULUS I.

Utrum necesse sit dari veras demonstrationes.

1104 Demonstratio est argumentatio, qua ex præmissis omnino certis, necessariis, & evidentibus ratiocinamur; eaque scientiam efficit. Sceptici autem, cum omnem scientiam rejicerent, ut infra dicemus, omnem similiter veram demonstrationem rejecerunt. Hos sequutus fuit Daniel Huetius (3). Sceptico-

---

(1) S. Thomas 1. Poster. lect. 2. *Cum*, ait, *ad conclusionem inferendam duæ propositiones requirantur, scilicet, major, & minor, scita propositione majori, nondum habetur conclusionis cognitio. Major ergo propositio præcognoscitur conclusioni, non solum natura, sed tempore. Rursus autem si in minori propositione inducatur, sive assumatur aliquod contentum sub universali propositione, quæ est major, de quo manifestum non sit, quod sub hoc universali contineatur, nondum habetur conclusionis cognitio, quia nondum erat certa veritas minoris propositionis. Si autem in minori propositione assumatur terminus, de quo manifestum sit, quod continetur sub universali in majori propositione, patet veritas minoris propositionis, quod id quod accipitur sub universali, habet ejus cognitionem, & sic statim habetur conclusionis cognitio. Ut si sic demonstraret aliquis*: Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: *ista cognita, nondum habetur conclusionis cognitio; sed cum postea accipitur*, hæc figura in semicirculo descripta, est triangulus, *statim scit quod habet tres angulos æquales duobus rectis.* (2) §. 1033.

(3) Cum in Trac. de imbecillitate mentis humanæ, tum in quæst. Alnetanis l. 1. c. 1. ubi §. 3. » Dicimus, *inquit*, cum Scepticis, ne hoc

rum autem patrocinium apertius suscepit Baelius (1), negata demonstratione.

1105 Videtur autem ita dicendum, I. quia veteres Philosophi demonstrarunt extare qualitates in corporibus, calorem in igne, frigus in nive &c. At vero Philosophi juniores has qualitates reposuerunt in perceptione. Itaque demonstrationes illæ potius deceptiones erant.

1106 II. Demonstrari solet, personam esse idem cum natura, & nihilominus Persona Christi alia est ab ejus natura humana.

1107 III. Demonstrari etiam solet, rem non posse differre à seipsa; sed nihilominus anima hominis à seipsa differt, cum non sit eadem in capite, in pede &c.

1108 IV. Demonstrari solet item, bonum non esse, qui mala permittit, cum possit impedire; & tamen Deus bonus est, etsi permittat mala, quæ impedire posset.

1109 V. Insuper demonstratur, neminem peccare, aut puniri posse, qui non existat; & tamen posteri Adæ peccarunt in ipso, & in ipso fuere puniti, cum non existebant. Hæc quidem Baelius (2), quæ idcirco producimus, ut quisque videat, quam frivolis argumentis conetur is Scepticus Pyrrhonismum docere.

1110 VI. Ex Huetio (3), demonstrationes quæ ratione humana fiunt, si comparentur cum veritatibus Fidei Divinæ, minorem certitudinem habent: nam ut advertit S. Thomas (4) *aliæ scientiæ* (*humanæ*) *certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare; hæc autem* (*Sacra Doctrina*) *certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest.* Deest igitur demonstrationibus humanis, imo & ipsis principiis geometricis aliquid; proindeque merito probabilitates appellari debent, si cum rebus revelatis comparentur.

» quidem nos certissime scire, perfecta, scilicet, illa certitudine, quod » nihil certissime sciamus." Et ib. §. 5. asserit quidem, mentem humanam veritatem aliquam cognoscere pro modo, captuque suo, docet tamen veritatem clarissime firmissimeque non cognoscere. Quod licet constituat, ut deinde probet, Fidem esse unicam ad veritatem tutam, rectam, minimeque fallacem viam; nihilominus videtur eripere universa arma ad impugnandos impios, qui doctrinam revelatam negant. Nam si nulla est clarissima, & firmissima veritas, quæ per demonstrationem cognoscatur, jam non possent ullo modo convinci impii negantes Doctrinam revelatam; neque proinde clarissime, firmissimeque probari posset Dei existentia adversus Atheos.

(1) Diction. Crit. art. Pyrrho.

(2) Loc. cit. (3) in Alnet. loc. cit. (4) 1. p. q. 1. a. 5.

Propositio. I. *Necesse est dari veras demonstrationes*, II. *quibus refragari mens nullo modo potest.*

1111 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Si nulla vera demonstratio esset, nulla quoque forent principia omnino certa, & evidentia; fieri enim non potest, ut mens, quæ naturaliter ratione pollet, ex principiis omnino certis, necessariis, & evidentibus, nullas conclusiones inferat omnino certas, necessarias, & evidentes, quod est demonstrare ut dictum est (2). Atqui necesse est dari principia omnino certa, & evidentia (3): nam si nulla darentur, jam in ratiocinando procederetur in infinitum; non esset enim assignare primum aliquod principium omnino stabile, quo ratiocinationes humanæ niterentur, sed quamlibet ratiocinationem positam præcederet alia ratiocinatio: omnia siquidem prin-

(1) 1. Poster. lect. 19. (2) §. 1104.

(3) Quædam propositiones sunt per se notæ in seipsis, sed ut nobis innotescant, opus est ratiocinatione; quædam vero ita sunt per se notæ in seipsis, ut etiam nobis innotescant statim ac percipimus terminos. Per se notæ in se ipsis, sed non quoad nos dicuntur illæ, quarum prædicatum est in ratione, sive de essentia subjecti, sed tamen hæc connexio non statim à nobis cognoscitur, cognitis terminis, sed postquam terminos illos cum aliquo tertio contulerimus, quod fit demonstrando. At vero per se notæ in seipsis, & quoad nos dicuntur illæ, in quibus prædicatum non solum est in ratione subjecti, sed statim perceptis terminis, absque ulla ratiocinatione cognoscitur, prædicatum esse in ratione subjecti. *Quælibet propositio* (inquit S. Thomas 1. Poster. lect. 5.) *cujus prædicatum est in ratione subjecti, est immediata, & per se nota, quantum est de se: sed quarumdam propositionum termini sunt tales, quod sunt in notitia omnium, sicut ens, & unum, & alia quæ sunt entis, in quantum est: nam ens est prima conceptio intellectus. Unde oportet, quod tales propositiones non solum in se, sed etiam quoad nos quasi per se notæ habeantur. Sicut quod non contingit idem esse & non esse: & quod totum sit majus sua parte, & similia... Quædam vero propositiones sunt immediatæ quarum termini non sunt apud omnes noti. Unde licet prædicatum sit de ratione subjecti; tamen quia definitio subjecti non est omnibus nota, non est necessarium, quod tales propositiones ab omnibus concedantur. Sicut hæc propositio Omnes recti anguli sunt æquales, quantum est in se, est per se nota, sive immediata, quia æqualitas cadit in definitione anguli recti: angulus enim rectus est, quem facit linea recta, super aliam lineam rectam cadens, ita quod ex utraque parte anguli reddantur æquales.*

cipia, utpote incerta, probari possent per alia principia, & hæc rursus, quoniam incerta, probari deberent per alia, sicque in infinitum: nulla proinde esset ratiocinatio non solum demonstrativa, sed neque probabilis: nam infinitum pertransiri non potest, & primo simpliciter ablato in unoquoque genere, oportet, cætera corruant. Necesse est igitur dari veras demonstrationes.

1112 Prob. 2. p. Vero evidenter proposito mens refragari nequit; si enim posset, jam posset quoque assentiri falso evidenter cognito: quod est contra naturam mentis, quæ naturaliter fertur in verum. Atqui in veris demonstrationibus verum evidenter proponitur menti: est enim evidenter illatum ex principiis omnino certis, & evidentibus, ut dictum est (1). Veræ igitur demonstrationi mens refragari non potest.

1113 Ad primum respondemus, neminem Philosophorum hactenus dixisse, vere esse demonstratum, qualitates corporum inesse, vel non inesse corporibus tamquam entia accidentalia. Eorum sententiæ opiniones sunt, quæ non egrediuntur fines probabilitatis. Qua in re vide quam acute Baelius ratiocinetur, & quam sit versatus in sententiis Philosophorum.

1114 Ad secundum dicimus, non modo non esse demonstratum, personam idem esse ac naturam, sed insuper id esse falsum, ut in Metaphysica ostendemus.

1115 Ad tertium dicendum, humanam animam non differre à seipsa, propterea quod diversas corporis humani partes informat: non enim est in corpore ad modum corporum, quorum singulæ partes sunt circumscriptæ singulis partibus loci; sed est in partibus corporis ad modum spiritus, illas vivificando: quare non sequitur, idem differre à seipso.

1116 Ad quartum dicimus, demonstrari quidem, nullum provisorem peculiarem esse bonum, qui non impedit mala, si possit; id autem non solum non demonstrari, sed esse omnino falsum, si sermo sit de provisore universali, cujusmodi est Deus (2). Sed hac de re fusius in Metaphysica.

1117 Ad quintum respondemus, omnes homines fuisse in Adamo tamquam in capite totius humanæ naturæ; ideoque ipso peccante, peccatum, & pœna in omnes derivavit (3).

1118 Ad sextum dicendum, etiam inter scientias naturales unam præ altera esse majoris certitudinis: nam mathematicæ sum-

(1) §. præc.
(2) Vide S. Thom. 1. p. q. 22. a. 2. ad 2.
(3) Confer S. Thom. 1. 2. q. 81. a. 1.

mam, quæ lumine naturali haberi potest, certitudinem habent: physicæ vero minorem; nec propterea destitutæ sunt certitudine illa, quæ requiritur ad scientiam veri nominis, ut supra dictum est (1). Ex quo igitur demonstrationes minorem certitudinem habent, quam veritates revelatæ, quia illæ nituntur lumine rationis humanæ, quæ falli potest, istæ lumine Divinæ scientiæ, quæ est omnino infallibilis; non sequitur certitudine destitui, quæ scientiam vere talem constituat, & probabilitates dici debere.

ARTICULUS II.

Utrum demonstratio recte dividatur in demonstrationem propter quid, *& demonstrationem* quia.

1119 Videtur non recte dividi: I. quia demonstratio dividitur in demonstrationem *à priori*, seu per causam, & *à posteriori*, seu per effectus, & proprietates.

1120 II. Præter recensitas demonstrationes, invenitur etiam demonstratio *à signo*. Non igitur recta est divisio tradita demonstrationis.

1121 III. Demonstratio ad absurdum, & ex datis, non est neque *propter quid*, neque *quia*. Et similiter demonstratio negativa.

Propositio. *Recta est divisio demonstrationis in demonstrationem propter quid, & demonstrationem quia.*

1122 Prob. Demonstratio *propter quid* est illa, quæ procedit ex præmissis necessariis, certis, & evidentibus, & propriam, proximam, & adæquatam causam sive rationem adfert rei demonstratæ (2). Demonstratio autem *quia* (3), dicitur illa, quæ

(1) §. 135.

(2) Hujusmodi est demonstratio, qua S. Thomas 1. p. q. 10. a. 1. probat, Deum esse æternum, quia est omnino immutabilis; hæc immutabilitas enim est propria, proxima, & adæquata ratio æternitatis: nam sicut ratio temporis consequitur motum, ita ratio æternitatis consequitur immutabilitatem. Vide S. Aug. ser. 2. in Psal. 101. n. 10.

(3) Si cui displiceant voces, *propter quid* & *quia*, quod eas putet obscuras, non moramur, dummodo in re ipsa consentiat. Sed eæ minime obscuræ sunt consideranti, rationem propriam, proximam, &

evidenter quidem probat, prædicatum conclusionis convenire subjecto, non tamen adfert nisi causam, seu rationem remotam (1), vel inadæquatam (2), vel assumit effectum ad probandam causam (3). Sed nulla reperiri potest demonstratio, quæ ad præfatarum aliquam non referatur: nam in demonstratione *propter quid* ostenditur veritas per propriam, proximam, & adæquatam causam, & radicem; in demonstratione vero *quia* (4), veritas non ita ostenditur, sed vel per causam remotam, vel per causam inadæquatam, vel per effectus. Nihil autem est medium inter ostendere & non ostendere veritatem per propriam, proximam, & adæquatam causam, cum contradictorie opponantur. Recta est igitur divisio demonstrationis in demonstrationem *propter quid*, & demonstrationem *quia*.

1123 Ad primum dicimus, utramque demonstrationem *à priori*, & *à posteriori*, sive per causam, & effectum reduci ad demonstrationes *propter quid*, & *quia*. Et quidem si demonstratio

---

adæquatam rei, esse id, *propter quod* res constituitur, ostendereque *quid* res sit. At demonstratio per causam remotam, & inadæquatam, vel per effectus, non ostendit *quid* res sit, sed tantum *quia* res est.

(1) Qui probaret, Deum esse æternum, quia est à seipso, demonstraret quidem ejus æternitatem, sed per rationem remotam. Ita Sanctus Augustinus in Psal. 134. *Est*, inquit, *& vere est, & eo ipso quod vere est, sine initio, & sine termino est.*

(2) Exemplum ponit S. Thomas 1. Poster. lect. 24. *Si quis velit probare, quod non respirat paries, quia non est animal, non demonstrat propter quid, nec accipit causam* (scilicet adæquatam), *quia si non esse animal, esset causa non respirandi, oporteret, quod esse animal esset causa respirandi: quod falsum est; multa enim sunt animalia quæ non respirant, sicut pisces. Oportet enim, si negatio est causa negationis, quod affirmatio sit causa affirmationis &c.*

(3) Idem S. Thomas ib. lect. 23. *Demonstratio quia*, inquit, *est per effectum, ut si quis concludat, quod planetæ sunt prope propter hoc quod non scintillant. Non enim non scintillare est causa, quod planetæ sint prope, sed econverso; propter hoc enim non scintillant planetæ, quia prope sunt. Stellæ enim fixæ scintillant, quia visus in comprehensione earum calligatur propter earum distantiam.*

(4) Usus demonstrationum *quia* frequentissimus est, quippe propriæ rerum causæ, & rationes sæpissime sunt nobis ignotæ. Hinc S. Thomas 1. Poster lect. 4. scribit: *Quandoque id quod est magis notum quoad nos, est etiam magis notum simpliciter, & secundum naturam, sicut accidit in Mathematicis... Quandoque id quod est notius quoad nos, non est notius simpliciter, sicut accidit in naturalibus, in quibus essentiæ, & virtutes rerum, propter hoc quod sunt in materia, sunt occultæ,*

à priori (1) sit per causam propriam, proximam, & adæqua-

sed innotescunt nobis per ea quæ exterius de ipsis apparent. Unde in talibus fiunt demonstrationes ut plurimum per effectus, qui sunt notiores quoad nos, & non simpliciter.

(1) Genuensis Log. Italicæ l. 4. c. 2. §. 11. aliquas demonstrationes, ut ipse putat, congerit, quo exempla ponat demonstrationis *à priori*, & inter eas Soritem quendam, qui est ejusmodi: *Ubi jusjurandum adhibetur ad dirimendas controversias, ut decretum sit certum, fieri non potest, quominus perjuria multiplicentur: ubi perjuria multiplicantur, gens assuescit contemnere Divinitatem: ubi Divinitas contemnitur, & lex conscientiæ opprimitur, ibi & delicta, & pravi mores opprimendo virtutem, quæ sola homini in societate viventi fulcrum est, infelicitatem creant corpori politico; igitur ubi jusjurandum est judex unicus litium, regnare non potest neque civilis, neque naturalis felicitas.* Apodicticum sane argumentum tanto Philosopho dignum! Peto 1. an Genuensis crediderit, universos homines vel saltem plurimos ita esse comparatos, ut si jurejurando se ligent ad finiendas controversias, fieri non possit, quin pejerent? At si ita est, cur ipse ibidem pro axiomate habet, *causas liberas sæpe agere cum ea virium portione, quam malunt*? Nonne homines illi jurejurando obstricti, causæ liberæ sunt? Quid ergo necessitatis habet multiplicatio perjuriorum cum jurejurando adhibito ad lites finiendas? Quod si nulla est talis necessitas, en corruit tota putatitia demonstratio Genuensis; nam demonstratio debet esse ex principiis necessariis, & omnino certis, ut ipsemet statuit ib. §. 6. ubi docet: *Si principium sit certum certitudine morali, & applicatio certa; consequutio erit fides.* Cum ergo multiplicatio illa perjuriorum possit maximum esse certitudinis moralis, consequutio positi Sorites erit maximum fides. Abit igitur in auras illius demonstratio: 2. Cum ait, fieri non posse, quin perjuria multiplicentur, ubi jusjurandum dirimit lites, jam ponit, apud homines plerosque Divinitatem in nullo esse pretio, nec quempiam sibi reputare illius contemptum, ne causa cadat: quæ sane est acerbissima in homines pios injuria; nam quod plurimi inter homines pii sint, & Deum summo studio revereantur, nemo negabit. De impiis, qui in malitia ita sunt obfirmati, ut Deum perjuriis contemnere audeant, ne litem perdant, sic habeto, ipsos jam esse paratos ad Deum contemnendum; quare sive controversiæ dirimantur jurejurando, sive aliter, Divinitas contemptui erit, & delicta, & pravi mores virtutem oppriment, corporique politico infecilitatem creabunt. Nihil igitur influet jurisjurandi religio. Genuensis igitur non causam pro causa habet perturbatæ Politicæ, & naturalis felicitatis: 3. Si felicitas publica nutat, proterea quod jurejurando lites dirimuntur, nutare quoque debuisset politica felicitas Romani Imperii, quorum cives aram tenentes jurabant: nutare debuisset felicitas cum Græcorum, tum Barbarorum, de quibus Halicarnas-

tam, reducitur ad demonstrationem *propter quid*; si autem sit per causam remotam, & inadæquatam reducitur ad demonstrationem *quia*. Quare omnis quidem demonstratio *propter quid* est *à priori*, sed non econtra. Similiter demonstratio per effectus & proprietates reducitur ad demonstrationem *quia*; & propterea omnis demonstratio *à posteriori*, est demonstratio *quia*, sed non econtra.

1124 Ad secundum dicimus, demonstrationem *à signo*, reduci ad demonstrationem *quia*; signum enim probat rem esse, sed non ostendit, quid illa sit.

1125 Ad tertium dicendum, demonstrationem ad absurdum reduci ad demonstrationem *propter quid*, si deducat ad absurdum per causam proximam illius, si vero per causam remotam, vel per effectus, reducitur ad demonstrationem *quia*. Et similiter dicendum de demonstratione negativa; nam si affertur proxima ratio negandi, reducitur ad demonstrationem *propter quid*; si affertur ratio remota, reducitur ad demonstrationem *quia* (1).

---

sensis: *Ultima fides*, ait, *inter homines cum Græcos, tum Barbaros, quam nulla delebit ætas, est ea quæ per jurata pacta sponsores adhibet Deos.* Quare & ipse Grotius (quem Genuensis tanti facit, ut non modo Magistrum, sed & Parentem suum appellet) l. 2. de jure belli, & pacis c. 13. §. 13. *Effectus*, inquit, *juramenti præcipuus est præcidere controversias*: 4. Quod maximum est, Genuensis assertio directe opponitur Apostoli documentis Hebr. 6. v. 16. *Homines, enim*, ait, *per majorem sui jurant: & omnis controversiæ eorum finis est juramentum.* Id autem non solum non reprobat Apostolus, sed statim subdit, Deum quoque, ut nos promissionum suarum certos redderet, interposuisse jusjurandum. Ib. v. 17. *In quo abundantius volens Deus ostenderet pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum.* Quod igitur probavit Apostolus, ut medium aptissimum ad finiendas controversias, id Genuensis reprobavit tamquam inducens ad perjuria, & ad evertendam politici corporis civilem, & naturalem felicitatem. Non me latet, quo spectabat ejus Sorites. Sed præterquam quod non demonstratio, sed sophisma est Apostolicæ doctrinæ palam opponitur.

(1) Ex dictis sequitur 1. demonstrationem *propter quid* potiorem esse demonstratione *quia*; cum enim illa probet per propriam, proximam, & adæquatam causam, non solum convincit mentem, sed & suadet, & quietat: 2. sequitur, demonstrationem universalem potiorem esse particulari: nam particularis propria ratio non concluditur, nisi per universale. »Si quæramus, *inquit S. Thomas* 1. *Poster. lect.* 38. »de isto triangulo particulari, quare anguli ejus extrinseci, sunt æqua»les quatuor rectis? Respondebitur, quod hoc contingit huic triangulo

ARTICULUS III.

Utrum demonstratio procedere debeat ex principiis primis, & immediatis.

1126 Primum, & immediatum principium illud est, quo non est alterum prius: nam omnis demonstratio fit ex prioribus; ut dictum est (1). Cum igitur aliqua propositio est mediata, hoc est, habens medium, per quod demonstretur oportet, ea ex quibus demonstratur, priora esse (2). Idem est ergo quærere, an demonstratio procedere debeat ex primis, & immediatis principiis, ac quærere, an principia, ex quibus procedit demonstratio, debeant esse indemonstrabilia (3).

» quia est isosceles. Isosceles autem est talis, quia est triangulus. Trian-» gulus autem est talis, quia est figura rectilinea talis. Si amplius non » possit procedi, tunc maxime scimus. Hoc autem est, quia pervenitur » ad universale. Ergo universalis demonstratio potior est particulari:" 8. sequitur, demonstrationem affirmativam potiorem esse negativa; quippe in negativa potest tantum ostendi quid non sit vera, & propria ratio. Et ob eamdem rationem demonstratio ostensiva potior est demonstratione ad absurdum. Vide quæ diximus §. 1059. not. S. Thomas & §. 1063. not. Hinc.

(1) §. 1111. (2) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 5.

(3) Genuensis Art. Log. Crit. l. 5. c. 4. docet axiomata intelligi *simplici intuitione*; operationem vero qua ope *medii* duæ ideæ inter se conferuntur, *ratiocinationem* appellat. Sed in eo quod statuit, axiomata intelligi simplici intuitione, non omnino verum habet: nam simplex intuitio potest esse absque ulla affirmatione, vel negatione, veluti cum rem præsentem intuemur, quin de illa aliquid enunciemus: axiomata autem propositiones sunt, adeoque enunciationem includunt. Non igitur est omnino eadem simplex intuitio, ac intelligentia, qua prima axiomata cognoscuntur. Itaque sicut, ea quæ ope *medii* inter se, & cum medio conferuntur, pertinent ad *ratiocinationem*, & si hæc procedat ex principiis certis, & evidentibus, pertinent ad scientiam, quæ ex demonstratione consurgit; ita axiomata, quæ absque ulla ratiocinatione cognoscuntur, pertinent ab habitum intelligentiæ. Quod hac ratione egregie probat S. Thomas 2. Poster. lect. 20. » Circa intellectum, » *inquit*, sunt duo genera habituum, habentium se aliqualiter ad verum. » Quidam enim semper sunt veri, alii vero interdum recipiunt falsi-» tatem, ut patet de opinione, & ratiocinatione, quæ potest esse ve-» ri, & falsi. Sunt etiam & quidam habitus erronei se habentes ad » falsum. Quia vero principia sunt maxime vera, manifestum est, » quod non pertinent ad habitus. qui semper sunt falsi, neque etiam

1127 Jam vero immediatum principium dividitur ab Aristotele (1) in *positionem, & dignitatem.* Dignitates sunt axiomata, seu communes animi conceptiones, quæ statim cognoscuntur perceptis terminis, ut *Quodlibet est, vel non est* (2). Positionem autem dividit Aristoteles in suppositiones, sive Postulata, ut est illud *à quovis puncto ad quodvis punctum rectam lineam ducere*, quod quidem Geometra supponit, non tamen demonstrat (3); & *definitiones*, quæ explicant quid sint res, de quibus est agendum (4). Tria igitur sunt principia immediata, *Axiomata* (5), *Postulata*, sive *Suppositiones, & Definitiones.* His omnis demonstratio nititur. Quare in scientiis mathematicis, quæ inter demonstrativas primum obtinent locum, initio Definitiones, Postulata, & Axiomata ponuntur, ex quibus deinde conficiuntur demonstrationes.

1128 Videtur autem non omnis demonstratio debere procedere ex primis, & immediatis principiis : I. quidem quia cum prima, & immediata principia sint communia; axiomata enim sunt communes animi conceptiones; si omnis demonstratio ex illis procederet, omnis demonstratio fieret ex principiis communibus : quod esse non potest, ut S. Thomas osten-

---

» ad habitus qui interdum recipiunt falsitatem, sed solum ad habitus » qui semper sunt veri. Hujusmodi autem sunt scientia, & intellec- » tus..... Non autem potest esse scientia ipsorum principiorum, quia » omnis scientia fit ex aliqua ratiocinatione, scilicet, demonstrativa, » cujus sunt principia illa, de quibus loquimur. Quia igitur nihil po- » test esse verius, quam scientia, & intellectus, nam sapientia in his » intelligitur; consequens est ex consideratione præmissorum, quod » principiorum proprie sit intellectus. "

(1) 1. Poster. c. 2.

(2) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 5.

(3) Idem ib. *Sunt*, inquit, *quædam propositiones, quæ non possunt probari, nisi per principium alterius scientiæ: & ideo oportet, quod in illa scientia supponantur, licet probentur per principia alterius scientiæ. Sicut à puncto ad punctum est rectam lineam ducere, supponit Geometra, & probat Naturalis, ostendens, quod inter quælibet duo puncta, sit linea recta media.*

(4) S. Thom. loc. cit. » Licet definitio in se non sit propositio in » actu, est tamen in virtute; quia cognita definitione, apparet defini- » tionem de subjecto vere prædicari. "

(5) S. Thom. ib. lect. 19. » Proprium est horum principiorum, quod » non solum necesse est, ea per se vera esse; sed etiam necesse est vi- » deri, quod sint per se nota. Nullus enim potest per se opinari con- » traria eorum. "

dit (1); nam demonstrationes sunt ut principia; proindeque si principia essent communia, & demonstrationes essent communes, atque adeo nulla esset propria demonstratio in quavis scientia.

1129 II. Demonstratio *quia*, procedit per causam remotam, vel per effectus, ut dictum est (2). Non igitur ex principiis immediatis.

1130 III. Ipsa demonstratio *propter quid* non semper est per causam proximam immediatam : nam in Geometria plures sunt propositiones, quæ demonstrantur non per axiomota, sed per alias propositiones jam demonstratas. Igitur non omnis demonstratio est ex primis, & immediatis principiis.

Propositio. *In quovis genere demonstrationis oportet procedere ex primis, & immediatis principiis, sive indemonstrabilibus in genere, in quo est demonstratio.*

1131 Prob. Prima, & immediata principia in quovis genere demonstrationis sunt Axiomata, Postulata, sive Suppositiones, & Definitiones, ut dictum est (3). Atqui Axiomata sunt omnino indemonstrabilia (4); sunt enim communes animi conceptiones; quæ statim notæ fiunt lumine intellectus ex ipsa perceptione terminorum. Suppositiones autem licet absolute demonstrari possint, sumuntur tamen quasi per se notæ, cum ex iis proceditur ad demonstrandum (5). Sic Geometra supponit, ne-

(1) Ib. lect. 17. ubi etiam ex hoc probat, non concludere argumentationem Brissonis, qui nitebatur demonstrare quadraturam circuli per principia communia hoc modo : » In quocumque genere est » invenire aliquid majus, vel minus alicui, in eodem est invenire » & illi æquale. In genere autem quadratorum est invenire aliquod quadratum minus circulo, quod scilicet describatur intra circulum, & » aliquod majus circulo, intra quod circulus describitur. Ergo est invenire aliquod quadratum circulo æquale. Hæc autem probatio est secundum commune; æquale enim, & magis, & minus excedunt genus » quadranguli, & circuli, &c. "

(2) §. 1122. (3) §. 1127.

(4) S. Thomas 1. Poster. lect. 19. » Communis, *inquit*, animi conceptio non est ad exterius rationem, quia non potest probari per aliquam argumentationem, sed est ad eam rationem quæ est in anima, » quia lumine naturali intellectus statim fit nota. "

(5) S. Thomas 1. Poster. lect. 18. » Principia, *ait*, in unoquoque

que demonstrat, à quovis puncto ad quodvis punctum duci posse rectam lineam. Denique definitiones, neque etiam demonstrantur, sed assumuntur ut per se notæ; neque enim Geometra demonstrat quid sit punctum, quid linea, &c. sed tantum illa definit (1). Igitur in quovis genere demonstrationis oportet procedere ex indemonstrabilibus in eo genere (2), in quo est demonstratio; hoc est, ex primis, & immediatis.

1132 Ad primum respondemus, non omnia prima, & immediata principia, esse communia; etsi enim axiomata sint simpliciter prima, & immediata, quia simpliciter indemonstrabilia; suppositiones tamen, & definitiones sunt etiam primæ, & immediatæ in eo genere, in quo est demonstratio, ut ostensum est (3). Addimus, in scientiis multoties assumi principia communia secundum analogiam, id est, secundum quod proportionem habent unicuique scientiæ (4).

» genere sunt illa, quæ cum sint vera, tamen non convenit ea demonstrare in illa scientia, in qua sunt principia. " Et ib. lect. 21. » Demonstrator non interrogat de præmissis, sed sumit quasi per se notas, vel per alia principia probat. Sed interrogat solum de conclusione; & cum demonstraverit, utitur ea, sicut alia propositione ad demonstrandum aliquam aliam conclusionem..... Non enim cujuslibet demonstrationis geometricæ ratio redditur ex primis Geometriæ principiis, sed interdum ex his, quæ per prima principia sunt conclusa. " Quare sicut axioma se habet ut primum & immediatum ad propositionem ex illo demonstratam; ita hæc propositio se habet ut prima, & immediata, ad propositionem, quæ ex illa demonstratur.

(1) Idem S. Thomas ib. lect. 18. » Arithmetica, *inquit*, supponit quid est par, & quid est impar, aut quid est numerus quadratus, aut cubus. Et Geometria supponit, quid est rationale in lineis. Dicitur enim rationalis linea, de qua possumus ratiocinari per lineam data. Hujusmodi autem est omnis linea commensurabilis lineæ datæ; quæ vero est incommensurabilis ei, vocatur irrationalis, & surda. Similiter & Geometria supponit, quid est reflexum, aut curvum &c. "

(2) Diximus *in eo genere*, quia *quædam principia*, ut advertit S. Thomas 1. Poster. lect. 6. *probatione indigent, ad hoc quod sint nota, & antequam probentur, non sunt magis nota conclusione. Sicut quod angulus exterior trianguli valeat duos æquales intrinsecos sibi oppositos, antequam probetur, ita ignotum est, sicut quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis.*

(3) §. Præc.

(4) S. Thomas 1. Poster. lect. 18. » Principia, *inquit*, communia

1133 Ad secundum dicimus, etiam in demonstratione *quia* procedi ex primis & immediatis; nam & in ipsa sumuntur ut per se nota causa remota, vel effectus, ideoque non demonstrantur sed accipiuntur ut indemonstrabilia.

1134 Ad tertium responsio patet ex dictis (1).

QUÆSTIO XXIX.

De effectu demonstrationis, scilicet, scientia.

1135 Cum scientia sit effectus demonstrationis: est enim cognitio certa, & evidens rei per causam; quæ quidem cognitio per demonstrationem acquiritur, ut dictum est (2); quapropter Aristoteles (3) ait: *Demonstrationem dico ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit*: ordo doctrinæ postulat, ut postquam egimus de demonstratione, disseramus de scientia. Qua in re 1. agemus de existentia scientiarum: 2 de earum acquisitione: 3. de earum diversitate: 4. de unius dignitate præ alia: 5. de scientiis, quæ sub aliis sunt, an veram habeant rationem scientiæ: 6. de modis scientias perficiendi.

ARTICULUS I.

Utrum sit apud nos ulla scientia.

1136 Quamquam huic articulo videatur satis fuisse factum supra, ubi egimus cum de existentia Philosophiæ (4), tum de existentia demonstrationis (5); nihilominus abs re non erit,

---

» accipiuntur in unaquaque scientia demonstrativa secundum analogiam, » id est, secundum quod sunt proportionata illi scientiæ..... Communia » principia sunt, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt » æqualia, & aliæ communes animi conceptiones..... Idem faciet Geo- » metria, si non accipiat præmissum principium commune in sua com- » munitate, sed solum in magnitudinibus, & Arithmetica solum in » numeris. Ita enim poterit concludere Geometria, si dicat, si ab » æqualibus magnitudinibus æquales auferas magnitudines, quæ rema- » nent sunt æquales; sicut si diceret, si ab æqualibus æqualia demas, » quæ remanent, sunt æqualia. Et similiter dicendum est de nume- » ris. "

(1) §. 1131. cum not. S. Thomas. (2) §. 1104.
(3) 1. Poster. c. 2. (4) §. 5. sqq. (5) §. 1111.

illum diligentius investigare. Itaque ut Scepticis nullæ prorsus erant scientiæ (1); ita Dogmaticis nihil erat, de quo scientia haberi non posset (2). Dogmaticorum deliria prætermittimus : nam si ut Aristoteles ait (3): *De nonnullis, atque de omnibus eniti quidpiam dicere nihilque prætermittere, aut insignis stultitiæ forsitan, aut valde parati animi videbitur esse* (4); quanto majoris stultitiæ erit, jactare de omnibus scientiam? Itaque cum Scepticis tantum disputabimus.

1137 Videtur autem nulla dari scientia : I. quia res, aut sunt æternæ, aut factæ, aut possibiles. De æternis scientia haberi non potest, quippe ignoramus naturam æternitatis. Res factæ, sunt motui, adeoque variationi obnoxiæ : scientiæ

---

(1) Vide §. 44. cum not. Academici.

(2) S. Thomas 2. Poster. lect. 7. » Videtur quibusdam, quod nul-» lius rei sit scientia. Quibusdam autem videtur quod sit scientia, & » quod omnium possit haberi scientia per demonstrationem. Neutrum » autem istorum est verum. " (3) 2. de Cœlo c. 5.

(4) Super quæ verba S. Thomas ib. lect. 7. » Quod aliquis, *inquit*, » de quibusdam difficilibus, & occultis velit attente enunciare, assig-» nando causam eorum ; quod de omnibus velit inquirere, & nihil » prætermittere, forte videbitur esse signum vel multæ stultitiæ, ex » qua provenit, quod nesciat discernere inter facilia, & difficilia; aut » est signum magnæ præsumptionis, ex qua contingit, quod homo non » cognoscit mensuram facilitatis circa inquisitionem veritatis. " Hinc autem constat, quam immerito, & prorsus injuria Peripatetici cum Dogmaticis connumerentur à plerisque junioribus Philosophis, qui potius Dogmaticis accensendi essent, propterea quod nullam ferme rem utut difficilis inquisitionis, prætermittere volunt, sed de omnibus enituntur quidpiam dicere, imo putant se ex hypothesibus, quas fingunt, omnia facillime explicare posse. Nos autem Angelici Doctoris documentis instructi, nec improbare universim audemus eorum conatus. Pergit enim S. Doctor ib. » Et quamvis quidam sint super hoc increpandi, non tamen justum est, quod omnes similiter reprehendantur, » sed ad duo oportet attendere. Primo quidem ad causam, quæ movet hominem ad loquendum de talibus : utrum, scilicet, hoc faciat ex » amore virtutis, an ad ostentationem sapientiæ. Secundo oportet considerare, quomodo se habeat aliquis in credendo ea quæ asserit, » utrum, scilicet, habeat de eis debilem certitudinem secundum communem hominum modum, aut etiam si firmius, & certius ea » cognoscat, scilicet, supra communem modum hominum. Quando igitur aliquis potest attingere ad hoc, quod cognoscat necessarias causas » certius quam secundum communem hominum modum, tunc oportet reddere gratias his, qui tales necessitates inveniunt, magis quam » eos increpare. "

autem debent esse de immutabilibus. Quod si res factas ignoramus, multo magis quæ fieri possunt.

1138 II. Res non cognoscimus, nisi per sensus : sensus autem nonnisi externas modificationes ostendunt. Ergo de internis rerum naturis nihil certo scire possumus.

1139 III. Mens ipsa perpetuo mutatur. Diversæ etiam sunt ideæ in hominibus. Atque hinc est, ut quod uni videtur certum, alteri videatur incertum : quæ causa fuit tot discrepantium inter Philosophos sententiarum. Igitur nullæ omnino sunt scientiæ.

Propositio. *Multa sunt omnino certa, & explorata, de quibus revera dantur scientiæ.*

1140 I. Ratio. Scientia, ut supra diximus (1), est cognitio certa, & evidens rei per causam, seu per demonstrationem acquisita. Ostensum est autem (2) dari veram demonstrationem. Vera igitur datur scientia.

1141 II. Ratio. Ad evertendas scientias, vel certa & evidens ratio Scepticis præsto est, vel nulla. Si nulla, imprudenter agunt, neque proinde audiendi sunt. Si aliqua, ergo saltem de illa erit scientia. (3).

1142 III. Ratio. Qui scientias negant, vel sciunt quid sit scire, & nescire, vel id etiam nesciunt. Si sciunt, ergo saltem hoc sciunt. Si nesciunt, quomodo scientias negant, cum nesciant se scire, aut nescire (4)?

1143 IV. Ratio. Scientia est de certis, & evidentibus illatis ex principiis certis, & evidentibus. Sed multa sunt ejusmodi, ut præsertim in Mathematicis constat (5). Igitur da-

(1) §. 1135. (2) §. 1111.

(3) Vide S. August. l. 15. de Trin. c. 12. & Clem. Alex. Strom. 8. ubi fuse hoc argumentum persequitur.

(4) Lucretius l. 4.

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit
An sciri possit, cum se nil scire fatetur.
Hunc igitur contra mittam contendere causam,
Qui capite ipse suo insistit vestigia retro.
Et tamen hunc quoque ubi concedam scire ; at idipsum
Quæro ; cum in rebus verum nil viderit ante :
Unde sciat quid scire, & nescire vicissim?

(5) Sceptici recentiores, putant, in omnibus ratiocinationibus dog-

tur scientia. Ergo, ut Cicero habet (1) : *Qui negant quidquam posse comprehendi, eripiunt instrumenta, & ornamenta vitæ, vel potius etiam ipsam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo : ut difficile sit de temeritate eorum perinde ut causa postulat, dicere.*

1144 Ad primum negamus, à nobis non cognosci naturam æternitatis ; quod enim nec initium, nec finem habet, æternum est ; igitur quod semper fuit, est, & erit, dicitur æternum. Concedimus autem, res factas variationi esse obnoxias, quantum ad existentiam pertinet ; at vero negamus earum essentias mutari ; hæ siquidem sunt immutabiles, & æternæ, ut supra ostensum est (2). Atque hinc sequitur, aliqua possibilia à nobis cognosci, cum eorum essentiæ cognoscantur.

1145 Ad secundum dicimus, ex externis accidentibus & proprietatibus, quæ per sensus diversa in diversis apparent, mentem colligere diversas rerum essentias, lumine, quo à Deo instructa est (3).

1146 Ad tertium respondemus, actus quidem mentis mutari, veritatem vero semper eamdem esse in iis rebus in quibus perspicua est. Et licet ideæ hominum diversæ sint in rebus obscuris,

---

maticis suspendendum esse judicium, propterea quod, cum omnis demonstratio in alia præsupposita fundetur, nisi judicium suspenderetur, oporteret abire in infinitum. Sed oppido falluntur ; non enim omnis demonstratio in alia demonstratione fundatur, sed devenitur tandem ad principia per se nota, quorum veritas cognoscitur lumine naturali intellectus, quin necesse sit rationem afferre, quod vera sint. Quis enim non statim evidenter cognoscit veritatem horum principiorum : *Quodlibet est, vel non est* : *Totum est majus sua parte* : *Effectus sine causa esse non potest* &c. ? Clemens Alex. Strom. 8. » In omnibus, *inquit*, » quæ dicuntur inveniri, posita est demonstratio, quæ quidem est ora» tio, quæ probat aliud ex aliis. Ea autem ex quibus probatur id quod » quæritur, oportet, eum qui discit, confiteri, & cognoscere. Horum » autem omnium est principium id quod est evidens sensu, & intelli» gentia. Atque prima quidem demonstratio constat ex his omnibus. » Quæ autem ex his, quæ per hanc prius fuere demonstrata, rursus ali» quid aliud concludit, & fit non minus credibilis quam prior : non » potest tamen prima quoque nominari, quoniam neque ex primis con» cluditur propositionibus. " Demonstrationes itaque sunt veluti catena quædam multis annulis constans, quorum primus annulus est primum principium per se notum, & indemonstrabile. Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 36. & ib. lect. 7, ubi hoc argumentum quod Sceptici recentiores adhibent, ostendit adhibitum fuisse ab antiquis Scepticis.

(1) L. 4. Acad. (2) §. 461. (3) Vide §. 582.

in perspicuis tamen mirifice conveniunt. Itaque in obscuris evenire potest, ut quod uni videtur certum, alteri videatur incertum; in perspicuis autem idem certum, exploratumque omnibus est. Quod si qui negant, voce negare possunt, interiori ratione non possunt (1).

ARTICULUS II.

Utrum scientiæ sint nobis inditæ.

1147 Cum Plato docuerit, humanas animas extitisse ante corpora, docuit etiam, scientias, fuisse eisdem inditas, antequam in corpora laberentur; corporum vero contagione scientias illas fuisse veluti sopitas, excitari autem ministerio sensuum, adeoque scientias de novo proprie non acquiri, nostrumque scire nihil aliud esse, quam reminisci (2).

1148 Videtur autem ita dicendum I. quia Plato in *Mennone* inducit quemdam imperitum Geometriæ, qui ordine interrogatus de propositionibus geometricis, incipiendo à principiis per se notis, accurate respondit, ut supra diximus (3). Ille ergo notitiam habuit Geometriæ, antequam de ipsa instrueretur; nam alioqui quomodo potuisset accurate respondere?

1149 II. Si scientiæ de novo acquirerentur, aut ille qui acquireret, cognosceret res scitas, aut secus: siquidem res illas cognosceret, jam illas sciret, nec scientiam illarum de novo acquireret. Si vero non cognosceret, jam illas ignoraret, adeoque scientiam illarum non haberet; scientia enim non est de rebus ignotis.

---

(1) S. Thomas 1. Poster. lect. 19. » Communis animi conceptio non » est ad exterius rationem, quia non potest probari per aliquam argu» mentationem, sed est ad eam rationem, quæ est in anima, quia lu» mine naturali intellectus statim fit nota..... Exteriori ratione potest » instari vere, vel apparenter: interiori autem ratione non est possibi» le semper instari. Et hoc ideo quia nihil est adeo verum, quin » voce negari possit. Nam & hoc principium notissimum, quod non » contingat idem esse, & non esse, quidam ore negaverunt. Quædam » vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non pos» sunt, & ideo in interiori ratione eis obviari non potest, sed solum » exteriori, quæ est per vocem. »

(2) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 3. (3) §. 149.

Propositio. I. *Scientiæ non sunt nobis inditæ*; II. *Sed acquiruntur sive per inventionem, sive per disciplinam.*

1150 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Si animæ fuissent ab initio scientiæ inditæ, non potuisset ita oblivisci rerum scitarum, ut nihil omnino earum recordaretur: siquidem nemo prorsus obliviscitur eorum, quæ naturaliter cognoscit. Atqui anima nullam omnino memoriam retinet hujusmodi scientiæ ab initio habitæ (2). Nulla igitur fuit ipsi indita.

1151 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (3). Scientia acquiri potest, vel à principio interiori, vel à principio exteriori (4); à principio quidem interiori, cum quis principia universalia, quæ naturali intellectus lumine cognoscit, aplicat aliquibus particularibus, quorum memoriam, & experimentum per sensus accipit; á principio autem exteriori, cum quis ab alio docetur (5). Atqui prior acquirendi modus est per inventionem; posterior per disci-

---

(1) 1. p. q. 84. a. 5.

(2) Vide S. Augustin. l. 12. de Trin. c. 15. » Si vere, *inquit*, illa » recordarentur, quæ in aliis antea positi corporibus viderant, multis ac » pene omnibus id contingeret. "

(3) 1. p. q. 117. a. 1.

(4) S. Thomas q. 11. de ver. a. 1. *Sicut aliquis dupliciter sanatur, uno modo per operationem naturæ tantum, alio modo à natura cum adminiculo medicinæ; ita etiam duplex est modus acquirendi scientiam, unus, quando ratio naturalis per seipsam devenit in cognitionem ignotorum, & hic modus dicitur inventio; alius, quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, & hic modus dicitur disciplina.... Sicut ergo medicus dicitur causare sanitatem in infirmo, natura operante; ita etiam homo dicitur causare scientiam in alio operatione rationis naturalis illius, & hoc est docere.*

(5) Id autem fit duobus modis, ut observat S. Thomas 1. p. q. 117. a. 1. *Primo quidem proponendo (discipulo) aliqua auxilia, vel instrumenta, quibus intellectus ejus utatur ad scientiam acquirendam, puta, cum proponit ei aliquas propositiones minus universales, quas tamen ex præcognitis discipulus dijudicare potest; vel cum proponit ei aliqua sensibilia exempla, vel similia, vel opposita, vel aliqua hujusmodi, ex quibus intellectus addiscentis manuducitur in cognitionem veritatis ignotæ. Alio nodo cum confortat intellectum addiscentis... in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ac conclusiones, qui forte per seipsum non haberet tantam virtutem collativam, ut ex principiis posset conclusiones deducere.*

plinam. Scientiæ igitur vel per inventionem, vel per disciplinam acquiruntur (1).

1152 Ad primum respondemus, in discipulo qui docetur, præcedere quædam semina scientiarum, id est, principia per se nota ex quibus, præeunte magistro, & ostendente ordinem eorum ad conclusiones, discipulus conclusiones deducere potest demonstrando. Quare conclusiones illæ non erant quidem simpliciter notæ discipulo, antequam demonstrarentur, erant autem notæ secundum quod virtute continebantur in principiis (2). Quare ille imperitus Geometriæ cognoscebat quidem lumine intellectus principia per se nota Geometriæ, quæ ipsi proponebantur : conclusiones vero geometricas simpliciter non cognoscebat, sed tantum ut virtute

---

(1) Hic autem nota 1. ex S. Thoma 1. 2. q. 51. a. 3. » habitum scien» tiæ posse causari ex uno rationis actu quantum ad intellectum possi» bilem ; sed quantum ad inferiores vires aprehensivas necessarium » est eosdem actus pluries reiterari, ut aliquid firmiter memoriæ im» primatur. Unde.... meditatio confirmat memoriam. " Meditatio igitur necessaria est ad acquirendas scientias. Quare ii, qui meditationi non sunt assueti, nec apti sunt ad scientias comparandas.

Nota 2. ex eodem S. Thoma ib q. 54. a. 4. ad 3. » quod ille qui in » aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam conclusionis » unius, habet quidem habitum, sed imperfecte; cum vero acquirit » per aliam demonstrationem scientiam conclusionis alterius, non ag» gregatur in eo alius habitus, sed habitus qui prius inerat, fit perfectior, » utpote ad plura se extendens ; eo quod conclusiones, & demonstratio» nes unius scientiæ ordinatæ sunt, & una derivatur ex alia.

Nota 3. multos impediri à scientiis acquirendis *propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum.* Atque hi possunt quidem eniti ad acquirendas scientias imperfecte ; numquam tamen in scientiis proficient. *Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris ; oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant.* Quare velle omnes esse philosophos, dementia est. *Quidam vero impediuntur pigritia* (S. Thomas 1. con. Gen. 4.) Atque hi urgendi sunt, ut studio vacent.

Nota 4. ex eodem S. Thom. 7. Phys. lect. 6. juvenes impediri ab acquisitione, & usu scientiarum *tum secundum corpus, quia natura tota est in mutatione propter augmentum : tum etiam secundum partem sensitivam, quia in eis passiones dominantur.* Priori impedimento occurritur labore, ac studio. Posteriori, exercitio virtutum. *Et inde est,* subdit S. Thomas, *quod exercitium virtutum moralium, per quas hujusmodi passiones refrenantur, multum valet ad scientiam acquirendam.*

(2) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 3.

contentas in principiis, ex quibus facile poterat illas deducere, cum ordine interrogaretur (1). Et per hæc patet responsio ad secundum.

ARTICULUS III.

Utrum unitas, & diversitas scientiarum accipienda sit ex principiis.

1153 Videtur negandum I. quia S. Thomas (2) accipit unitatem, vel diversitatem scientiarum ab eadem, vel diversa abstractione à materia.

1154 II. Si unitas, & diversitas scientiarum acciperentur ex principiis, sequeretur, pertinere ad eamdem scientiam quæcumque pertinent ad principia communia alicujus rei; proindeque cum res corporeæ, & incorporeæ pertineant ad eadem principia substantiæ, pertinerent quoque ad eamdem scientiam.

1155 III. In eadem scientia inveniuntur diversa principia; sunt enim diversa media, & definitiones. Igitur ex unitate, & diversitate principiorum accipi nequit unitas, & diversitas scientiarum.

Propositio. I. *Ad unitatem specificam scientiæ requiritur unitas subjecti, & principiorum.* II. *Ad diversitatem specificam scientiarum sufficit principiorum diversitas.*

1156 Ita S. Thomas (3). Prob. 1. pars. Processus scientiæ cujuslibet, est quasi quidam motus rationis. Sed cujuslibet motus unitas, ex termino principaliter consideratur. Ergo oportet, ut unitas scientiæ consideretur ex fine, sive ex termino scientiæ. Est autem cujuslibet scientiæ finis, sive terminus, subjectum circa quod est scientia, quia in speculativis scientiis nihil aliud quæritur, quam cognitio subjecti. In practicis autem scientiis intenditur quasi finis constructio ipsius subjecti. Sicut in Geometria intenditur quasi finis cognitio magnitudinis, quæ est subjectum Geometriæ. In scientia autem ædificativa intenditur quasi finis constructio domus, quæ est hujusmodi artis subjectum. Cujuslibet ergo scientiæ unitas secundum unitatem subjecti est attendenda (4).

(1) Vide S. Aug. l. 12. de Trin. c. 15.
(2) in Proem. l. de sensu, & sensato.
(3) 1. Poster lect. 41.
(4) Hinc S. Thomas infert loc. cit. unam scientiam esse altera com-

1157 Subjectum autem scientiæ est idem, si principia sint eadem : nam *materialis diversitas objecti non diversificat habitum, sed solum formalis. Formalis* vero diversitas non est, cum principia sunt eadem ; siquidem objectum *formale* dicitur, quatenus es *scibile*, seu quatenus consideratur in scientia : *scibile* autem est per principia, ut supra diximus (1). Ubi ergo principia sunt eadem, ibi est idem subjectum *formale* scientiæ. Unitas (2) ergo specifica scientiæ accipitur ex unitate subjecti,& principiorum (3).

1158 Prob. 2. p. Si principia diversa sunt, etiamsi subjectum materiale sit idem, jam ejus consideratio pertinet ad diversam speciem scibilium. Pertinet ergo ad diversas specie scientias (4). Ut

---

muniorem in ratione subjecti. » Sicut unius generis subjecti unitas est » communior, quam alterius, ut puta entis, sive substantiæ quam cor- » poris mobilis, ita una scientia est communior, quam alia. Sicut » Metaphysica, quæ est de ente, sive de substantia, est communior, » quam Physica, quæ est de corpore mobili. »

(1) §. 1111.

(2) Loquimur de unitate specifica scientiarum, quæ dessumitur à subjecto scibili, sive ab objecto *formali* ; nam scientia est una numero à subjecto in quo est, sive ab intellectu scientis. Vide S. Thom. 1. p. q. 117. a. 1.

(3) Idem S.Thomas 1. Poster. lect. 41. *Materialis diversitas objecti non diversificat habitum, sed solum formalis. Cum ergo scibile sit proprium objectum scientiæ, non diversificabuntur scientiæ secundum diversitatem materialem scibilium, sed secundum diversitatem eorum formalem. Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur ; ita formalis ratio scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diversa scibilia per suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, quia non erunt jam diversa, in quantum sunt scibilia. Sunt enim per sua principia scibilia. Sicut patet, quod voces humanæ multum differunt secundum suam naturam à sonis inanimatorum corporum : sed quia secundum eadem principia attenditur consonantia in vocibus humanis, & sonis inanimatorum corporum, eadem est scientia musicæ, quæ de utrisque considerat.*

(4) Pergit S. Thomas ib. » Si vero aliqua sint eadem secundum na- » turam, & tamen per diversa principia considerentur, manifestum » est, quod ad diversas scientias pertinent ; sicut corpus mathemati- » cum non est separatum subjecto à corpore naturali ; quia tamen cor- » pus mathematicum cognoscitur per principia quantitatis, corpus au- » tem naturale per principia motus, non est eadem scientia Geome- » triæ, & Naturalis. Patet ergo, quod ad diversificandum scientias » sufficit diversitas principiorum, quæ comitatur diversitatem generis sci- » bilis. Ad hoc autem quod sit una scientia simpliciter, utrumque

igitur scientiæ diversæ sint specie, sufficit diversitas principiorum. Et sane cum scientia in demonstratione consistat; acquiritur enim per demonstrationem, ut dictum est (1) demonstratio autem pendeat ex principiis, ut supra ostendimus (2): proinde si principia diversa sunt, & demonstrationes diversæ erunt, adeoque scientiæ specie diversæ.

1159 Ad primum respondemus, Angelicum Doctorem sibi non esse contrarium; cum enim unitatem, & diversitatem scientiarum ab abstractione (3) repetit, loquitur de unitate, vel diversitate ge-

---

» requiritur, & unitas subjecti, & principiorum." Si quis autem quæ» rat, unde desumatur unitas, vel diversitas principiorum, respondet S. Thomas ib. » Secunda principia virtutem sortiuntur à primis. Unde » requiritur diversitas primorum principiorum ad diversitatem scien» tiarum. Quod quidem non esset, si vel diversorum principia ex eis» dem principiis fluant, sicut principia trianguli, & quadrati deri» vantur ex principiis figuræ; vel principia unius deriventur ex prin» cipiis alterius, sicut principia isoscelis dependent à principiis trian» guli. Nec tamen intelligendum est, quod suficiat ad unitatem scien» tiæ unitas principiorum primorum simpliciter, sed unitas principio» rum primorum in aliquo genere scibili." Unitas ergo principiorum desumitur ex eo, quod unum alteri subordinatur usque ad unum primum, ita ut unum sit ex altero, & alterum ex tertio, & ita porro, donec perveniatur ad primum illius scientiæ, quæ est definitio objecti, Si autem unum ex altero non profluat, tunc sunt diversa principia.

(1) §. 1135. (2) 1127.

(3) Etsi unitas, & diversitas tam generica, quam specifica scientiarum accipiatur ex objecto formali, non tamen eadem ratione; quandoquidem generica in scientiis theoreticis sumitur ex diversitate abstractionis; seu prout objectum est magis vel minus à materia remotum, sive magis, vel minus universale; ita enim est magis, vel minus necessarium, adeoque scientiæ sunt magis vel minus certæ. Major vero vel minor scientiarum necessitas, & certitudo pertinet ad rationem genericam scientiæ, quæ per demonstrationem acquiritur. Materia autem, à qua fit abstractio, considerari potest 1. ut *singularis*, & individua, ut hoc corpus. 2. *in communi*, ut corpus in genere. 3. ut *sensibilis*, hoc est, affecta qualitatibus sensibilibus, cujusmodi sunt calor, frigus &c. 4. ut *intelligibilis*, videlicet, substantia quæ remotis qualitatibus sensibilibus, remanet tantum intelligibilis. Vide S. Thom. 1. p. q. 85. a. 1. Itaque abstractio fieri potest 1. à materia *individua*, non tamen à materia sensibili in *communi*; & hæc competit Physicæ, quæ non hoc, vel illud corpus mobile, sed corpus mobile in genere considerat. 2. abstrahendo à materia sensibili etiam *communi*, non autem à materia *intelligibili*; & hæc propria est Mathematicæ, quæ considerat quantitatem abstractam quidem ab omni qualitate sensibili, non autem à substantia; cum

nerica (1); cum vero utramque repetit à principiis, loquitur de unitate, & diversitate specifica.

1160 Ad secundum neg. sequela; nam ut animadvertimus (2) cum S. Thoma, ad unitatem scientiæ non sufficit unitas primorum principiorum simpliciter, sed requiritur unitas principiorum in aliquo genere scibili. Substantiæ autem spirituales separatæ in nullo genere scibili convenire possunt quoad unitatem principiorum cum substantiis corporeis; quippe de illis nihil demonstrari potest *à priori*, sed tantummodo à posteriori (3). Quare non pertinent ad eadem principia scibilia substantiæ.

---

enim quantitas sit accidens, definiri non potest, nisi per ordinem ad substantiam. 3. abstrahendo ab omni omnino materia; & hæc quidem abstractio si fiat positive, pertinet ad Metaphysicam, quæ considerat universalissimam rationem entis; si fiat negative, pertinet ad Logicam, quæ cum consideret ordinem inter mentis conceptus, ut supra dictum est §. 162. negationem includit, ut ipsi mentis conceptus, cujuscumque materiæ. Sic igitur scientiarum theoreticarum quatuor sunt genera. Vide S. Thom. Opusc. 70. q. 5. a. 1. In scientiis autem practicis ratio generis sumitur à fine.

(1) Idem S. Thomas 1. Poster. lect. 41. » Distinguuntur, *ait*, genera scibilium secundum diversum modum cognoscendi. Sicut alio modo cognoscuntur ea, quæ definiuntur cum materia, & ea quæ sine materia. Unde aliud genus scibilium est corpus naturale, & corpus mathematicum.« (2) Not. Pergit. §. 1158.

(3) S. Thom. loc. cit. » Progressus scientiæ, *inquit*, consistit in quodam motu rationis discurrentis ab uno in aliud: omnis autem motus à principio quodam procedit, & ad aliquid terminatur: unde oportet, quod in progressu scientiæ ratio procedat ex aliquibus principiis primis. Si qua ergo res est, quæ non habeat principia priora, ex quibus ratio procedere possit, horum non potest esse scientia secundum quod scientia hic accipitur, prout est demonstrationis effectus. Unde scientiæ speculativæ non sunt de ipsis essentiis substantiarum separatarum. Non enim per scientias demonstrativas possumus scire quodquid est in eis, quia ipsæ essentiæ harum substantiarum sunt intelligibiles per seipsas ab intellectu ad hoc proportionato. Non autem congregatur earum notitia, qua cognoscitur quodquid est ipsarum, per aliqua priora. Sed per scientias speculativas potest sciri de eis, an sint, & quid non sunt, & aliquid secundum similitudinem in rebus inferioribus inventam. Et tunc utimur posterioribus ut prioribus ad earum cognitionem, quia quæ sunt posteriora secundum naturam, sunt priora, & notiora quoad nos.« Hinc Clemens Alex. Strom. 5. probat, Deum esse, non posse demonstrari à priori. *Neque*, inquit, *scientia* (de Deo) *accipitur demonstrative: ea enim ex prioribus constat, & ex notioribus: nihil est autem ante ingenitum.*

1161 Ad tertium dicimus, in eadem specie scientia inveniri quidem diversa principia; sed hæc tamen omnia subordinata sunt, atque unum fluit ex altero (1).

ARTICULUS IV.

Utrum una scientia sit altera dignior in ratione materiæ, de qua agit.

1162 Videtur negandum I. quia cum scientia sit cognitio parta per demonstrationem, ut supra diximus (2), illa videtur esse dignior, quæ procedit ex principiis certioribus, cujusmodi esse Mathematicam supra ostendimus (3); ita enim magis participat rationem scientiæ.

1163 II. Si dignitas unius scientiæ præ alia, accipienda esset ex parte materiæ, sequeretur, scientias practicas dignio-

---

(1) Ex dictis colligitur 1. scientiam rerum in Verbo, & in propria natura non esse ejusdem rationis. Vide S. August. l. 4. de Gen. ad litt. c. 23. Hæc enim regulatur principiis notis lumine naturæ; illa principiis scientiæ Dei.

Colligitur 2. scientiam quæ habetur per revelationem, esse rationis omnino diversæ à scientia humanitus inventa, ob eamdem rationem. Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1. ad 2. Quare Theologia Christiano-Catholica est prorsus diversa cum à Theologia naturali, quæ est pars Metaphysicæ, tum à Theologia Hæreticorum. Nam Theologia naturalis procedit ex principiis notis lumine naturæ; Theologia vero Hæreticorum videtur quidem procedere ex principiis revelatis: sed cum hi ideo principia illa revelata admittant, quia eorum rationi ita videtur, siquidem negant Traditiones, & Ecclesiæ Magisterium, quæ nos revelationis certos reddunt; ipsorum Theologia conjecturis nititur, & fidei humanæ. Quare Tertulianus l. de Præscript. c. 37. scribit: » Si hæretici sunt, Chris-» tiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de sua elec-» tione sectati, hæreticorum nomine admittunt.“ Et S. Hilarius l. 8. de Trin. » Hæreticis hominibus, *inquit*, nec verbum sapientiæ est, nec » sermo scientiæ, nec Religionis fides, quia impietas, quæ non capit in-» telligentiam, extra sermonis scientiam, & extra simplicitatem fidei » est “

Colligitur 3. scientiam infusam, & acquisitam esse diversæ speciei, si sint per diversum lumen, scilicet, infusa per lumen supernaturale; acquisita, per lumen naturale. Si autem sint per idem lumen naturale, non differunt specie. Et propterea scientia Adami, licet infusa, fuit ejusdem rationis cum scientia nostra, ut supra ostendimus.

(2) §. 1135. (3) §. 134.

res esse theoreticis : nam practicæ sunt propter finem : finis autem causalitas est omnium prima, ut ostendit S. Thomas (1). Atqui idem S. D. probat (2), scientias speculativas nobiliores, adeoque digniores esse practicis. Non igitur dignitas scientiarum pensanda est in ratione materiæ.

Propositio. I. *In scientiis theoreticis, una est altera dignior, cum in ratione materiæ, tum in ratione certitudinis.* II. *In scientiis vero practicis ea est dignior, quæ ad ultimiorem finem ordinatur.*

1164 Ita S. Thomas (3). Prob. 1. p. ratione ejusdem S. Doctoris (4). Cujuscumque scientiæ theoreticæ dignitas ex ejus actu æstimanda est; theoretica enim scientia hoc differt à practica, quod illa est propter contemplationem, hæc propter opus, ut supra dictum est (5). Atqui actus ex duobus accipit dignitatem, ex objecto, scilicet, & modo (6); ex objecto quidem, quia actus speciem accipit ab objecto; ex modo autem, quia quo modus est dignior, eo dignior est actus. Si ergo actus scientiæ consideretur ex objecto, ea scientia est dignior, quæ est circa dignius objectum. Si consideretur modus actus, ea est dignior, quæ est certior. Dignitas ergo in scientiis theoreticis æstimanda est in ratione materiæ, sive objecti, & in ratione certitudinis. Si qua ergo scientia est, quæ habeat objectum cæteris dignitate præstans, & sit omnium certissima, ea erit cæteris dignior (7). Si autem objectum quidem sit dignius, & ni-

(1) 1. 2. q. 1. a. 2. (2) 1. Metaph. lect. 1. (3) 1. p. q. 1. a. 5. (4) 1. de anima lect. 1. (5) §. 198.

(6) S. Thom. lect. cit. *In ipsis scientiis speculativis invenitur gradus quantum ad bonitatem, & honorabilitatem. Scientia namque omnis ex actu laudatur: omnis autem actus laudatur ex duobus, ex objecto, & qualitate, seu modo, sicut ædificare est melius, quam facere lectum, quia objectum ædificationis est melius lecto. In eodem autem respectu ejusdem rei, ipsa qualitas gradum quemdam facit, quia quanto modus ædificii est melior, tanto melius est ædificium. Sic ergo si consideretur scientia, seu actus ejus ex objecto, patet, quod illa scientia est nobilior; quæ est meliorum, & honorabiliorum. Si vero consideretur ex qualitate, seu modo, sic scientia illa est nobilior, quæ est certior. Sic ergo dicitur una scientia magis nobilis altera, aut quia est meliorum, & honorabiliorum, aut quia est magis certa.*

(7) Hac ratione S. Thomas 1. p. q. 1. a. 5. probat, Sacram Doctrinam dignitate præstare cæteris scientiis theoreticis, tum quia certissi-

hilominus scientia sit aliis minus certa, dignitas æstimanda erit in ratione objecti; nam dignitas objecti prævalet modo, seu qualitati actus (1).

1165 Prob. 2. p. Sicut objectum se habet ad scientias theoreticas, ita finis ad practicas. Ergo sicut in theoreticis ea est dignior, quæ ad dignius objectum, ita in practicis ea est dignior, quæ ad digniorem finem ordinatur. Finis autem eo est dignior, quo magis accedit ad finem ultimum. Igitur in scientiis practicis dignior est, quæ ad ultimiorem finem ordinatur (2).

1166 Ad primum patet responsio ex dictis (3). Et licet certitudo pertineat ad rationem scientiæ, pertinet tamen ad ipsam tamquam modus actus, non tamquam objectum.

1167 Ad secundum respondemus, si comparatio fiat inter scientias theoreticas, & practicas, theoreticas esse practicis simpliciter digniores; hæ siquidem sunt propter opus, illæ propter ipsum scire, quod est præcipua hominis operatio (4). Et quamvis causalitas finis sit omnium prima in ordine intentionis, non est tamen omnium prima absolute, alioqui possemus velle quod esset ignotum.

---

ma est, tum quia est de rebus quæ sua altitudine rationem transcendunt, Vide Chrysostomum Hom. 4. in 1. Cor. S. Augustinum in Psal. 140. & l. 2. de Doct. Christ. c. 42. & S. Cyrillum Alex. l. 5. con. Julian.

(1) S. Thomas 1. de anima lect. 1. "Sed hoc, *inquit*, est in quibusdam scientiis diversum; quia aliquæ sunt magis certæ aliis, & tamen sunt de rebus minus honorabilibus: aliæ vero sunt de rebus magis honorabilibus, & melioribus, & tamen sunt minus certæ. Nihilominus tamen illa est melior, quæ de rebus melioribus, & honorabilioribus est. Cujus ratio est, quia magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus, & altissimis, etiamsi topice, & probabiliter illud sciamus, quam scire multum, & per certitudinem de rebus minus nobilibus. Hoc enim habet nobilitatem ex se, & ex sua substantia: illud vero ex modo, & ex qualitate."

(2) Hinc Angelicus probat 1. p. q. 1. a. 5. Sacram Doctrinam digniorem esse cæteris scientiis practicis, quia finis ejus est æterna beatitudo.

(3) §. 1164.

(4) Atque hæc una ratio est qua S. Thomas 2. 2. q. 182. a. 1. probat vitam contemplativam simpliciter potiorem esse activa, licet secundum quid, scilicet, propter necessitates hujus vitæ, sit magis eligenda vita activa. Id cum audiunt quidam Philosophi, qui *terrena sapiunt*, in clamores effunduntur, jamque, si plures sint, qui vitæ contemplativæ vacare velint, actum esse dicunt de publica Regnorum fælicitate, Remque publicam hominibus otiosis nedum repleri, sed opprimi. Vetus

ARTICULUS V.

Utrum scientia, quæ est sub altera, veram habeat rationem scientiæ.

1168 Una scientia esse sub altera dicitur, 1. cum ejus principia demonstrantur in scientia superiore, sicut principia Medicinæ demonstrantur in Physica, & principia Musicæ demonstrantur in Arithmetica (1). 2. cum subjectum unius scientiæ con-

---

sane conquestio: nam & Aristotelis ætate, ut ex 6. ejus Ethic. lib. habemus, & ex D. Thoma ib. lect. 6. quidam erant, qui politicas scientias sapientiæ præferebant; & multo ante Aristotelis ætatem, Thales, & Anaxagoras reprehensi fuere, quod uni sapientiæ studerent; nam de illis, ut ib. Aristoteles refert, dicebatur, eos *superflua, & difficilia cognitu, & inutilia scire, quia non quærebant bona humana.* Super quæ verba S. Thomas loc. cit. » Ponit, *inquit*, specialiter exemplum de » Thalete, & Anaxagora, quia specialiter super hoc reprehensi sunt. Cum » enim Thales exiret domum, ut astra consideraret, incidit in fo» veam; eoque lugente, dixit ad eum quædam vetula: tu quidem, ò Tha» les, quæ ante pedes sunt, nequis videre, & quæ in Cœlo sunt, putas » cognoscere?" (Vide Platonem in Theæteto)" Anaxagoras autem, cum » nobilis, & dives esset, paterna bona suis dereliquit, & specula» tioni naturalium se dedit, non curans de politicis, unde ut ne» gligens reprehendebatur. Et dicenti sibi, non est tibi cura patriæ? » respondit: mihi patria valde curæ est, ostenso cœlo." (Confer Platonem in Hippia majore, Laërtium l. 2. & Tullium l. 5. Tuscul.) Quod si nemo prudens hosce, similesve philosophos reprehensione dignos putat, quia relicta vita activa, toti se contemplationi dederunt rerum naturalium; qua ratione reprehendi possunt veluti otiosi, & Reipublicæ pondera, qui rerum divinarum contemplationi se totos dedunt? Non enim postremus, imo omnium primus debet esse in quavis recte ordinata Republica rerum divinarum cultus. Quare in Ægypto, ut habetur Gen. 47. v. 22. urgente fame singulorum possesiones venditæ Regi fuerunt, *præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus, & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Vide S. Thom. 1. Metaph. lect. 1. Ita scilicet solliciti erant Ægyptii, ne quidpiam hominibus deficeret, qui contemplationis studio vacabant: tantum aberat, ut eos otiosorum, & inutilium Reipublicæ hominum loco haberent.

(1) Hæc subordinatio principiorum potest aliquando esse etiam in scientiis, quarum una non est sub alia, *sicut patet* (inquit S. Thomas 1. Poster lect 25.) *de Medicina, & Geometria. Non enim subjectum*

tinetur sub alterius subjecto, additque differentiam aliquam accidentalem, ut est Optica respectu Geometriæ (1). Scientia autem quæ sub altera est, inveniri potest vel conjuncta cum ea, sub qua est, vel sejuncta ab ipsa, ut si quis sit peritus Musicæ, non Arithemeticæ. Et quidem si conjuncta sit, nemo dubitat, quin veram habeat rationem scientiæ; Musicus enim Arithmeticæ peritus, scit demonstrare principia Musicæ ex principiis Arithmeticæ (2). Dubitatur itaque de scientia quæ est sub altera, an veram

---

Medicinæ sumitur sub subjecto Geometriæ, sicut subjectum Perspectivæ. Sed tamen ad aliquam conclusionem in Medicina consideratam, applicabilia sunt principia Geometriæ. Sicut quod vulnera circularia tardius sanentur, Medici est scire, qui hoc experitur; sed propter quid scire, est Geometræ, ad quem pertinet cognoscere, quod circulus est figura sine angulo. Unde partes circularis vulneris non appropinquant sibi, ut possint de facili conjungi. Ut igitur aliqua scientia dicatur proprie esse sub alia requiritur & quod ejus principia demonstrentur in scientia superiore, & quod ejus subjectum addat differentiam aliquam accidentalem subjecto superioris scientiæ; nam si addat essentialem, jam aliam speciem, vel genus scientiæ constituit. Vide not. sequentem.

(1) Id autem contingit dupliciter, ut advertit S. Thomas ib. » Uno » quidem modo, quando subjectum unius scientiæ, est species superio- » ris scientiæ: sicut animal est species corporis naturalis, & ideo scien- » tia de animalibus est sub scientia naturali. Alio autem modo, quan- » do subjectum inferioris scientiæ non est species subjecti superioris » scientiæ ... sicut Perspectiva se habet ad Geometriam. Geometria » enim est de linea, & aliis magnitudinibus. Perspectiva autem est cir- » ca lineam visualem. Linea autem visualis non est species lineæ sim- » pliciter, sicut nec triangulus ligneus est species trianguli. Non enim » ligneum est differentia trianguli. Et similiter scientia de faciendis » machinis se habet ad Stereometriam: id est, ad scientiam, quæ est » de mensurationibus corporum &c.

(2) Nam, ut advertit S. Thomas 1. de ani. lect. 7. In numeris sunt » diversæ proportiones, & infinitæ, quarum aliquæ sunt armonicæ id » est, consonantiarum causa. Nam dupla proportio est causa conso- » nantiæ quæ dicitur diapason; sesquialtera proportio causat consonan- » tiam, quæ dicitur diatessaron; sesquioctava proportio causat tonum, » & aliæ consonantiæ quibusdam aliis proportionibus causantur, puta; » ea quæ est composita ex diapason, & diapente, causatur ex tripla: » ea quæ sub diapason, causatur ex quadrupla, quam quidem Pytha- » goras deprehendit ut Boëtius refert in Musica, ex percussione qua- » tuor malleorum, qui consonantes sonos reddebant secundum prædic- » tas proportiones, puta, si unus maleus ponderaret 12. uncias, alius

habeat rationem scientiæ, si ab altera sit sejuncta, v. g. an Musica sit vera scientia in eo, qui nescit demonstrare ejus principia ex principiis Arithmeticæ.

1169 Videtur autem non esse vera scientia I. quia vera scientia non est nisi illa, quæ potest demonstrare ex principiis per se notis, ut dictum est (1). Sed scientia quæ est sub altera, estque ab ipsa sejuncta, non potest demonstrare ex principiis per se notis. Ergo.

1170 II. Musicus qui non est Arithmeticæ peritus, debet credere Arithmeticis affirmantibus, principia Musicæ esse demonstrata in Arithmetica. Qui autem alteri credit, non habet scientiam, sed fidem. Musicus igitur ille non habet scientiam Musicæ.

Propositio. I. *Scientia quæ sub altera est, sive, ut ajunt, subalternata, veram habet rationem scientiæ, etiam sejuncta à subalternante*; II. *est tamen imperfecta quoad statum.*

1171 Prob. 1. p. Habitus qui demonstrat ex principiis certis, & evidentibus, habet veram rationem scientiæ, ut supra dictum est (2). Atqui scientia subalternata, etiam sejuncta à subalternante, demonstrat ex principiis certis, & evidentibus: sic principia v. g. Musicæ non sunt minus certa & evidentia in seipsis, etiamsi Musicus non sit peritus Arithmeticæ; supponit enim illa jam demonstrata in Arithmetica. Habet igitur veram rationem scientiæ (3).

» 9. alius 8. alius 6. ille qui esset 12. haberet duplam proportionem ad » eum qui 6. & redderetur cum eo consonantia diapason. Ille autem » qui 12. ad eum qui 8. subsesquialtera proportione, & consonat secun» dum diapente. Et similiter qui est 9. ad eum qui 6. Item qui 12. ad » eum qui 9. est in sesquitertia proportione, & consonat cum eo diates» saron, & similiter qui 8. ad eum qui 6. Qui autem 9. ad eum qui » 8. cum sit in sesquioctava proportione, consonat secundum tonum.“ Vide S. August. l. 1. de Musica c. 8. sqq.

(1) §. 1111. (2) §. 140.

(3) Ex hoc principio habemus, Sacram Doctrinam esse vere scientiam; & Theologiam quæ est in hac vita, manere in Patria quoad substantiam, licet mutetur quoad statum, quia hic nititur principiis Fidei, adeoque est inevidens, ibi conjungetur cum clara Dei visione. Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2. Quæ quidem est Chrysostomi doctrina Hom. 1. con. Anomæos, ubi explicans verba Apostoli, *sive scientia destruetur*,

1172 Prob. 2. p. Scientia perfecta quoad statum requirit evidentiam in eo qui scientiam habet, nec sufficit, ut principia in seipsis sint evidentia. Sed in eo, qui est Musicæ peritus, non Arithmeticæ, non reperitur evidentia principiorum Musicæ; illa siquidem demonstrantur in Arithmetica. Igitur scientia in eo est imperfecta quoad statum.

1173 Ad primum respondemus, ad substantiam scientiæ sufficere evidentiam, quam dicunt *radicalem*, & *præsuppositivam*; quia, scilicet, principia ex seipsis sunt evidentia, & supponuntur evidenter certa (1); nec requiri, ut actu principia eviden-

---

inquit: » Ut puerilis ætas destrui solet, non deleta substantia, & natura pueri, sed tempore aucto, & ipsius ætatis progressu, eventuque in virum perfectum: sic in ea scientia posse fieri, intelligere debemus. » Parva hæc scientia, inquit, non propterea erit parva, sed amplitudinem in posterum capiet, magnaque efficietur: hoc sub illo vocabulo *destruetur* intelligit. Quod clarius ipse suis sequentibus verbis explicavit. Ut enim cum audires, scientiam destrui, non posses inferre destructionem cujusque scientiæ, sed incrementum potius, & scindi profectum in meliora, addit: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Ut non propterea sit hoc ex parte, sed perfectum. Ergo imperfectio ejus destruitur, ne præterea sit imperfectum, sed perfectum esse incipiat. Destructio igitur ista accumulatio est, & ad majora accessio." Ex Chrysostomo igitur, Theologia nostra vera scientia est, eademque quoad substantiam cum scientia Beatorum, licet quoad statum sit imperfectu, & perfecta evadet, cum venerit quod perfectum est. Vide S. Aug. Conc. 3. in Psal. 103. & l. 22. de Civ. c. 29. & Nazianzen. Orat. 26. & 34.

(1) S. Basilius sive quisquis Auctor sit Hom. in Psal. 115. in Append. Tom. 1. ut probet, nullius demonstrationis Theologiam indigere: » Nemo, *inquit*, hunc irrideat sermonem, quasi nos sine ulla propositione ad assentiendum iis quæ dicimus, audientes inducamus. Necesse est enim, disciplinæ cujusvis principia citra ullam probationem tradi discentibus, cum fieri non possit, ut ii qui circa prima principia litigant, via, & ordine procedere valeant ad finem. Idque vel ex ipsis externis disciplinis tibi licet discere. Etenim si Geometræ prima non concesseris principia, ea quæ sequuntur concludere nequit. Et qui Arithmeticæ principiis, ac elementis se opponit, viam ad ulteriora intercipit. Similiter autem neque à Medicis Medicinæ principia possunt demonstrari. Et in summa, in quacumque professione, quæ via, & ordine ad finem procedat, primarum propositionum demonstrationes non queunt inquiri. Sed necesse est, ut is qui artium ratione innixarum principia, sine probatione admisit

ter demonstrentur ex principiis per se notis, nisi tantum in illo, qui scientiam habet perfectam quoad statum, ut dictum est (1).

1174 Ad secundum dicimus, Musicum illum non credere Arithmeticis, sed supponere principia Musicæ esse evidenter demonstrata in Arithmetica, nec posse, nisi à stultis in dubium vocari.

ARTICULUS VI.

Utrum sint aliqui modi perficiendi scientias.

1175 Videtur inveniri vix posse, I. quidem, quia lumen intellectus humani est obumbratum, ut supra diximus (2). Atqui scientiæ pendent ab eo lumine, quo cognoscuntur principia per se nota, & per quod in ipsa resolvuntur conclusiones scientificæ, in qua resolutione perfectio scientiæ consistit. Ergo.

1176 II. Si scientiæ perfici possent, jam perfectæ essent post tot sæcula, à tot tantisque hominibus ingenio præstantibus, qui diuturnis studiis veluti callum obduxerunt. Videmus autem post immensos pene exantlatos labores vix ullum in scientiis esse profectum (3).

» id quod ex jam possitis consequens est, in his quæ deinde sequuntur, » inspiciat. Sic sane etiam Theologiæ mysterium, assensum ex Fide » probationis experte requirit."

(1) §. 1172. (2) §. 1037.

(3) Genuensis Log. Ital. l. 5. c. 5. quod inscribit, *Considerazioni sulle Scienze*, multa fundit verba, ut concludat, Italos longe abesse à vera perfectione scientiarum. Incipit §. 13. à Metaphysica, & à Theologia; utque probet, eas magno intervallo à perfectione distare, quasdam earum conditiones statuit, ut nimirum sint breves perspicuæ, pacificæ, lucri inimicæ, simplices, & ab omni cultu abhorrentes. Si hæ conditiones ad perfectionem satis sunt, quæro, an Genuensis in sua Metaphysica, quam secundis & tertiis curis auxit, emendavitque, illas servarit? Si servavit, cur ponit, Metaphysicam apud Italos valde esse imperfectam? nam & ipse Italus erat. Si non servavit, quid opus erat, ut Metaphysicam suam cuderet, & in vulgus emitteret? videlicet, ut cæteris imperfectis Metaphysicorum libris aliud imperfectum opus adderemus. Sed cæteras quidem conditiones illas admittimus: quid autem illæ, *pacificæ*, & *lucri inimicæ*? Nam si ut pacificæ sint, argumentis quæ contra sunt, respondere non debeamus, male egerunt Patres, qui nullum prætermiserunt hæreticorum, & impiorum hominum sophisma, cui non ocurrerent. Quod autem lucri causa facultates illæ doceri nequeant, rationem non video, nisi forte in lucro ponatur

Propositio. *Scientiæ perficiuntur per inventionem, & disciplinam.*

1177 Prob. Habitus ex eadem causa augentur, sive perficiuntur, ex qua generantur, ut docet, S. Thomas 1. 2. q. 53.

---

ultimus finis. Genuensis certe nullum tale præbuit exemplum. Quid autem ipse in tanta imperfectione scientiarum cogitet, audi: » Io abo» lirei, *inquit* §. 14. tante scuole di Metafisica, e Teologia scolastica, » è in lor cambio introdurrei un po più di Teologia Fisica; perchè il » secolo è filosofico. *Abolerem tot Scholas Metaphysicæ, & Theologiæ Scholasticæ, & ipsarum vice inducerem Theologiam Physicam, quia sæculum est philpsophicum.* Audistin' Theologiam Physicam! Quid hæc? Eruntne physica Theologiæ principia? Nam si physica non sunt principia, id est, principia corporum, qua ratione Theologia physica erit? Quod si principia physica sint, ubi jam erit Theologia Christiana quæ principiis revelatis, non physicis nititur? Reponet fortasse, loqui se de Theologia naturali. At 1. hæc pars est Metaphisicæ, neque proinde opus erat, ut eam à Metaphisica sejungeret. 2. ipse eam oponit Theologiæ Scholasticæ: hæc autem non una tantum Theologia naturali, sed etiam revelata continetur. 3. principia Theologiæ naturalis longe distant à principiis physicis; neque proinde naturalis Theologia *Physica* dici potest. 4. ipsemet Genuensis Art. Log. Crit. l. 4. c. 1. §. 3. ait: *In cæteris disciplinis aut Metaphysicis, aut Mathematicis, aut quæ ab auctoritate pendent, ut Theologia revelata, & Jurisprudentia, sensus non audiuntur; cohibendi potius sunt.* Quomodo nunc sibimet contradicens, provocat ad principia physica, quæ sensibilia sunt, statuitque introducendam esse Theologiam physicam? Sed vide hominis ingenium: nam statim §. 15. addit: » Molte poi di queste scuole le convertì» rei in Cattedre di corti, è lampeggianti estratti di Divina Scrittura, è » di Catechismi. » *Multas istarum Scholarum converterem in Cathedras brevium, ac splendentium compendiorum Sacræ Scripturæ, & Catechismorum.* Quo demum abiit Theologia Physica? Anne dogmata Sacris Scripturis, & Catechismis comprehensa, physicis principiis nituntur? Si autem nihil præterea requiritur, ut quis perfectus sit Theologus, cur Genuensis §. 16. statuit, Theologicam scientiam requirere hominem versatum in omnibus scientiis, & historiis, & linguis &c. hominem Philosophum, Geometram, Antiquarium, & qui callum obduxerit in arte pacifice versandi systemata scientifica; qua ex re conficit, juvenes hactenus carere accuratis Institutionibus Theologicis? Quid, si tot tantæque requiruntur conditiones, ut quis possit Theologicis disciplinis adolescentes instituere; quid Cathedræ illæ Compendiorum Sacræ Scripturæ, & Catechismorum? Addit ib. P. Mabillonium

a. 2. Sed ut supra ostendimus §. 1151. scientiæ acquiruntur

præscripsisse Theologiam Episcopii tanquam exemplar. Quo loco id Mabillonius præscripserit, Genuensis non dicit, nec dicere poterat: nam Mabillonius ita scripserat quidem primum; sed postea emendavit, delevitque. Cur ergo Genuensis Mabillonio attribuit quod Mabillonius revocavit? In opere autem *de studiis Monast. p. 2. c. 6.* Mabillonius agens de studio Theologiæ Positivæ & Scholasticæ, tantum abest, ut Episcopii exemplar præscribat, quin immo S. Thomæ Summam indigitet: „Theologiæ, *inquit*, Profesoribus necessum omnino erit exactam to„tius Summæ prædictæ ideam gerere." Ut autem caveantur quorumdam Scholasticorum defectus, ait: „Melchiorem Canum tamquam „exemplar poterit unusquisque sibi proponere." In subjecta Nota Genuensis, etsi timens, audet, ac de Theologia Morali ita scribit: Questa parte Morale (fia detto con buona pace, e per quel verso che „qui contiene) è stata più giudiziosamente, e con più profitto del leg„gitore trattata da Filippo Limbrochio, che da mille de' nostri Casis„ti „ *Hæc pars Moralis (bona pace dixerim, & quâ convenire ratione potest) aptius, & cum majori legentis fructu tractata est à Philippo Limbrochio, quam à millenis nostris casuum tractatoribus.* Quid Casuistæ docuerint, non quæro. Quæro autem, anne aliquis saltem inter Catholicos Scriptores de Theologia Morali pro dignitate scripserit? Nemo plane est, Genuensis judicio, qui cum Philipo Limbrochio homine Calviniano, & Pelagianismi accerrimo adsertore, ac S. Augustini conviciatore, sit comparandus. Non ita Grotius qui Benjamino Maurerio Epist. 64. ut est etiam à Mabillonio observatum loc. cit.) consuluit, ut si in Moralibus rite institui cuperet, legeret secundam secundæ partis S. Thomæ Aquinatis. Eo res devenere, ut Grotius hæreticus homo ad S. Thomam, Genuensis ad Limbrochium mittat, & quidem adolescentes: Sed ne miremini. Perpendite quæ Genuensis ipse habet §. 36." La massima parte de' Moralisti degli ultimi tempi han fondato „i loro sistemi su queste due forze (concentriva, e diffusiva.) *Maxima Moralistarum pars postremis hisce temporibus sua constituerunt systemata in his duabus viribus concentriva, & diffusiva.* Quinam sunt hi Moralis scientiæ tractatores? Pergite legere." Obbes fonda tutto sul„la forza concentriva ... Volfio è nell'istesso caso ... Collui, che ha „meglio in questi anni addietro sviluppata la forza del cuore umano, „è stato l'Autore dell'Esprit, libro bellissimo, se un poco di vanità „non l'avesse macchiato di certe impertinenze; è l'Autore fosse an„dato un passo più avanti, per vedere; che le forze, concentriva, è „diffusiva, benchè legate per natura, son nondimeno, com' è, ambe„due prime ... Shaftsbury avea fatto veder questo errore &c. *Hobbesius totum constituit in vi concentriva ... VVolfius idem tenet ... Ille qui paucis abhinc annis melius explicavit vim humani cordis fuit Auctor libri de l'Esprit, pulcherrimi sane libri, nisi levis quædam va-*

per inventionem, & disciplinam. Ergo per easdem perficiuntur.

1178 Inventio autem plurimum pendet ab ingenio, & observatione. Ab ingenio quidem, nam ut docet Sanctus Thomas (1), *processus rationis provenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias, & inde procedat in aliquas particulares conclusiones, & ex his in alias.* Quod sane requirit ingenium perspicax (2), quo qui

---

nitas ipsum infecisset aliquibus ineptiis; Auctor vero paulum fuisset progressus, perspexissetque, vires concentrivam, & diffusivam, quamvis natura connexas, nihilominus esse primas ... Shaftsburyus hunc errorem ostenderat. Memorat deinde §. 37. Grotium, Cumberlandum, Puffendorfium, à quibus tamen in dogmata virium concentrivæ, & diffusivæ recedit. Meminisset saltem unius Catholici Auctoris. Sed hi longissime aberant à systemate, quod in re morali stabilire ipse tentabat. Quis fuerit Hobbesius, non dicam ego, sed dicat Baëlius Dict. Crit. Art. *Hobes.* Ei affingit dictum Persei sat. 2. v. 17. *Heus age, responde, minimum est quod scire laboro: De Jove quid sentis?* Dicant Cudvvortus *in Syst. intell.* Parkerus *De Deo, & Prov. Disp.* 1. *sect.* 27. Cumberlandus *Traitè Philos. des loix naturelles*, Buddeus *de Atheism. c.* 1. §. 27. aliique qui Hobbesium Atheis accensent. Quis fuerit Auctor libri *de l' Esprit*, sive Helvetius, ostendit Fleurius in sermone habito Parisiis die 23. Januarii 1759. ad Magistratum quem *Parlamentum* vocant. Vide Valsechium *De Fondam. della Relig. Nat. l.* 1. c. 1. §. 7. Nimirum Auctor ille non modo colligit, ac describit quidquid ab omni retro sæculo libidinis, & impudentiæ fuit, & publica instillat præcepta libidinis; verum etiam pronunciat, ac statuit *pudorem esse inventionem amoris, & voluptatis exquisitæ* & *cultum templorum Veneris, & Astartis esse admiratione nostra dignum objectum.* Denique Auctor iste animi nostri spiritualitatem aperte negat. En Auctores, ad quos Genuensis adolescentes mittit, ut moralibus institutis erudiantur. Hi per ipsum sunt, qui cordis humani vim melius explicarunt. Horum opera *pulcherrima* sunt. Hi moralis doctrinæ magistri. Horum theoriis scientiæ morales perficiendæ sunt. Mitto reliqua, de quibus alias.

(1) Q. 11. de ver. a. 1.

(2) S. Thomas 2. de ani. lect. 11. » Exterius docens, *inquit*, ei (discipulo) auxiliatur ad sciendum ex principiis addiscenti notis, dedu» cens eum per demonstrationem in conclusiones prius ignotas. Quod » quidem auxilium exterius homini necessarium non esset, si adeo es» set perspicacis intellectus, quod per seipsum posset ex principiis notis » conclusiones elicere; quæ quidem perspicacitas hominibus adest secun» dum plus, & minus.“ Perspicacitas igitur ingenii major, vel minor

destituti sunt, vix quidpiam (1) in arte inveniendi proficient (2). Observatione autem plura inveniri possunt, quæ prius latebant, præsertim in Physicis (3). Quare Cicero (4): *Observatio*, inquit, *diuturna notandis rebus fecit artem.*

1179 Porro scientiæ perficiuntur disciplina, 1. quidem ex Magistrorum institutione: nam ut ostendimus cum S. Thoma (5), *secundum hoc unus alium docere dicitur, quod discursum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa.* Si ergo Magister sit in scientiis versatus, quæ scit, cum discipulis comunicabit, sicque scientia discipulorum perficietur (6). 2. ex

---

est à natura, neque proinde ulla arte, aut industria comparari potest, nam ut S. Thomas advertit ib. lect. 19. ea perspicacitas sequitur nobilitatem animæ; nobilitas autem hæc sequitur temperamentum perfectius corporis: *Ad bonam*, inquit, *complexionem corporis sequitur nobilitas animæ, quia omnis forma est proportionata suæ materiæ. Unde sequitur, quod qui sunt boni tactus, sunt nobilioris animæ, & perspicacioris mentis.* Hæc autem perspicacitas obtundi potest per vitia cum animi, tum corporis; quare videmus, homines ingeniosos, in voluptates effusos, vel corporalis vi morbi, aut senio confectos, hebetes fieri. Etsi vero ingenii perspicacitas acquiri nulla arte possit, potest tamen mediocre ingenium arte juvari, præsertim assidua exercitatione. *Solertia*, inquit S. Thomas 1. Poster. lect. 44. *est quædam perspicacitas velociter apprehendendi medium, propter quod aliquid evenit, quod contingit ex naturali aptitudine, & etiam ex exercitio.*

(1) Loquimur hìc de inventione ex ingenio, non autem ex casu; multa enim casu inventa sunt, ut fuit typis edendi artificium. Vide Seizum *in Anno tertio sæculari inventæ Artis Typographicæ.* Non negamus tamen ex inventis fortuito, multa alia esse detecta; & etiam inventa, institutis observationibus, ut in eadem Typographica Arte.

(2) Certe ex ingenii perspicacia Thaleti tribuitur inventio demonstrationis plurium propositionum Geometricarum, (Vide Stanlejum in Thalete c. 7. sect. 1. sq.) itemque Pythagoræ demonstratio prop. 47. l. 1. Euclidis. (Vide Laërt. l. 8.) & Perseo inventio spiralis: nam de seipso scribit:

Spiralem inveniens Perseus in segmine quino
Ternam, nunc gratus mactat opima deis.

(3) Fatemur, plurima inventa esse hoc & proxime elapso sæculo, quod ad Physicam pertinet ob varias observationes institutas. Vide S. Thomam 1. Metaph. lect. 1. ubi regulas tradit conficiendi artem ex experimentis. Sed hac de re dicemus in Physica.

(4) L. 2. de Divin. (5) Q. 11. de ver. a. 1.

(6) Quantam adferat utilitatem magisterium Virorum revera doctorum, norunt omnes: sed quantam adferant perniciem Religioni, pu-

librorum optimorum lectione (1): nam libri sunt veluti magistri. 3. ex jugi meditatione; jam enim supra diximus (2), memoriam meditatione juvari, 4. exercitationibus, & disputationibus; ita enim acuitur ingenium, removentur difficultates, & planior ad veritatem aperitur via; modo tamen serventur conditiones debitæ, quas infra recensebimus.

1180 Præ cæteris autem necesse est, sive ad inveniendum, sive ad discendum, frequenter ad Deum, qui scientiarum fons est, oculos nostros dirigamus exemplo Angelici Præceptoris, qui numquam se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem (3). Aderit enim Deus qui sapientiam præstat parvulis.

---

blicæque fælicitati improbi Magistri, non omnes animadvertunt, cum tamen facile animadvertere potuissent; quandoquidem discipuli ex ore Magistri veluti pendent, & quidquid ab ipso accipiunt, ratum habent. Fac igitur, Magistrum improbum non recte de Fide, & Religione sentientem, errores suos discipulis instillare; nihil erit tam facile, quam ut discipuli errores pro veritatibus habeant, præsertim si errores délitescant sub quodam cortice veritatis, sintque ad fovendas animi passiones accommodati. Hinc impietatem propagatam lugemus, posterique nostri magis etiam propagatam lugebunt, nisi diligentissime curetur delectus Magistrorum; qui etiamsi recte sentiant, si tamen probi non sint, vix juvare discipulos possunt: nam ut apposite Cassiodorus in Proem. Variar. *Contingit dissimilem filium plerumque generari: Oratio dispar moribus vix potest inveniri.*

(1) In lectione librorum, qui Religioni, pietati, bonisque moribus obsunt, non pauci, iique ingenio etiam, & eruditione præstantes, naufragium fecerunt. Quare apud ipsos Gentiles semper in more fuit, ut ejusmodi libri exterminarentur. Vide Plutarchum *in Numa*, ubi refert, Numæ libros delatos in Comitium, fuisse crematos. Vide etiam Laërtium l. 9. referentem, libros Protagoræ, in quibus de diis dubitabat, ab Atheniensibus in foro fuisse combustos, sub voce præconis, à singulis qui illos habebant, repetentis. Itaque studiosi scientiarum fugiant à conspectu horum librorum, tamquam à facie colubri, nisi fortasse impugnare illos debeant; sciantque, præter inanem verborum congeriem, indigestamque obscurarum vocum farraginem (plerique enim per cuniculos venenum infundunt) nihil in illis solidi esse. Potissimum vero adolescentibus auctor sum, ut libros legant probatorum Scriptorum, nec nisi annuente Magistro, cujus erit videre, utrum illis expediat tales etiam libros legere; fieri enim potest, ut libri quamlibet boni, noceant ob legentium imperitiam.

(2) §. 1151. not. *Hic autem.*

(3) S. Augustinus l. 2. de lib. arb. c. 6. sic Evodium alloquebatur: „Adesto animo, & rationis vias pietate fretus ingredere; nihil enim

Si pure (ait S. Augustinus Epist. 140. al. 120. n. 85.) *Dominum largitorem bonorum omnium deprecéris, omnia quæ cognitione digna sunt, aut certe plurima, ipso magis inspirante, quam hominum aliquo commonente perdisces.*

1181 Ad primum respondemus, jam supra dictum esse (1), scientias omnino perfectas haberi in hac vita sine speciali Dei favore nullo modo posse; id tamen non prohibet, quin perfici aliqua ratione valeant; quod fit sive per inventionem in illis, in quibus est perspicacius ingenium, & vividius lumen; sive per disciplinam, qua mens discipuli quodammodo illuminatur, ut supra (2) ostendimus.

1182 Ad secundum dicimus, scientias quidem, neque modo esse ad apicem perfectionis evectas, neque umquam deinceps ad illum esse perventuras: sat est in perfectionem progressus, qui certe decursu temporis magnus existit (3).

QUÆSTIO XXX.

De Probabilitate, Opinione, & Fide.

1183 Partem dialecticam Logicæ jam tradere incipimus. Dialectica autem, ut supra diximus (4), procedit ex probabilibus, quemadmodum demonstratio ex omnino certis, & evidentibus. Procesus autem rationis, qui non est cum omnimoda certitudine, & evidentia conjunctus, probabilitatem eficit. Ut vero demonstratio causat scientiam, ita probabilitas opinionem, vel fidem humanam (5). Itaque 1. de probabilitate, 2. de opinione, 3. de fide agemus.

» tam arduum, atque difficile, quod non Deo adjuvante planissimum, » atque expeditissimum fiat."

(1) §. 6. (2) §. 1151. not. *id autem.*

(3) Ut scientia acquiritur, & perficitur, ita etiam potest in hac vita corrumpi, & amitti. Duobus autem modis scientia per se corrumpitur, ut advertit S. Thomas 1. p. q. 89. a. 5. scilicet *per oblivionem ex parte memorativæ, & deceptionem ex parte argumentationis falsæ, qua mens abducitur à scientia veritatis.* Vide eumdem S. Thom. 1. Poster. lect. 13.

(4) §. 168.

(5) S. Thomas 1. Poster. lect. 1. » Sicut, *inquit*, in rebus naturalibus » in his quæ ut in pluribus agunt, gradus quidam attenditur (quia » quanto virtus naturæ est fortior, tanto rarius deficit à suo effectu; ita

ARTICULUS I.

Utrum probabilitas æstimari debeat ex pondere rationum.

1184 Etsi probabilitas conjuncta non sit cum omnimoda

» & in processu rationis, qui non est cum omnimoda certitudine, gra-
» dus aliquis invenitur, secundum quod magis, & minus ad perfec-
» tam certitudinem acceditur. Per hujusmodi enim processum quan-
» doque quidem etsi non fiat scientia; fit tamen fides, vel opinio, vel
» probabilitas, propter probabilitatem propositionum, ex quibus proce-
» ditur; quia ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis,
» licet cum formidine alterius ... Quandoque vero non fit complete fi-
» des vel opinio, sed suspitio quædam, quia non totaliter declinatur
» ad unam partem contradictionis, licet magis declinetur in hanc, quam
» in aliam ... Quandoque autem sola existimatio declinat in aliquam
» partem contradictionis, ad modum quo fit homini abominatio ali-
» cujus cibi, si repræsentetur ei sub similitudine alicujus abominabilis.“
Hanc egregiam S. Thomæ doctrinam comparato cum iis quæ scribit Genuensis Log. Ital. l. 3. c. 2. §. 6. ubi docet, *probabilitatem esse unum è multis gradibus, qui certitudinem constituunt; utque cognoscatur quantitas prædicti gradus, necesse esse, ut certitudo dividatur in tot partes æquales dato gradui, quæ adæquent totum; indeque calculus conficiatur, ut inveniatur, quænam sit pars dati gradus.* Hinc autem infert, *gradus probabilitatis arbitrarios esse, ubi certitudo, id est, totum est ignotum; aut esse probabilitatem probabilitatis, si totum sit probabiliter cognitum; aut probabilitatem esse hypotheticam, si totum ponatur per hypothesim.* Equidem censeo 1. numquam vel fere numquam inventam iri quantitatem gradus probabilitatis, si certitudo dividenda sit in partes æquales dato gradui; quis enim poterit certitudinem ita exacte dividere in iis, in quibus veritas nondum patet? nam si pateret, non probabilitas, sed certitudo foret. 2. Ipse Genuensis putat ib. *probabilitatem augeri, quo augentur gradus, qui si medietatem totius excedant, constituent verisimilitudinem sermone philosophico.* Si autem ad verisimilitudinem requiritur excessus graduum supra medietatem totius; igitur gradus, qui medietatem totius non excedunt constituent inverisimilitudinem; nam quod versimile non est, utique est inverisimile. Quomodo igitur gradus medietatem non excedentes efficient probabilitatem? nam probabile esse non potest, quod non est simile vero. Cicero sane *sermone philosophico* l. 2. Tuscul. ajebat: *Nos sequimur probabilia, nec ultra id quod verisimile occurrerit progredi possumus.* S. Augustinus etiam l. 3. con. Acad. c. 15. *sermone philosophico* (nam contra Philosophos agebat) *probabile, ac verisimile* idem

certitudine veritatis, habet tamen aliquam viritatis speciem, & verisimilitudinem (1); si enim veritatem nullo præseferet modo, non probabilitas, sed falsitas foret.

1185 Verisimilitudo autem quosdam gradus habet; nam potest magis, vel minus ad veritatem accedere, prout momenta, quibus innititur, majoris, vel minoris sunt ponderis. Hinc patet, quæ sit propositio probabilis, quæ improbabilis (2), quæ minus

---

esse docet. 3. cum Genuensis ait, *gradus probabilitatis esse arbitrarios, cum certitudo est ignota*, de qua certitudine loquitur, de certitudine rei, an de certitudine intellectus? Si de certitudine intellectus, hæc pendet ex principiis certis: si autem principia certa essent cognita, nulla esset probabilitas, sed omnimoda certitudo. Si de certitudine rei, nulla etiam probabilitas foret; nam cum res certa certe cognoscitur, utique non cognoscitur probabiliter. Exemplum quod adfert ludi sortitionis, vulgo *lotto*, ut ostendat, ex numeris 90. si unus extrahatur, probabilitatem esse $\frac{1}{90}$ nihil omnino concludit; nulla enim probabilitas esse potest in re mere fortuita, cujusmodi est ludus ille. Vide quot tenebras Philosophus hic sparserit. Verum S. Thomas paucis, & aperte, gradus probabilitatis mensurando esse docet ex majori, vel minori accessu ad perfectam certitudinem, quæ numquam homini habenti usum rationis potest esse ignota; quisque enim cognoscit, certa omnino esse, quæ ex principiis certis concluduntur.

(1) Vide not. superiorem, & S. Bernardum l. 5. de consid. c. 2. ubi scribit: *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius, quam apprehendit.* Quare probabilitas idem est ac verisimilitudo.

(2) Genuensis Art. Log. Crit. l. 3. c. 4. §. 9. exemplum ponit propositionis improbabilis, inquiens: „Velut qui dicit, *non esse habitatores „in Luna*, improbabilem profert sententiam.“ Contra vero probabilem esse ait sententiam adserentem *esse habitatores in Luna &c.* Idem repetit Log. Ital. l. 3. c. 2. §. 7. Cur iterum, atque iterum idem exemplum inducit? Deerant fortasse alia exempla & veriora, & notiora? Sed peto, quare probabile sit, esse habitatores in Luna; improbabile, in Luna habitatores non esse? Respondet ille, quia hoc posterius nullis confirmari argumentis, prius probari argumentis verisimilibus potest. Jam fatetur, probabile idem ac verisimile esse, quod tamen, ut vidimus 585. in notis de sola probabilitate dixit excedente dimidium totius. Ecquæ autem sunt argumenta illa verisimilia, audiamus ex eodem Genuensi cit. c. 4. §. 4. *Primum*, inquit, *reperio id esse possibile: est is primus, & tenuissimus probabilitatis gradus.* Possibile quoque erat, ut Genuensis insaniret; numquid propterea erat probabile ipsum insanisse? Quid vero? Possibilene quoque est, Lunam non esse habitatam? Numquam id esse impossibile quisquam ostendet. Propositio igitur negans lunam esse habitatam, cum sit saltem de aliquo

probabilis, quæ probabilior, quæ maxime probabilis, quæ æque

possibili, habet saltem tenuissimum probabilitatis gradum ex Genuensis principio. Cur ergo eam propositionem ipse pronuntiat improbabilem? Addit: *Mox intelligo, non videri verisimile, ut ex tot globis mundanis sola tellus habitetur.* Atqui id non modo verisimile est, sed summe certum. *Omnia propter nos*, ait Apostolus 2. Cor. 4. v. 15. Et Gen. 1. v. 17. de Sole, & Luna, & Stellis dicitur: » Posuit eas in firmamen» to cœli, ut lucerent super terram" in usum scilicet hominis habitantis super terram. Cur ergo verisimile videri non debet, solam tellurem inhabitari, cum propter tellurem Deus Solem, & Lunam, & Stellas crearit? Pergit ille: *Animadverto non decere, ut Dei sapientia, & benignitas sola tellure coarctetur.* En Genuensis in abyssum irrepit infinitæ sapientiæ, & benignitatis Dei. Sed quænam coarctatio sapientiæ, & bonitatis Dei esse potest, cum Deus libera sua voluntate creaverit Solem, & Lunam, & Stellas propter hominem tellurem habitantem? Potius Genuensis divinam sapientiam, & bonitatem coarctat, quasi Deus sapiens, & bonus non fuisset, si cœlestes globos unice propter hominem creasset. Quartam probabilitatem addit, ac scribit: *Accedo ad Lunam ipsam, atque ex ejus partium contemplatione Telluri similem agnosco, videoque esse in ea quæ incolarum animantium facta videantur.* Utique non aliter ad Lunam ipsam accedere potuit, quam per teloscopia: quid autem agnoverit ex Lunæ partibus simile Telluri, non dixit, neque dixit quæ videantur facta illa animantium incolarum. Dicamus nos ex Cycopledia scientiarum art. *Luna*, unde fortasse hanc ille conjecturam est mutuatus. Conjectura est hujusmodi: In Luna extant montes, valles, maria, insulæ, lacus, flumina &c. fiunt etiam pluviæ, vegetant plantæ, producunt fructus &c. Natura autem in seipsa constans, & uniformis similia operatur ob similes fines. Cur ergo in Luna nequeunt esse habitatores, si propter ipsos illa omnia sunt facta? Peto, quinam sint habitatores illi, homines ne, an pecudes? Si conjectura valeat, animantia illa Lunam incolentia, non soli pecudes, sed etiam homines esse debent; nam montes, colles, maria, plantas &c. propter pecudes tantum facta esse, abest à vero, cum Deus naturæ actor in hac terra similia fecerit propter homines. Quid autem Genuensis reponeret, si hujus conjecturæ negaremus suppositum, videlicet, in Luna revera exstare montes, colles, maria, flumina, plantas &c. nam si qui videntur montes in Luna, sive verius umbræ, ii sunt ex diversa refractione lucis. En tota conjectura corruit ex contemplatione partium Lunæ similium partibus telluris, & ex factis incolarum animantium. Stet autem conjectura, cum ex ea consequatur, non tantum pecudes, sed etiam homines debere Lunam inhabitare; peto rursus, an homines illi sint ex Adamo progeniti? an à Jesu Christo Salvatore nostro redempti? an Fide Religionis conjuncti? an æternæ felicitatis participes? At quis non videt, quamtopere hæc omnia Sacris Scripturis repugnent?

probabilis. Nam si momenta quibus nititur, levissima sint, propositio erit improbabilis; minimum enim accedit ad veritatem. Si momenta levis sint ponderis, propositio erit probabilis (1). Si momenta magis urgeant, propositio erit probabilior, & opposita erit minus probabilis. Si momenta maximi sint ponderis, propositio erit maxime probabilis (2). Si denique momenta sint æqualia, æqualis erit probabilitas.

---

quæ quidem causa fuit, cur Zacharias Rom. Pont. Epist. 10. ad Bonifacium damnarit doctrinam Virgilii cujusdam asserentis, *quod alius mundus, & alii homines sub terra sunt.* Denique si Luna habitatores habet, quare non Venus, non Saturnus, non Mars, non Jupiter, non Stellæ fixæ? Itaque tantum abest, ut sententia adderens esse habitatores in Luna, sit probabilis, quin potius ea est aperte falsa; adeoque sententia negans habitatores Lunæ, non improbabilis, sed vera est. Confer Gravesandium Introd. ad Phil. l. 2. p. 1. c. 17. ubi postquam docuit §. 621. nullam esse probilitatem, si numerus eventuum sit infinitus; §. 623. ait, probabilitatem, in Planetis dari incolas, esse ad certitudinem, ut est unitas ad numerum usuum, quibus Deus Planetas destinare potuit, qui numerus est infinitus; adeoque nullam probabilitatem esse.

(1) In materia morum, ii qui *Probabilismum* tuebantur, hoc est, licere sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, vix credi potest, quot vocis invenerint, ut sua probabilitate peccata excusarent. Partiti sunt probabilitatem in *directam*, & *reflexam*, in *certam probabilitatem*, & *probabiliter probabilem*, in probabilitatem *simultatis*, & *simultatem* probabilitatis, *in positivam*, *negativam*, *proximam*, *radicalem*, *actualem*, *discretam*, *benignam*, *rigidam*, &c. Sed paucis cum Lactantio l. 3. Inst. c. 15. dicam: *Quid potest esse tam falsum, quam regulam vitæ* Probabilitatem *vocari*, *in qua diversitas præceptorum rectum iter impediat, ac turbet? Aut legem bene vivendi, cujus capita longe dissonant?* De hac autem re ad Moralis doctrinæ tractatores.

(2) Maximæ probabilitatis, & certitudinis moralis exemplum ponit Genuensis cum Log. Ital. l. 3. c. 2. §. 12. ait » Dio si servì di una Co» meta per inondare la terra.“ *Deus Cometa usus fuit ad inundationem telluris.* Ita his homo comparatus est, ut etiam cum vera docet, novitatem, & falsitatem studeat instillare. Quam sit falsa hypothesis de diluvio per Cometam à Deo inductum, constat 1. quia Wisshonus, qui hanc hypothesim primus excogitavit in sua *Nova Theoria Telluris*, non ausus est eam defendere ut thesim, sed ut meram hypothesim proposuit. Et licet postea eamdem demonstrare fuerit aggressus in Tractatu inscripto: *Casa diluvi demonstrata*; revera tamen demonstrare non potuit, nisi multas alias supponeret hypotheses, de motu telluris, de vi attractionis, de approximatione ficti hujus Cometæ ad tellurem, & quod approximatio illa contigerit eo die, quo diluvium incœpit; quæ omnia nullo stabili argumento probari possunt, præsertim approximatio

1186 Constat quoque, propositionem uni improbabilem posse alteri esse probabilem, imo probabiliorem, prout unus præ altero momenta perpendit. Insuper posse esse falsam in seipsa propositionem, quæ nobis videtur pobabiliter, imo probabilius vera. Et contra posse esse veram in seipsa propositionem quæ nobis videtur etiam probabilius falsa; cum enim momenta quibus nituntur, non sint evidenter certa, possunt uni præ altero videri accedere magis, vel minus ad certitudinem, vel esse falsa, cum vera censentur.

1187 Probabilitas autem duplex est, *intriseca* scilicet & *extrinseca*. Intrinseca oritur ex momentis, sive rationibus; eo-

---

dato illo die, imo hora, & momento; quis enim id poterit constituere in tanta varietate motuum Cometarum; qui celebriores Astronomos defatigarunt? Constat 2. ex ipsa novitate hujus hypothesis: nam in explicandis Sacræ Scripturæ testibus, Traditio facem præferre debet, & quæque explicatio quæ novitatem præsefert, eo ipso suspecta haberi debet, quod nova sit. Constat 3. ex Scripturæ verbis: nam Gen. 7. v. 11. dicitur: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt.* Super quæ verba Chrisostomus Hom. 25. in Gen. *Omnia*, inquit, *juxta humanam consuetudinem loquitur: non quod cataractæ, & fenestræ sint in cœlo, sed omnia per familiaria nobis verba loquitur, quasi diceret: Præcepit tantum Dominus, & statim aquarum natura mandato Conditoris obedivit, & ut confluxit, totum orbem inundavit.* Quid ergo opus erat Cometa, ut diluvium induceretur, cum inundatio illa contigerit Deo jubente, ut aquæ confluerent? Constat 4. quia ut idem Wisthonus ait, Cometa ille fuit idemmet qui denuo apparuit anno 1688. (Vide quam fidenter hoc adserat, quasi vel ipse vixerit tempore diluvii, vel ab aliquo tunc vivente acceperit phænomena illius cometæ, ut posset ea conferre cum phœnomenis Cometæ qui anno 1688. apparuit) Jam vero, posita eadem causa naturali, ac necessaria, ponitur idem effectus. Cur ergo anno 1688. non contigit denuo diluvium? An non ita proximus telluri cometa fuit? Sed quibus rationibus id suadebit? An Deus per miraculum effecit, ne denuo terra diluvio inundaretur? At miracula non placent junioribus philosophis, cum explicandæ sunt res naturales. Denique Wisthoni sententia amplissimum in Sacrarum Scripturarum interpretatione ariolandi ostium aperit, vanisque conjecturis indulgendi, ac prodigia rejiciendi. Vide not. 2. §. 793. sq. Genuensis autem meminerit, se docuisse Log. Ital. l. 3. c. 2. §. 6. *probabilitatem esse hypotheticam, si totum ponatur datum per hypothesim.* Cum ergo sententia Wisthoni, ut ex dictis patet, tota nitatur hypothesi, probabilitas, si stemus principiis Genuensis ad summum erit hypothetica. Quomodo igitur ibi §. 12. maximæ probabilitatis, & certitudinis moralis exemplum ponit in Cometa, quo Deus sit usus ad inundationem telluris?

que major est, quo momenta sunt firmiora, seu magis accedunt ad cirtitudinem. Extrinseca nititur Doctorum, sive Historicorum auctoritate; estque major non pro Doctorum, & Historicorum numero, & multitudine, præsertim si unus alterum descripserit, ut sæpe contingit: sed pro majori illorum auctoritate, quæ est in ratione eorum doctrinæ, & capacitatis. Quare auctoritas aliquando unius doctissimi hominis præferri debet auctoritati plurium mediocriter Doctorum.

1188 His constitutis, videtur probabilitas æstimanda ex juditio sapientum: nam Aristoteles (1) probabilia definiens, ait esse illa, *quæ videntur omnibus, vel plurimis, aut sapientibus, & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maxime probatis.*

1189 II. Ea quæ ad historiam pertinent, aliter sciri non possunt, quam ex aliorum relatione. Hæc igitur saltem æstimanda sunt non ex ratione, sed ex auctoritate.

Propositio. I. *Probabilitas potissimum æstimanda est ex pondere rationum, non ex auctoritate sola.* II. *Expedit autem, ut accedat etiam auctoritas.*

1190 Prob. 1. p. Et quidem de probabilitate intrinseca plane constat: nam ex dictis (2) hæc oritur ex momentis, sive rationibus intrinsecis. De extrinseca vero patet etiam, quippe auctoritas, cui illa nititur, nulla est, nisi in ratione fundetur. Fac enim, auctoritatem in nulla ratione fundari, jam crederemus auctoritati dicentis, quia ipse dicit. Quisquis autem aliquid dicit, non ideo censendus est verum dicere, quia ipse dicit (hoc enim solius Dei est, qui est ipsa veritas) sed quia ostendit, se verum dicere, aut id quod est simile vero. Nisi ergo auctoritas in ratione fundetur, nulla erit probabilitas. Hæc igitur æstimari debet non ex sola auctoritate, sed ex pondere rationum (3).

---

(1) 1. Top. c. 1.

(2) §. 1187.

(3) Harum rationum probabilium fontes diversi sunt pro diversitate rerum. In rebus Theologicis fontes sunt Divinæ Scripturæ, & Traditiones, Ecclesiæ, & Conciliorum Decreta, Definitiones Romanorum Pontificum, consensus omnium, vel fere omnium Theologorum. Si ab his fontibus probabilitas in Theologia manet, probabilitas erit intrinseca; nam hi sunt ejus intrinseci fontes. Similiter in Jurisprudentia fontes intrinseci sunt leges; proinde si interpretes ex legibus sententiam

1191 Prob. 2. p. Si quæ sententia sit, quæ videatur habere rationes illam probantes, quæ tamen à sapientibus viris expensæ, iis minime suadere potuerunt, ut sententiam illam amplecterentur, putandum est, rationes illas esse admodum leves, nihilque probantes. Cum autem sæpissime contingat, ut rationes, si quas invenimus, videantur nobis magni ponderis esse, cum tamen levissimæ sint, vel etiam nullæ; idcirco ad æstimandam probabilitatem etiam intrinsecam, maxime expedit, ut accedat sapientum auctoritas (1); difficilius enim est, plures viros doctrina præstantes in iisdem rationibus expendendis fuisse deceptos.

1192 Hinc patet solutio ad primum: nam Aristoteles loquitur quidem de probabilitate extrinseca; innuit tamen, hanc signum esse probabilitatis intrinsecæ, cum vel plurimis, vel omnibus, vel sapientibus ita videtur (2).

1193 Ad secundum respondemus, etiam in factis historicis debere intellectum ratione aliqua niti (3), ut judicare possit magis vel minus probabiliter vel etiam certo moraliter, historicum vera narrasse (4).

---

aliquam probabiliter eruant, hæc erit in ratione intrinseca momenti probabilitatis. In Physica fontes intrinseci sunt experimenta, & rationes. Rationes quoque sunt fontes intrinseci Metaphysicæ, & Ethicæ. Itaque ex hisce fontibus derivandi sunt gradus probabilitatis.

(1) Si Doctor sit maximæ auctoritatis in re de qua agitur, ejus judicio stare possumus, etiamsi aliquæ probabiles, rationes in contrarium sese offerant; est enim putandum, talem Doctorem sententiam non pronunciasse absque efficacibus momentis, quæ majoris sint ponderis, quam rationes ille probabiles.

(2) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 31.

(3) Vide quæ diximus q. 25. a. 3.

(4) Esset hic agendum de sententia seligenda, cum duæ sese offerunt opiniones, quarum una est probabilis altera probabilior, aut utraque æque probabilis. Verum quia hæc quæstio potissimum locum obtinet in rebus moralibus, ab ipsa modo supersedemus. Breviter autem dicimus, unumquemque debere in seligenda sententia eam sequi quæ magis vero appropinquare videtur, cum de veritate non constat; alioqui aget contra rationem; cum enim ratio in veritatem tendat; contra rationem agit, qui relicta sententia quæ magis videtur ad veritatem accedere, sequitur illam, quæ videtur ad veritatem minus accedere. Si autem propositiones sint æquæ probabiles, in moralibus quidem debemus sequi tutiorem, quæ magis recedit à periculo peccandi; in reliquis sequi possumus eam quam volumus.

ARTICULUS II.

Utrum opinio compati possit cum scientia.

1194 Opinio, quam probabilitas gignit, definitur, *assensus præstitus alicui rei ob rationem probabilem, cum formidine partis oppositæ* (1). Ex eo quod dicitur *assensus ob rationem probabilem*, difert opinio à scientia, quæ est assensus ob rationem certam & evidentem. Difert etiam à suspicione, quæ est assensus in alterutram partem ex levi aliquo signo. Difert à dubitatione, quæ est cogitatio sine determinato assensu alterutri parti. Difert à fide, quæ est assensus cum firma adhæsione ob auctoritatem dicentis (2).

1195 Triplex autem comparatio fieri potest opinionis cum scientia: 1. comparando actum opinionis cum actu scientiæ: 2. comparando habitum opinionis (seu inclinationem quamdam relictam in intellectu ex actu opinionis ad assentiendum ob rationem probabilem) cum habitu scientiæ, qui est inclinatio quædam ex actu demonstrationis in mente relicta ad assentiendum ob rationem certam, & evidentem: 3. comparando habitum opinionis cum actu scientiæ, vel econverso.

1196 Videtur autem opinio compati posse cum scientia: I. quia potest mens veritatem cognoscere per medium certum, & evidens, & eamdem cognoscere per medium probabile; quemadmodum demonstramus Deum esse, quia debet esse prima causa, à qua cæteræ dependent; & eamdem Dei existentiam probamus ex consensu omnium gentium; quæ quidem probatio ad demonstrationis vim non pertingit.

1197 II. Nihil prohibet, quominus eadem res cognoscatur per diversas causas, quasdam necessarias, quasdam contingentes. Atqui cognitio per causas necessarias inducit scientiam, per causas contingentes opinionem. Ergo.

1198 III. Qui habet scientiam alicujus propositionis, potest eam cognoscere ratione probabili, non quod de propositionis veritate formidet, sed de connexione medii probabilis cum ipsa propositione. Potest igitur mens de eadem propositione habere opinionem, & scientiam per diversa media.

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 4.
(2) Vide ib. q. 2. a. 1.

Propositio I. *Actus opinionis nequit compati in eodem intellectu circa idem objectum cum actu scientiæ.* II. *Et similiter nec habitus opinionis cum habitu scientiæ.* III. *Potest tamen actus opinionis compati cum habitu scientiæ.* IV. *Non vero habitus opinionis cum actu scientiæ, si actus scientiæ producat habitum.*

1199 Statuitur adversus Nominales, & Du-Hamelium (1). Diximus autem *in eodem intellectu, & circa idem objectum*: nemo enim dubitat, quin eadem veritas possit ab uno demonstrative, ab altero opinative, cognosci. Et quin similiter possit idem intellectus unius rei habere scientiam, alterius opinionem.

1200 Prob. 1. p. Fieri non potest, ut mens simul sit omnino certa, & incerta ejusdem rei. Sed actus scientiæ est cum omnimoda certitudine conjunctus, ut dictum est (2): actus opinionis cum incertitudine, ut diximus (3). Fieri ergo non potest, ut in eodem intellectu ejusdem objecti sint simul actus scientiæ, & opinionis (4). Neque diversa media sufficiunt; nam omnimoda certitudo, & incertitudo ita sunt opposita, ut si conjugi possent, oporteret, mentem simul judicare, rem non posse aliter se habere, & simul posse aliter se habere: quod plane repugnat.

1201 Prob. 2. p. Quotiescumque actus aliqui opponuntur inter se, seseque mutuo excludunt, opponuntur etiam, seseque excludunt habitus ad eosdem actus inclinantes; quippe inclinationes ideo dicuntur oppositæ, quia sunt ad actus oppositos. Ergo si actus opinionis, & scientiæ compati nequeunt in eodem intellectu circa idem objectum, ut dictum est (5) nec compati possunt habitus opinionis, & habitus scientiæ (6).

1202 Prob. 3. p. Nihil prohibet, quominus actus inveniatur cum inclinatione ad actum oppositum; quemadmodum qui est habitualiter injustus, potest aliquem actum justitiæ eli-

(1) Log. part. 3. q. 3.
(2) §. 1135. (3) §. 1194.
(4) S. Thom. 1. Poster. lect. 44. *Non contingit omnino*, inquit, *simul scire, & opinari, quia simul homo haberet existimationem, quod posset aliter se habere, & quod non posset aliter se habere.* Vide 2. 2. q. 1. a. 5. ad 4. & q. 14. de ver. a. 9. ad 6.
(5) §. 1200.
(6) Vide S. Thom. 1. Poster. lec. 20. & 44.

cere ; siquidem actus, & habitus directe non opponuntur (1). Potest igitur actus opinionis compati cum habitu scientiæ in eodem intellectu circa idem objectum ; neque proinde habens habitum scientiæ, & eliciens actum opinionis, amittit habitum scientiæ.

1203 Prob. denique postrema pars. Si habens habitum opinionis circa aliquod objectum, eliciat veram demonstrationem, hac ipsa generatur habitus scientiæ, ut supra diximus (2). Sed habitus scientiæ nequit esse cum habitu opinionis, ut dictum est (3). Habitus igitur opinionis nequit simul essse cum actu scientiæ (4), si actus scientiæ generet habitum.

1204 Ad primum respondemus, medium certum, & evidens dupliciter comparari posse cum medio probabili : 1. absolute, ita ut mens per medium certum, & evidens veritatem clare cognoscat, sitque illius plane convicta ; per medium autem probabile eamdem veritatem non plane videat, ac de ipsa formidet : 2. non quidem absolute, sed reflexe, videlicet, judicando, rem quidem esse omnino certam, ac veram, quia per medium certum, & evidens demonstratur ; sed tamen eamdem rem posse etiam cognosci per medium probabile. Prior ille modus omnino repugnat ; nam intellectus simul esset, & non esset convictus ejusdem veritatis, eamdemque simul pro certa, & incerta haberet. Posterior autem modus non repugnat quidem ; sed tunc cognitio reflexa per medium probabile, non est opinativa, sed certa, nec versatur circa eamdem veritatem, sed circa diversam. Nam quod propositio aliqua ut illata ex præmisis probabilibus sit probabilis, est judicium certissimum, quia non fertur circa illam veritatem illatam, sed circa ejus illationem, quam certum est esse in-

(1) Confer S. Thom. 2. 2. q. 175. a. 3. ad 3.

(2) §. 193. Etenim quælibet demonstratio quæ vera est, intellectum convincit, qui non potest veritatem certam, & evidentem respuere, ideoque habitum generat. Non quilibet autem actus opinionis sufficit ad generandum habitum ; opinari enim est actus imperfectus : ut autem ex actibus imperfectis generetur habitus, plures actus requiruntur ; & idcirco actus quidem opinionis potest esse cum habitu scientiæ, non autem actus scientiæ cum habitu opinionis.

(3) §. 1201.

(4) Vide S. Thom. 2. 2. q. 24. a. 12. Nam licet actus scientiæ directe non opponatur habitui opinionis, opponitur tamen indirecte ; quippe actus scientiæ statim producit habitum scientiæ.

certam (1). Et per hæc patet responsio ad secundum, & tertium argumentum.

ARTICULUS III.

Utrum fides compati possit cum scientia.

1205 Videtur compati posse : I. quia Theologia revelata est vera scientia, ut probat S. Thomas (2), & nihilominus potest esse cum Fide; nam principia Theologiæ revelatæ sunt articuli Fidei.

1206 II. Sapientes Catholici non solum credunt Dei existentiam, & animæ humanæ spiritualitatem, & immortalitatem, sed etiam demonstrant; ideoque non tantum fidem, sed etiam scientiam habent harum veritatum. Si autem ex quo demonstrant, illarum fidem non haberent, deterioris conditionis essent, quam imperiti : nam sicut divina auctoritas quacumque demonstratione, ita fides divina certior est quacumque scientia.

1207 III. Apostolus ait (3) : *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Sed Deum esse, & esse remuneratorem scimus etiam per demonstrationem. Potest igitur fides compati cum scientia.

Propositio. I. *Neque Actus Fidei potest esse in eodem intellectu circa idem objectum cum actu scientiæ.* II. *Neque habitus Fidei cum habitu scientiæ.* III *Potest tamen compati actus Fidei cum habitu scientiæ.* IV. *Et actus scientiæ cum habitu Fidei, si actus scientiæ non generet habitum.*

1208 Prob. 1. p. Actus Fidei sive Divinæ, sive humanæ essentialiter est inevidens, actus scientiæ, quæ est per demonstrationem, essentialiter est evidens; qui enim scit per demonstratio-

(1) De hoc posteriori modo loquitur S. Thomas, cum scribit 3. p. q. 9. a. 3. ad 2. *Opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam; quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus.*

(2) 1. p. q. 1. a. 2. (3) Hebr. 11. v. 6.

nem, evidenter cognoscit rem scitam : qui autem credit, non cognoscit evidenter rem creditam (1). Si ergo in eodem intellectu circa idem objectum essent simul actus Fidei, & actus scientiæ, idem objectum esset actu simul evidenter, & inevidenter cognitum : quod esse non potest ; nam evidentia destruit inevidentiam.

1209 Prob. 2. p. Sicut actus scientiæ est cum actuali evidentia, & actus fidei cum actuali inevidentia conjunctus ; ita habitus scientiæ cum evidentia habituali, & permanente, habitus fidei cum inevidentia habituali, & permanente. Sed nihilominus evidentia actualis opponitur inevidentiæ actuali, sicut evidentia habitualis inevidentiæ habituali. Ergo qua ratione actus Fidei non potest esse cum actu scientiæ, eadem nec habitus Fidei cum habitu scientiæ.

1210 Prob. 3. p. Actus, & habitus directe non opponuntur, ut supra dictum est (2). Potest igitur contingere, ut intellectui habenti habitum scientiæ, nec animadvertenti ad medium demonstrativum, occurrat tantum id quod Fides proponit : tunc vero eliciet actum Fidei. Actus igitur Fidei potest compati cum habitu scientiæ in eodem intellectu circa idem objectum.

1211 Denique quo dactus scientiæ possit esse cum habitu Fidei, si actus scientiæ non generet habitum, constat ex eo quia eo modo expellitur Fides, quo modo inducitur scientia. Si ergo scientia tali modo introducatur, ut non generet habitum (3), non expellitur habitus Fidei, sed tantum expellitur Fidei actus.

1212 Ad primum respondemus, Theologiam revelatam esse quidem scientiam, non quæ demostrat ex principiis per se notis, sed quæ credit principia sibi revelata à Deo (4), & ex his procedit ad alia probanda (5) ; quare neque ejus principia sunt evidentia, neque

---

(1) Nam ut ait Apost. Hebr. 11. v. 1. Fides est *argumentum non apparentium.* » Si vides (inquit S. Augustinus Tract. 68. in Joan.) jam » non est fides. " Et S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 5. ad 4. » Ea ratione non » potest simul idem, & secundum idem esse scitum, & creditum ; quia » scitum est visum, & creditum est non visum. "

(2) §. 1202.

(3) *Secundum hoc* (inquit S. Thomas q. 13. de ver. a. 2. ad 5.) *quod in Paulo fuit visio Dei per essentiam, non fuit ibi fides : fuit autem visio Dei per essentiam secundum actum, non secundum habitum gloriæ. Unde e contrario actus fuit ibi secundum habitum fidei, non secundum actum.* Quam quidem doctrinam Angelicus accepit ex S. Augustino Epist. 147. al. 112. c. 13. & l. 12. de Gen. ad litt. c. 28.

(4) S. Thomas 1. p. q. 1. a. 2.

(5) Ib. a. 8.

evidentes sunt conclusiones ex iis illatæ. Nunc autem loquimur de scientia quæ per demonstrationem procedit ex principiis evidentibus, exque ipsis evidentes conclusiones infert.

1213 Ad secundum respondemus cum S. Thoma (1), sapientem Catholicum, qui scit demonstrare Dei existentiam, & animi spiritualitatem, & immortalitatem, has veritates non tenere per fidem, sed per scientiam; hæ siquidem, & aliæ consimiles veritates sunt *præambula fidei* (2). Neque propterea conditio sapientis catholici deterior est conditione imperiti; nam scientia sapientis catholici magis ac magis confirmatur auctoritate divina (3), isque ita paratus animo est, ut nisi per demonstrationem sciret, crederet Deo revelanti.

1214 Ad tertium dicimus, Apostolum vel esse intelligendum de Deo ut auctore, & remuneratore supernaturali; vel si intelli-

---

(1) Ib. q. 2. a. 2. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod Deum esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos. Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet, illud, quod secundum se demonstrabile est, & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit.* Quæ causa fuit, ut *ad ea etiam quæ de Deo ratione humana investigari possunt, homo instrueretur revelatione divina: quia veritas de Deo per rationem investigata, à paucis, & post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret*, ut idem S. Thomas advertit ib. q. 1. a. 1. Vide Origenem l. 1. con. Celsum, & S. Augustinum l. de util. credendi c. 10. & l. con. Epist. fundam. c. 4. Vide etiam S. Cyrill. Hieros. Catech. 5. n. 10. & S. Justin. Mart. in Cohort. ad Græc. n. 8. & Tertullianum l. de anima c. 2.

(2) Confer S. Basilium Epist. 235. al. 401. *Nos*, inquit, *dicimus generatim quidem in disciplinis fidem cognitioni præire: at in nostra doctrina si quis dicat præire cognitionem fidei, non contendemus.... In fide, quæ circa Deum versatur, præit illa cogitatio, Deum esse: hanc autem ex creaturis colligimus.*

(3) S. Thomas 1. con. Gentes c. 4. *Inter multa*, inquit, *vera quæ demonstrantur, immiscetur aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet; ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse, & absque dubitatione, & errore.*

gatur de Deo auctore naturæ, quod ait *credere*, explicandum est non de ipsa fide, sed de præambulis fidei (1).

QUÆSTIO XXXI.

De Fallaciis.

3215 Pervenimus ad eam Logicæ partem, quæ de sophismatibus agit, sive de argumentationibus captiosis (2). Quamvis autem sophismatum usus reprehendatur, si fiat animo decipiendi (3); nihilominus eorum cognitio utilis est: 1. ut nos ipsi in rebus expendendis sine errore procedamus (4): 2. ut aliorum sophismata deprehendamus: quod præcipue necessarium est adversus hæreticos, & impios homines, qui hac arte suos errores propagare nituntur (5). Deceptio autem in argumentatione duobus modis contingere potest, uno modo, quia non servatur debita argumentationis forma, quod dicitur *peccare in forma*; alio modo, quia argumentatio procedit ex falsis quod dicitur *peccare in materia*. Argumentatio autem peccans in forma, appellatur *Paralogismus*, id est, apparens syllogismus (6). Sophismata autem ad utramque deceptionem reducuntur. Sophismata igitur alia sunt *in dictione*, alia *extra dictionem*. Quæremus ergo: 1. de fallaciis in dictione: 2. de fallaciis extra dictionem.

---

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 5. ad 5.

(2) Sophismata proprie dicuntur, ut inquit S. Augustinus l. 2. de Doct. Christ. c. 31. *falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant..... Quamquam & sermo non captiosus, sed tamen abundantius quam gravitatem decet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicitur.*

(3) De quo Eccli. 37. v. 23. *Qui sophistice loquitur, odibilis est.*

(4) Cum nemo velit seipsum decipere, nemo sophismata conficit, ut seipsum, sed ut alios, in errores inducat; quisque tamen potest errare, & in sophismata labi, quamvis non ex animo decipiendi seipsum, vel alios. Facile autem ille cognoscit errores, qui unde sint orti, potest demonstrare: nec in sua lucubratione facile hallucinabitur, neque aliorum fallaci conclusione facile implicabitur, qui veri falsique rationes omnes notas, ac perfectas habuerit.

(5) Vide S. Irenæum in Præfat. l. 1. adv. hær. & l. 3. c. 40. & Tertulianum l. con. Hermog. c. 1. & Nazianzenum Orat. 26.

(6) Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 22.

ARTICULUS I.

Utrum recte enumerentur sex loci sophistici in dictione.

1216 Sex ii loci sunt, æquivocatio, amphibologia, compositio, divisio, accentus & figura dictionis (1). *Æquivocatio*, Græce *Homonymia*, est unius, & ejusdem nominis diversa significatio; quæ quidem significatio diversa potest esse, vel quia una dictio principaliter significat plura (2); vel quia una dictio duo significat, alterum proprie (3), alterum me-

---

(1) S. Thom. Opus. 39. c. 2.

(2) Fides v. g. est terminus æquivocus; quandoque enim accipitur pro vehementi opinione. Cicero Par. 8. *Fides est firma opinio.* Quandoque pro scientia. Idem ib. 31. *Argumentum est ratio rei dubiæ fidem faciens.* Quandoque pro veritate. Idem 1. de Offic. 8. *Fides est fundamentum justitiæ.* Quandoque pro conscientia. Rom. 14. v. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quandoque pro virtute Theologali, seu pro habitu infuso Fidei, sive sit fides formata per charitatem, sive informis. Vide S. Thomam in 3. d. 23. in exposit. tex. ubi de his diversis Fidei acceptionibus agit. Quandoque pro tutela, & patrocinio. Cicero 1. de Offic. 124. *Jura fidei magistratum* nominat. Quandoque pro fiducia, seu certa spe. Matt. 8. v. 26. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Ex quibus diversis acceptionibus diversa sophismata prodierunt. Nam Bajus ex adductis Apostoli verbis: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, inferebat, omnia opera infidelium esse peccata. Protestantes vero ex eo quod fides aliquando accipitur pro fiducia, docent, fidem ad salutem necessariam, esse fiduciam, qua quis credat, sibi remissa esse peccata, vel esse de prædestinatorum numero. Vide Conc. Trid. sess. 6. cap. 9. & can. 12. sqq. Genuensis autem Log. Ital. l. 4. c. 5. §. 3. Protestantes redarguit, quod ex æquivocatione peccarint, cum ex eo quod dicitur Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, concludebant, sola fide speculativa hominem posse salvari; nam *fides*, ait, *sæpius obedientiam significat divinis præceptis.* Non ita S. Augustinus, qui ser. 71. al. 11. de ver. Dom. c. 10. *Cum diceret*, inquit, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, non omnes credentes, & baptizatos, sed quosdam intuebatur: in ea, scilicet, constitutos fide, quæ Apostolo distinguente, per dilectionem operatur.* Hæc vera responsio est, quæ protestantes refellit, non illa qua utitur Genuensis.

(3) Vox *peccatum* proprie significat culpam, minus proprie hostiam piacularem. Hinc intelligitur illud Apostoli 2. Cor. 5. v. 21. *Qui non*

taphorice (1); vel quia diversitas provenit ex diversa consignifi-

noverat peccatum, *pro nobis fecit peccatum.* Vide S. August. l. 2. con. Maximin. c. 2.

(1) Genuensis Log. Ital. l. 4. c. 5. §. 23. » Si son dette, *inquit*, in» finite cose sconcie su l' idea, ch' ebbero gli antichi Romani della *Gius*» *tizia*, per non awertire, che la parola *justus* non fu da prima, che » parola di *misura.* Un *vir justus* era un uomo di giusta statura, *justæ* » *nuptiæ* erano nozze cui non mancava nulla delle unsita solemnita.... » Poi per metaphora si applicò al *Morale.* " *Pene infinita inepte dicta sunt de idea* justitiæ, *quam veteres Romani habuerunt*, *quia non fuit animadversum*, *hoc verbum* justus *ab initio non aliud quam* mensuram *significasse. Vir* justus *erat vir staturæ congruentis* : justæ nuptiæ *erant illæ*, *quibus nullæ deerant consuetæ solemnitates.... Deinde per metaphoram translatum fuit ad res morales.* Unde hanc peregrinam interpretationem Genuensis hauserit, minime dicit : demonstrare autem debebat testimoniis veterum Latinorum : nam quis illi sine testibus credet? Leges XII. Tabularum apud Romanos antiquissimæ erant. *Plurima*, inquit Cicero 1. de Orat. *in XII. Tabulis antiquitatis effigies*, *quod & verborum prisca vetustas cognoscitur.* In XII. autem Tabulis hæc inter alia præscripta erant : *Quæque augur* injusta, *nefacta vitiosa*, *dira defixerit*, *irrita infectaque sunto* : *quique non paruerit*, *capital esto.* Item. *Præter Ideæ martis famulos*, *eosque* justis *diebus*, *ne quis stipem cogito.* Item. *Deorum manium* jura *sancta sunto. An* hæc ad *Moralia* pertineant, aliorum esto judicium ; nam quomodo *capitalis* pœna præscribi potuissent, nisi *injusta* ab Augure defixa ad *Moralia* pertinuissent? Vide Gellium l. 3. c. 14. ubi & Messalæ auguris testimonium profert. Qua etiam ratione fuisse prohibitum quis intelliget, ne præter Ideæ matris famulos (hoc est, Sacerdotes, qui menstruas purificationes, ut in mysteriis Eleusinis, nono cujusque mensis die celebrabant Phrygiæ deæ, quam Troes prope Idam montem colere cœperunt teste Strabone l. 10.) eosque *justis diebus* quispiam alius stipem cogeret, nisi *justi dies* intelligantur dies à lege præstituti, ut stipes à Sacerdotibus colligerentur? Ovidius Fastorum 4.

Contulit æs populus, *de quo delubra Metellus*
Fecit, *ait*, *dandæ mos stipis inde manet.*

Tandem qui sancta erant *jura* manium, si justum, & justitia nihil aliud quam *mensuram* antiquis Romanis significabant? Explicet præterea Genuensis, quid sibi vellet apud veteres Romanos *justus comitiorum rogator*, de quo Cicero 1. de Divinat. Quid *justius* quod curiata dabatur lege, de quo Gellius loc. cit. Quid *jus proferendi pomœrii*, de quo idem Gellius ib. In his veterum Romanorum verbis nihil erat, quod non ad *Moralia* pertineret, auspicia enim pars erant superstitiosæ eorum religionis. Quod si verba illa per metaphoram ad *Moralia* deflectebantur in XII. Tabulis, auferat Genuensis testimonia iis anti-

catione, secundum tempus, numerum, genus, & consimilia accidentia partium orationis (1). Si homonymia sit, argumentatio non concludit, quia cum medius terminus in præmissis non eodem modo accipiatur, jam non est unus, sed duplex; ideoque in argumentatione non sunt tres, sed quatuor termini. Debet igitur vox æquivoca in plures sensus distingui, & propositio concedi in eo sensu, in quo vera est; in altero, in quo est falsa, negari (2). Ita enim distinguentes, quartum eliminabimus terminum, qui omnem fallaciam parit. Homonymiæ sophismata sunt pene innumera; cum enim nomina sint pauciora quam res, eadem vox pluribus rebus significandis accomodatur; indeque homonymiæ existunt.

1217 Ambiguitas, quam Græci ἀμφιβολίαν vocant fit, cum orationis est ambigua sententia (3), ut hæc Apollinis responsio ad Pyrrhum apud Ennium.

Ajo te Æacida Romanos vincere posse (4).

Incertum enim, num Pyrrhus Romanos, an Romani Pyrrhum essent bello victuri. Ambiguitates tres sunt modi: 1. cum una oratio per se multa significat (5): 2 cum una oratio

---

quiora, quibus eadem verba probentur accepta proprie ad significandam *mensuram*.

(1) Vide S. Thom. Opusc. cit. c. 3.

(2) Clemens Alex. Strom. 1. *Quomodo*, inquit, *non utile sit distinguere voces ambiguas, & quæ æquivoce dicuntur in ambobus Testamentis? Nam ex ambiguitate Dominus diabolum, cum ab eo tentaretur, sapienter elusit.*

(3) Magnam locus hic affinitatem habet cum superiori; nam sicut æquivocatio provenit ex eadem dictione plura significante, ita amphibologia ex eo quod eadem oratio plura significat. Vide S. Thom. loc. cit. c. 4.

(4) Cicero l. 2. de Divinat. » Quis est, *inquit*, qui credat, Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum: *Ajo te Æacida Romanos vincere posse*? Primum Latine Apollo numquam loquutus est: Deinde ista sors inaudita Græcis est; præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat. " Eadem cum Cicerone Minutius in Octavio. Theodoretus autem ser. 10. con. Græc. ostendit fuse, multos oraculorum ambiguitate fuisse deceptos.

(5) Hac arte fuit usus Pelagius ad decipiendum Patres Synodi Diospolitanæ, & hujusmodi dolo fuit absolutus Vide S. August. Epist. 177. al. 95. n. 2. Hac etiam arte Origenistæ utebantur. S. Hieronymus in Epist. ad Pammachium, & Oceanum: *Sic verba*, inquit, *temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem teneant.... Credimus, inquiunt, Resur-*

plura significat propter diversam ordinationem partium ex varietate grammaticalis constructionis (1) : 3. cum una oratio unum significat proprie, aliud metaphorice (2). Et in hisce amphibologiæ speciebus illegitime concluditur, quia in argumentatione sunt plures quam tres termini. Ambiguitas igitur distinctione tollitur (3).

1218 Sequitur fallacia compositionis, & divisionis. Illa ducitur ex prava orationis conjunctione, cum id quod debebat separari, male conjungitur (4) : hæc, cum id sejungitur, quod conjungi debebat (5) ; sive cum mutatur sensus divisus in compositum, vel compositus in divisum (6). Dum hæc fit

---

rectionem futuram corporum. Hoc si bene dicatur, pura confessio est. Sed quia corpora sunt cœlestia, & terrestia, & aer iste, & aura tenuis juxta naturam suam corpora nominantur : corpus ponunt, non carnem, ut Orthodoxus corpus audiens, carnem putet : hæretlcus spiritum recognoscat. Hæc est eorum prima decipula, quæ si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos. Frequens hæc est hæreticorum fraus.

(1) De qua S. Augustinus l. 3. de Doct. Christ. c. 4. » Qualis illa est, » *inquit*, ad Thessalonicenses (1. Thess. 3. v. 7.) *Propterea consolati* » *sumus fratres in vobis.* Dubium est enim, utrum, *ô fratres*, an *hos* » *fratres* : neutrum autem horum est contra fidem. "

(2) Sic illud Luc. 10. v. 4. *Neminem per viam salutaveritis*, ad modum proverbii est intelligendum, pro maxima, scilicet, in itinere conficiendo celeritate. Quod si quis neminem salutandum, qui obviam veniat, ex illo præcepto Christi, concluderet, sophisma conficeret.

(3) Quod ad ambiguitates Sacrarum Scripturarum pertinet, habenda præ oculis est regula S. Augustini loc. cit. scribentis : *Rarissime, & difficillime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros Divinarum Scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ solvat inspectio.*

(4) Si quis dicat v. g. 5 componitur ex 2 & 3. Sed 2 & 3 sunt numeri pares, & impares. Ergo 5 est numerus par & impar ; peccat fallacia compositionis. Vide S. Thom. Opusc. 39. c. 5.

(5) A sensu diviso ad sensum compositum arguebant Pelagius, & Calvinus ; Pelagius quidem negans necessitatem gratiæ, ut adsereret liberum arbitrium ; Calvinus vero negans liberum arbitrium ut adsereret efficaciam gratiæ.

(6) His duobus locis omnia fere subjiciuntur sophismata, quæ ex corruptis Auctorum testimoniis, aut male interpretatis existunt. Ne illis irretiamur, compositionis fallacia divisione ; divisionis fallacia compositione dirimenda erit, id est, detrahendum erit, quod est additum, & addendum quod est detractum, ac legitima interpretatio adhibenda est.

mutatio, nihil concluditur, quippe argumentatio plus quam tribus terminis constat.

1219 Accentus fallacia admititur, cum dictionis mutata quantitate, vel orthographia, ipsa quoque significatio permutatur (1): ut *ambitus* media circumflexa significat ambitionis crimen: *ambitus* vero, prima elevata, notat circuitum. Item liber, & populus aliud significant prima longa, aliud prima brevi (2). Similiter ara, & hara, abitus, & habitus, mutata orthographia, mutant significationem (3). Hujus quoque vitium tollitur, cum quartum terminum distinctione rejicimus.

1220 Denique fallacia figuræ dictionis est *deceptio proveniens ex eo quod aliqua dictio similis alteri dictioni, videtur habere eumdem modum significandi, cum tamen non habeat* (4).

---

(1) Ex variatione accentus fieri hæreses, constat ex voce *Theotocos*, quæ si proferatur cum accentu in penultima, significat Deiparam; si cum accentu in antepenultima, significat ex Deo genitum. Ita Nestorius suam perfidiam occultabat in Epist. 2. ad Sanctum Cœlestinum PP. Tom. 3. Conc. p. 331. concedebatque, B. Virginem dici posse Theotocon propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non quod Maria esset vera Mater Dei. Sic etiam in verbis consecrationis vini si voci *hic* apponatur accentus, non amplius significabitur transubstantiatio, sed impanatio Lutheri. Vide S. Isidorum Pelusiotam l. 3. Epist. 31. & l. 4. Epist. 113.

(2) S. Augustinus l. 3. de Doct. Christ. c. 3. » Quod scriptum est, » inquit (Psalm. 138. v. 15.): *Non est absconditum à te os meum, » quod fecisti in abscondito*, non elucet legenti, utrum correpta litte» ra *os* pronunciet, an producta. Si enim corripiat, ab eo quod sunt » ossa; si autem producat, ab eo quod sunt ora, intelligitur nume» rus singularis..... Unde plerumque loquendi consuetudo vulgaris uti» lior est significandis rebus, quam integritas litterata. Mallem quippe » cum barbarismo dici: Non est absconditum à te ossum meum, quam » ut ideo esset minus apertum, quia magis latinum est. "

(3) Hæc minuta videri possunt; & quidem in rebus parvi momenti minuta sunt; magni autem referunt, si de rebus divinis agatur. Sanctus Basilius l. de Spir. San. c. 1. » Quid esse potest in his verbis » quæ de Deo dicuntur, adeo pussillum, ut vel recte, vel secus dictum, » non magnum habeat momentum in utramque partem? Nam si ex le» ge nec unum jota, nec apex unus præteribit, quomodo nobis tu» tum fuerit vel minutissima transilire? "

(4) S. Thom. Opusc. cit. c. 7. Hoc paralogismo peccarunt Judæi, cum illud Christi Domini Joan. 2. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, quod Christus dixerat de templo corporis sui, interpretati sunt de templo Jerosolymitano Matt. 26. v. 61. Similiter

Ad hanc reducitur omnis deceptio ex mutata suppositione terminorum, de qua jam diximus in Institutionibus. In his etiam propositionum naturam distinctione secernemus.

1221 Videtur autem insufficiens hæc locorum enumeratio : I. nam præter illos sunt argumenta *ad verecundiam* dicta, cum scilicet falsa aliqua thesis probatur auctoritate illustrium Virorum, cui refragari non censebit homo honestus certis & locis, & temporibus. Hæc autem argumenta sophismata sunt.

1222 II. Sophismata quoque sunt argumenta *ad ignorantiam* cum ab adversario asensum nostris probationibus denegante, petimus, ut ipse meliores probationes in medium producat, & nisi eas producat concludimus, probationes nostras optimas esse.

1223 III. Sophismata sunt item, tum pleraque argumenta *ad hominem*, si scilicet falsa sit propositio quam adversarius habet pro vera; tum argumenta *ex absurdo*, & *ex consequentiis*; tum argumenta *ex congruentiis*, & *per allegoriam* (1). Hi autem loci sunt in dictionibus, nec pertinent ad sex recensitos. Non igitur recte enumerati sunt sex illi loci sophismatum in dictione.

Propositio. *Recta est enumeratio instituta sex locorum sophisticorum in dictione.*

1224 Prob. ratione S. Thomæ (2). Locus sophisticus, sive fallacia in dictione est, cum causa sophismatis se tenet ex parte vocis; sic enim differt à fallacia extra dictionem, quæ se tenet ex parte rei, ut infra dicemus. Atqui causa sophismatis ex parte vocis, est eo quod una vox multa significat. Una autem vox multa significat vel actu, vel potentia, vel apparenter. Si actu

---

peccarunt Ariani, cum ex verbis Domini Joan. 17. v. 11. precantis Patrem pro Apostolis, *ut sint unum sicut & nos*; & illis ib. c. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum sumus*, ob similitudinem dictionis concludebant, Filium ex quo sit unum cum Patre, non esse ejusdem naturæ cum Patre, quia Apostoli etsi unum cum Patre, & Filio, non erant tamen ejusdem naturæ cum Patre, & Filio. Vide S. Augustinum l. 1. con. Maximin. c. 12. ubi hoc Arianorum sophisma docte copioseque refellit. Idem sophisma frequenter contingit, cum argumenta instituuntur à simili; sæpe enim ea quæ videntur similia, dissimilia sunt & verba quibus exprimuntur, diversum modum significandi habent.

(1) Hæc sophismatum genera addidit Genuensis Log. Ital. l. 4. c. 5. §. 13. sqq.

(2) Opusc. 39. c. 2.

significat multa, & quidem in una dictione, dicitur *æquivocatio*; si vero in oratione, dicitur *amphibologia*. Si autem vox potentia significat multa, quia diversimode prolata, significat diversa, erit in dictione locus fallaciæ *accentus*; in oratione vero erit locus fallaciæ *compositionis* vel *divisionis*. Si denique una vox revera quidem unum significat, videtur tamen etiam aliud significare erit fallaciæ *figuræ dictionis*, quasi dictionis similitudo. Una autem vox non potest aliter multa significare, quam vel actu, vel potentia, vel apparenter. Igitur recte enumerati sunt sex, sophismatum loci in dictione.

1225 Ad primum respondemus, argumenta illa, quæ Genuensis appelat *ad verecundiam* (1), nullo modo esse sophismata in dictione: nam vel thesis est aperte falsa, & tunc homo revera honestus, debet illam respuere, quavis auctoritate muniatur (2), idque quovis loco, & tempore; non enim hominis honesti est, veritatem dissimulare etiam in certis & locorum, & temporum circumstantiis. Quod si ob auctoritatem dissimulet, nullum est sophisma, quandoquidem non ipse fallitur ab objiciente auctoritatem, sed ipse veritatem dissimulat. Si autem thesis non sit aperte falsa, sed possit aliqua ratione defendi, nec etiam sophisma est provocare ad gravium Scriptorum auctoritatem; Scriptores enim graves, cum aliquid statuunt, rationibus certe nituntur.

1226 Ad secundum dicimus, nec argumenta *ad ignorantiam* esse sophismata; quisque novit, non idcirco probationes effica-

---

(1) Argumenta *ad verecundiam* non illa sunt quibus falsa thesis ex gravis Scriptoris auctoritate probatur, cum aliæ probationes deficiunt; nam quæ verecundia est, dissentire à Viro quamlibet gravissimo, si à veritate aberret? Itaque *ad verecundiam* argumentantur, qui cum rationibus probare non possint, conviciis utuntur. Nam ut Cicero advertit 3. de Offic. 35. *Honestas omni pondere gravior est habenda, quam cætera omnia.* Conviciari autem est contra honestatem. Neque tamen conviciatores sunt ii qui ut falsis opinationibus sese opponant, præsertim cum in Religionis periculum vertunt, falsitatem denudant, atque redargunt. Id quidem in Catholicis reprehendere solent hæretici, & impii homines, qui nihilominus scripta sua undique conviciis refarciunt. Sed non idcirco à redargutione cessandum est. *Falsitas*, inquit S. Augustinus l. 1. con. Cresc. c. 6. *quæ nudari, & redargui metuit eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accusat. Numquid ideo tamen ab hac instantia desistendum est?*

(2) Exemplum Genuensis ponit in sententia *de æqualitate peccato-*

ciam habere, quod adversarius meliores reddere nequeat. Ad summum, erit hoc argumenti genus illiberale ad suffundendum pudore adversarium; sed captiosum dici minime potest.

1227 Ad tertium respondemus, jam supra dictum esse (1), argumenta *ad hominem* infirma esse ad probandum, potissima vero ad revincendum. Ex quo autem infirma sint ad probandum, non sequitur sophismata esse: nam recte concludunt ex principiis adversariorum, etiam si hæc falsa sint; assumuntur enim tamquam vera, quippe ab adversariis habentur vera; quoties autem argumentatio recte concludit, nullum sophisma in dictione esse potest (2).

1228 Quod autem additur de argumentatione *ad absurdum*, & *ex consequentiis* (3), ad rem non facit; nam si ab-

---

rum, ad quam probandam uti quis posset auctoritate Stoicorum, & Ciceronis. Ecquod sophismi genus istud est? Quid probare potest Ciceronis auctoritas, aut Stoicorum? Non unus hic fuit Stoicorum, & Ciceronis error. Cicero scepticus erat: Sceptici autem hominis dicta valere nil possunt, nisi ratione firmentur. Nullus ergo tenditur laqueus, nullumque sophisma est, cum ad probandam apertam falsitatem inducitur aliorum auctoritas; tam enim facile negari debet, quam facile inducitur.

(1) §. 1068.

(2) S. Augustinus l. 2. de Doct. Christ. c. 33. »In falsis sententiis, »*inquit*, connexionis veritas est isto modo: Faciamus, aliquem concesse sisse, si animal est cochlea, vocem habet; hoc concesso, cum probatum fuerit, vocem cochleam non habere, quoniam consequenti »ablato, illud quod præcedit, aufertur, concluditur, non esse animal »cochleam. Quæ sententia falsa est, sed ex concesso falso vera est conclusionis connexio. Veritas igitur sententiæ per seipsam valet: veritas autem connexionis, ex ejus cum quo agitur, opinione, vel »concessione consistit. Idem autem infertur vera connexione quod falsum est, ut eum, cujus errorem corrigere volumus, pœniteat concessisse præcedentia, quorum consequentia videt esse respuenda.«

(3) Genuensis loc. cit. §. 16. duo ponit exempla, alterum Copernicahi Philosophi adversus Ptolemaicum asserentis ac *demonstrantis*, Cœlum non moveri, sed terram; cui Ptolemaicus opponat antiquos Astronomos, tamquam absurdum sit, illos omnes fuisse deceptos. Alterum, si quis vellet inferre Deum non esse ubique, quia in Oratione Dominica dicitur esse *in Cœlis*. Ipse autem Genuensis statuit, id esse sophisma ex *ignoratione elenchi*, quod ille non intelligat, nomine cœli designari totum spatium mundanum. Verum ad primum exemplum quod attinet, mirandum valde, Hugenium, Newtonum, aliosque Astronomos, quorum testimonia videsis in opere Niewentytii *l' Exis-*

surdum revera sequitur, nullum est sophisma; si vero absurdum non sequitur, potest quidem esse sophisma, si consequutio videatur inferri, revera tamen non recte inferatur. Quod autem non recte inferatur, vel ex fallacia in dictione, vel ex fallacia extra dictionem (1). Igitur inepte alius statuitur sophismatum locus.

1229 Denique argumenta *ex congruentiis* (2), & *per allegoriam* (3), nec etiam sophismata dici possunt : nam ar-

---

tence de Dieu l. 3. c. 7. fensisse, telluris motum non esse hactenus demonstratum & nonnisi temere talem motum ἀποδεικτικῶς affirmari posse; Genuensem autem adversus manifesta Scripturæ verba, Ecclesiæque Catholicæ mentem non dubitasse ut *demonstratum* agnoscere. Quod si hactenus demonstratus non est, nec demonstrari potest telluris motus; ecquodnam sophisma conficit, qui affirmanti motum telluris objicit antiquos Astronomos, qui illum negarunt? Alterum exemplum: 1. quidem si sophisma complecteretur, hoc esset ex *elenchi ignoratione*, ut Genuensis ipse ait. Frustra igitur traheretur ad constituendum sophisma *ex absurdo* : 2. à quonam Genuensis accepit, nomine cœli designari totum spatium mundanum? nam si ita esset, cum Gen. 1. v. 1. dicitur Deus creasse cœlum, nihil aliud designaretur præter spatium mundanum. Et cum in eadem Oratione Dominica petamus, ut fiat voluntas Dei *sicut in Cœlo*, *& in terra*, *Τὸ in Cœlo* significaret, nos petere, ut fiat voluntas Dei in toto spatio mundano. Quam diverse S. Augustinus Epist. 120. al. 222. n. 14. » Dicimus, *Pater noster qui es in Cœlis*, non quia ibi est, » & hic non est, qui præsentia incorporea ubique est totus, sed quia » in eis habitare dicitur, quorum pietati adest, & hi maxime in cœ- » lis sunt, ubi etiam nostra conversatio est. " Interea Genuensis, qui exprobat ignorationem elenchi, elenchum ipse ignorat, cum ignoret, vel ignorare fingat quid nomine cœli in Scripturis intelligatur.

(1) Ipse Genuensis argumentationem ex absurdo reducit ad ignorationem elenchi. Vide not. Superiorem.

(2) Multa idem ib. congerit exempla congruentiarum ineptarum quas dicit in usu fuisse sæculis ignorantiæ. Exempla quidem congerit, sed Auctores minime citat. Quos vero citaret? nam si qui sunt, ii sunt certe obscurissimi. Cur vero universos Philosophos, Jurisconsultos, Theologos, Canonistas ineptarum congruentiarum sæculis illis auctores habet? Anne plerique omnes, si paucos obscuri nominis demas, aptissimas congruentias adhibuerunt? Ad eorum opera appello. En Genuensis in appertum sophisma incidit, arguens à sensu diviso ad compositum, ut tot egregiis illorum sæculorum Scriptoribus invidiam crearet.

(3) Non negamus, in usu Allegoriarum aliquando ab aliquibus fuisse peccatum. Sed non id fuit proprium vitium illorum sæculorum,

gumentum ex congruentia, si aliquid probat, sophisma certe non est; si nihil probat, non est congruentia, quæ nulla esse potest, si nulla sit conveniens ratio. Argumenta autem ducta *ex allegoriis*, si inepta sunt, sophismata continere quidem possunt, sed tamen hujusmodi sophismata vel ad æquivocationem, vel ad amphibologiam reducuntur cum allegoria est in verbis; hæc enim nihil est aliud, quam continuata metaphora (1). Non erat igitur, cur Genuensis novam hanc sophismatum speciem induceret.

ARTICULUS II.

Utrum septem enumerentur fallaciæ extra dictionem.

1230 Fallaciæ extra dictionem, id est, fallaciæ rerum, ad septem à Dialecticis recensentur. Prima dicitur *accidentis*. Secunda *dicti non simpliciter*. Tertia *ignorantiæ elenchi*. Quarta *petitionis principii*. Quinta *consequentis*. Sexta *non causæ pro causa*. Septima *plurium interrogationum* (2).

---

quæ ignorantiæ sæcula Genuensis vocat. S. Basilius, qui sane multum distabat ab hisce sæculis, Hom. 9. in Hexam. n. 1. » Novi, *inquit*, » leges allegoriæ, etiamsi eas non ex meipso excogitarim, sed in » aliorum inciderim labores. Quas Scripturarum communes notiones » qui non suscipiunt, aquam non aquam dicunt, sed aliam quamdam » naturam..... Quin etiam reptilium, & pecorum generationem ad suas » allegorias detortam perinde exponunt, ut quidam rerum esse imagi- » nationi per somnium objicientium interpretes, qui suas interpretationes » ad proprium scopum accommodant. " Quare hoc vitium, quod tam ante Basilius in quibusdam interpretibus reprehenderat, ad sæcula ignorantiæ Genuensis coarctat? Sed ipse qui sæculo vibrante undique lucem vivebat: cur argumenta per allegoriam, nullo facto discrimine, inter sophismata ponit? Cur neminem excipit, qui sæculis illis sit apte usus allegoriis? An ne unus quidem talis fuit sæculis illis? Adeat S. Bernardum, S. Thomam, S. Bonaventuram, Hugonem Charensem, Lyranum, Oleastrum &c. comperietque, se in sophisma esse prolapsum, argumentando, scilicet, à sensu diviso ad sensum compositum.

(1) Allegoria à græco verbo ἀλληγορέω, *aliud dico*, alia est verbi, alia facti: utraque metaphora est, seu translatata significatio. Vide S. August. l. de Gen. ad lit. imperf. c. 2. & l. 51. de Trin. c. 9. & S. Thom. 1. p. q. 1. a. 10.

(2) S. Thom. Opusc. 39. c. 8.

1231 Ac fallacia quidem *accidentis* est : cum accipitur id quod inest alicui rei accidentaliter, perinde atque inesset essentialiter (1) : & idcirco, si quod est verum de aliquo accidentaliter, concludatur esse verum essentialiter, vel econtra, est fallacia accidentis ; inveniuntur enim in argumentatione plusquam tres termini, nam res non eodem modo accipitur (2).

---

(1) Tali sophismate usus fuit Julianus Pelagianus, ut refert S. Augustinus l. 4. con. ipsum c. 10. n. 56. ajebat enim : *Si non nuptiæ sine libidine, & generaliter à vobis libido damnatur, damnatis & nuptias.* Respondet autem Augustinus : » Si libido de connubio esset, profecto » ante connubium, vel propter connubium nulla esset..... Non omnis » morbus peccatum dicitur. Iste autem morbus pœna peccati est, sine » qua non potest esse natura non omni ex parte sanata. Si autem » propterea libido malum non est, quia sine illa non sit nuptiarum » bonum : è contrario nec corpus bonum est, quia sine illo non sit » adulterii malum. "

(2) Agens Genuensis de hac sophismatum specie Log. Ital. l. 4. c. 5. §. 6. postquam animadvertit, infinitum esse illorum numerum in Physica, & in Morali, concludit : » Chi crederebbe, che ve ne fossero de- » gli esempli nella dota, è DIVINA opera dello Spirito delle Leggi? " *Quis crederet, ejusmodi extare exempla in docto & Divino Opere de Spiritu Legum?* Quis credidisset, inquio, futurum aliquando, ut Montesquii opus non modo doctum, sed *divinum* esset appellandum ? Sed ne miremini : nam Genuensis ib. l. 3. c. 8. §. 13. non dubitavit appellare Marcum Aurelium Imperatorem (qui teste Capitolino, à teneris annis deorum superstitionem imbiberat, Romamque omni genere lustrarat) virum *sanctissimum, & doctissimum : M. Aurelio fu un santissimo uomo, è dotissimo.* Quid ergo mirum, quod Montesquii opus *divinum* dixerit? Longus nimium forem, notationisque limites prætergrederer, si absurdissimas Montesquii sententias omnes eo opere comprehensas vellem referre. De paucis breviter dicam. Lib. 3. c. 5. assumit probandum tale principium : *Virtus principium non est gubernii Monarchici.* Si virtus non est ejus principium, restat, ut principium ejus sit vitium : nam vitiosum est, quod deficit à ratione virtutis. Monarchicum ergo regimen vitiosum erit. Genuensi non displicet hæc Montesquii adsertio : nam 1. p. lect. Oeconom. Civilis c. 5. §. 25. p. 119. in not. animadvertit, quod Ecclesia : » Il X. Secolo prese la forma di » Monarchia assoluta, è la virtù divenne anche minore. " *Ecclesia X. sæculo accepit formam Monarchiæ absolutæ, & virtus minor evasit.* Quibus verbis duos complectitur errores, alterum, quod Ecclesiæ regimen non sit monarchicum ex institutione Divina, qua in re cum hæreticis sentit ; alterum, quod regimen monarchicum minus sit aptum ad fovendam virtutem. Præterea Montesquius l. 14. c. 2. & 4. statuit, diversitati climatum tribuendam esse diversitatem Religionis, & mo-

Ferme eadem est atque mutatio appellationis, de qua in Ins-

---

rum. Et c. 7. ad eamdem causam Monachismum refert. Quæ igitur vera amplius Religio erit, quæ veræ virtutes, qui Christianæ perfectionis status, si climatum habenda est ratio? Et nihilominus tale opus *divinum* erit, teste Genuensi. Sed audiamus quid Genuensis ipse de Montesquio scribat. Log. Ital. l. 5. c. 5. §. 35. *Montesquio*, inquit, pretende, » che la forza diffusiva non è fatta per le Monarchie. " *Montesquius contendit, vim diffusivam Monarchiis minime competere.* Vis *diffusiva* hoc differt à *concentriva*, ut Genuensis ipse docet ib. §. 34. quod *concentriva* omnia trahit ad nos, *diffusiva* omnia dat aliis. Si ergo vis diffusiva abest à Regnis Monarchicis, Monarchæ nihil aliis dant, sed omnia trahunt ad seipsos. Princeps autem qui unice sibi studet, nihilque de populo est sollicitus, tyrannus est. Montesquius ergo Monarchas omnes in tyrannorum numerum refert. Quid ad hæc Genuensis? Relata Montesquii sententia, statim subdit: » Si vorrebbe esaminar me» glio. Per ora il credo falso, è pericoloso. " *Melius esset expendenda. Nunc autem falsam puto, & periculosam.* Cur credit esse falsum, & periculi plenum quod ait nondum satis fuisse revocatum ad examen? Eritne ad examen revocandum, an Supremi Principes in Regnis Monarchicis sint, necnec tyranni? Quis non Opus hæc continens, seditiosum, Reique publicæ perniciosissimum dixerit, ac Supremis Principibus maxime injuriosum? Attamen Genuensis hæc adolescentes docebat, contendebatque, revocari debere ad severius examen; & *divinum* appellabat opus tales sententias complectens. Quidni vero doceret? nam ante jam aperte dixerat ib. l. 3. c. 5. §. 6. numquam præscribi posse possessionem Regni occupati, sed semper dici debere, *adversus hostem æterna auctoritas esto.* Quod ex Romanorum imperio confirmare posse credit, qui si justitiam, inquit, coluissent, restituere universa debuissent, quæ post Romulum occuparant; idque ab Augustino traditum dicit *De Civ. Dei*, neque librum neque caput innuens, cum tamen Augustinus ib. l. 5. c. 21. doceat, Romanum Regnum à vero Deo esse dispositum. » Non tribuamus, *inquit*, dandi regni, atque im» perii potestatem, nisi Deo vero..... Qui Mario, ipse Cajo Cæsari; qui » Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasianis, vel patri, vel filio suavissi» mis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; & ne per singu» los ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Julia» no. " Hi autem omnes ex principiis Genuensis nullum habebant imperii jus, nullamque proinde potestatem legitimam, quia in imperii Romani acquisitione deerant *justus titulus. & bona fides.* » Il titolo giu» sto, è la buona fede sono, anche secondo i Casisti, condizioni essen» ziali alla legitima prescrizione; è queste condizioni ambedue manca» vano a' Romani, E MANCANO TUTTAVIA à tutte le nazioni conquis» tratrici, ALLE CONQUISTATRICI FAMIGLIE, ALLE CONQUISTATRICI » PERSONE. " *Titulus justus, & bona fides sunt etiam per Casuistas,*

titutionibus jam diximus. Solvitur ostendendo, conclusionem necessario non sequi, quia non oportet, ut rei subjectæ attribuatur, quod accidenti tribuitur.

1232 Altera fallacia *dicti non simpliciter* est, cum ea quæ ex parte vera sunt, simpliciter, & omnino vera dicimus; sive cum arguimus à non distributo ad distributum (1). Re-

---

conditiones essentiales legitimæ præscriptioni: ambæ autem hæ conditiones deerant Romanis, & hactenus desunt universis Nationibus, familiis, ac personis quæ dominia occuparunt. Fieri ergo numquam potest, Genuensi auctore, ut qui Regnum aliquod occupavit, legitime illud possideat, neque umquam qui ex eo progeniti sunt, legitime possidebunt. Quæ autem ex hisce principiis inferri consequutiones possint, quis non videt? Et nihilominus Genuensis hæc docuit, quin ulla esset ne quidem docendi occasio; nam quid hæc ad Logicam pertinebant? Docuit autem italo sermone, ut à doctis indoctisque legi facile possent. Quid præterea commune habebant cum Logica animadversiones illæ, quas ipse instituit ib. l. 5. c. 5. §. 49. sqq. de legibus Oeconomiæ Civilis, ac Politicæ, quarum plerisque omnibus censuræ notam inurit, propterea quod desiderati sint viri philosophi, qui populos illuminarent? Fuerint earum legum quæpiam emendatione dignæ: an propterea privatus homo adolescentes erudiens, carpere illas debebat, sibique usurpare potestatem ferendi de earum utilitate, aut inutilitate judicium? O Regna misera, & infelicia, si in ejusmodi philosophorum incidissent œconomiam! Denique cur Genuensis loc. cit. l. 3. c. 8. §. 11. scribit: » Chi dicesse di » un Italiano; non è libero, direbbe, Uom, che nella serva Italia è na» to. " *Si quis de homine Italo diceret, non est liber, diceret Hominem natum in Italia servituti addicta.* Cur l. 5. c. 4. §. 11. de legibus civi» libus ait: » La Legge di natura si studia nel mondo, è le Leggi civili, » non ne' Grammatici, è Forensi; ma ne' Testi " (Nota, quinam ii Textus sint) » cioè " (Ne putes, Textus Legum Civilium esse aut Instituta Justiniani, aut Digesta, aut Codices, aut Pragmaticas sanctiones singulorum Regnorum) » cioè, NELLE VOCI DE' POPOLI, che han sen» tito i bisogni, è hanno dettato l'arte di loro supplire. " *Lex naturæ in mundo discitur, & leges Civiles non in Grammaticis, & Forensibus, sed in Textibus, in vocibus populorum, scilicet, qui necessitates experti sunt, & artem dictarunt iis occurrendi.* Textus igitur Legum Civilium sunt *voces populorum.* Quid est hoc aliud, quam constituere populos conditores Legum, & potestatem legislativam à Summis Principibus auferre, uti Montesquius facit? En ratio, cur Genuensis Montesquii opus *divinum* appellat.

(1) Sic Eunomiani vocabulum *majoris*, quod particulariter de sola causa dicimus relata ad effectum, universalius ad naturam trahebant, ut concluderent, Patrem in Divinis natura majorem esse Filio, nec Filium proinde verum esse Deum. Quos redarguens Nazianzenus Orat. 35.

futatur hoc vitium, negata consequentia, quia quod ex parte verum est, ab omni parte verum dici non potest.

1233 Tertius locus ab *ignoratione elenchi* (1) ducitur ex defectu oppositionis, quia aliqua apparent opposita, & non sunt, cum non serventur in iis leges oppositionis contradictoriæ, scilicet, quod contradictio debeat esse ad idem (2), secundum idem (3), similiter (4), & in eodem tempore (5). Hujus fallaciam facilime effugiet is qui ad leges contradictionis attendit; & sophisma solvet, ostendendo conditionem, in qua contradictio deficit; utque defectus manifestius deprehendatur, veram contradictionem exponet; ita enim facilius agnoscetur apparens contradictio, qua sophisma nitebatur.

» Haud scio, *inquit*, seipsos ne potius, an eos, cum quibus disputant, captiosa hac argumentatione circumveniant. Neque enim simpliciter, quæcumque de aliquo dicuntur, etiam de eo, quod ipsi » subjectum est, dicuntur, sed perspicuum est de quonam, & quænam » dicantur..... Ab eo quod secundum rationem quamdam dicitur, ad » id quod simpliciter dicitur, captiose progreditur hæc argumentatio. " Pari modo Heterodoxi nostri temporis captiose progrediuntur, dum ex eo quod Ecclesia prohibet matrimonium Presbyteris, inferunt prohibere matrimonium; vel ex eo quod prohibet lectionem Bibliorum in lingua vernacula, concludunt prohibere lectionem Sacræ Scripturæ.

(1) Ἔλεγχος argumentum universim significat: hic autem speciatim accipitur pro ratiocinatione, in qua infertur aliquid tamquam si alicui rei esset oppositum, quod revera non est. Id qui facit; elenchum ignorat. Frequens hic est hæreticorum mos, qui sæpe, ne victi cadant respondent ad id quod non impugnatur, vel impugnant quod positum est extra controversiam. Vide S. Augustinum l. 6. con. Jul. c. 5. & l. 2. con. Cœlestium c. 23.

(2) S. Thomas Opusc. 39. c. 11. exemplum ponit, veluti si quis diceret, *duo sunt duplum ad unum, & non sunt duplum ad tria. Igitur sunt duplum, & non duplum. Non sequitur quia omiso hoc, quod est esse ad idem, non est contradictio.*

(3) Ea quæ videntur opposita, cum enunciatur de Christo, quod sit passibilis, & impassibilis, æternus, & temporalis &c. opposita non sunt, quia vera sunt secundum diversitatem naturarum. Ita solvuntur Arianorum, & Nestorianorum sophismata plura.

(4) Cum ajunt hæretici, Deus remittit peccata, ergo Sacerdotes illa non remittunt, sed declarant remissa, in hoc sophisma incidunt; aliter enim Deus, aliter Sacerdotes peccata remittunt, Deus ut auctor gratiæ, Sacerdotes ut ministri.

(5) Inspectis temporibus, plures quæ in Sacris Scripturis videntur antilogiæ, facile conciliantur.

1234 Fallacia *Petitionis principii* est *deceptio proveniens ex eo quod idem assumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo* (1), seu cum id quod erat probandum, verbis paululum mutatis pro argumento usurpatur (2); sive hoc fiat, cum adsertio probanda, adsumitur veluti per se nota sine ulla probatione (3); sive cum id quod adsumitur ad probandum non est notius eo quod probari debet, sed est æque ignotum, vel æque dubium (4). Horum argumentorum aliquando potest totum concedi, si nempe id quod est probandum, à nobis conceditur; aliquando totum negari, si quod est probandum, à nobis negatur; aliquando negatur adsertio cum hæc adsumitur veluti per se nota; aliquando negantur præmisæ, cum sunt æque ignotæ, vel æque dubiæ.

1235 Fallacia *consequentis* est *deceptio proveniens ex eo quod consequens existimatur esse idem omnino cum antecedente* (5); hinc enim contingit, aliquem credere, ut sicut consequens sequitur ad antecedens, ita convertendo, antecedens sequatur ad consequens; v. g. si quis dicat: Qui currit, movetur; Sortes movetur; ergo currit: non sequitur, quia licet currere inferat motum, non tamen motus infert cursum (6).

---

(1) S. Thom. loc. cit. c. 12.

(2) Quare Aristoteles 2. Priorum c. 18. definit petitionem principii: *Petitio principii est, quod in quæstione est non demonstrare.*

(3) Solemnis hæc est hæreticorum fallacia. Lutherus in lib. con. Regem Angliæ probavit suam doctrinam esse de cœlo, quia *certus sum* inquit, *dogmata mea me habere de cœlo.* Calvinus assumit probandum, Summum Pontificem esse Antichristum: quomodo probat? quia Summus Pontifex honorem Christo debitum sibi usurpat, alios mediatores pro Christo proponit, Sacramenta vel nova instituit, vel instituta corrumpit. Hæc autem erant in quæstione, eaque probare, debebat, nec tamen probavit; petiit ergo principium. Si Protestantes interroges, quare Verbum Dei sit intelligendum, ut ipsi intelligunt, & non ut Ecclesia Catholica intelligit, se vertunt ad spiritum privatum; quæ est manifesta petitio principii; spiritus enim privatus nonnisi verbis differt ab intelligentia, quam ipsi aptant Verbo Dei.

(4) Ita Cartesiani per sua elementa, & vortices putant explicari posse omnia pene fœnomena naturæ, cum tamen causæ fœnomenorum non minus ignotæ sint ac ipsa elementa, & vortices. Similia exempla passim ocurrunt in recentioribus Philosophis.

(5) S. Thom. loc. cit. c. 13.

(6) S. Augustinus l. 2. de Doct. Christ c. 33. *Hinc* ait, *intelligere facile est sicut in falsis sententiis veras, sic in veris sententiis falsas conclusiones esse posse. Fac enim, aliquem proposuisse, si justus*

Itaque in iis quæ invicem reciprocantur, nulla esse potest fallacia consequentis: est autem in illis quæ non reciprocantur. In his omnibus consequentiam negabimus, quia non infertur ex præmissis.

1236 *A non causa ut causa* fallacia ducitur, cum aliquis effectus tribuitur alicui tamquam causæ ipsius, quæ licet appareat esse ejus causa, revera tamen causa ejus non est (1), ut si quis dicat, studium nocet plerisque, ergo non est illi incumbendum, non causam pro causa ponit; non enim studium est quod nocet, sed malus studii usus. Solvitur hoc sophisma asignando veram causam.

1237 Denique sophisma *plurium interrogationum* dicitur, si vel plura de uno, aut plura de pluribus interrogentur (2), ut

---

est ille, bonus est, & esse concessum: Deinde assumpsisse, non est autem justus, quo item concesso, intulisse conclusionem, non est igitur bonus. Quæ tametsi vera sint omnia, non est tamen vera regula conclusionis. Non enim sicut ablato consequenti aufertur necessario quod præcedit, ita etiam ablato præcedenti aufertur necessario quod consequitur. Quia verum est cum dicimus, si orator est, homo est: ex qua propositione si adsumamus, non est autem orator; non erit consequens cum inuleris; Non est igitur homo. Apud hæreticos, & impios homines frequens est hujusmodi sophisma. Vide S. Augustin. l. 1. con. Crescon. Donat. c. 22.

(1) Tale est illud materialistarum sophisma, quod sibi objicit Sanctus Thomas 2. con. Gen. c. 80. *Animæ humanæ multiplicantur secundum multiplicationem corporum; destructis ergo corporibus, non possunt in sua multitudine remanere.* Cui sophismati respondet ib c. 81. *quod multiplicantur quidem animæ secundum quod multiplicantur corpora; non tamen multiplicatio corporis est causa multiplicationis animæ.*

(2) Ut observat. S. Thomas Opusc. cit c. 15. enunciatio differt ab interrogatione, quod enunciatione simpliciter significamus, aliquid esse, vel non esse, interrogatione autem, neque afirmamus, neque negamus, sed sub dubitatione relinquimus. Jamdudum Pelagius per quæstiones, & interrogationes rogans quid alii sentirent, hæresim in Eclesiam per cuniculos introducebat. Vide S. Hieronymum in Epist. ad Ctesifontem. Pelagium nonnulli hac nostra ætate imitantur, qui metuentes, ne si manifeste loquantur, tamquam impii, & increduli habeantur, per interrogationes errores spargunt, ut si aliquando impietatis accussentur, possint excusationem prætexere, se non affirmando, aut negando, sed interrogando quæsisse. Iis autem dicemus cum eodem S. Hieronymo Epist. cit. *Loquere quod credis, publice prædica. Quid secreto discipulis loqueris?..... Ecclesiæ victoria est vos aperte dicere quod sentitis.* Per interrogationes Genuensis agit Log. Ital. l. 4. c. 7. §. 10. in not. sub-

inconsiderate tamquam de uno respondeamus, & laqueo capiamur, sive affirmemus, sive negemus; ut si quis interroget: Estne peccator diligendus, an odio habendus? Si quis affirmet,

---

jecta quærens: » Gesù-Christo avendo predicato, è fondato il Regno de' » Cieli fondo una scuola, come dice Origeni, ò un imperio? Un » Regno spirituale, ò spirituale è temporale insieme? Sottrasse i Cris- » tiani dalle signorie temporali, ò no? Se à noi si prova pel tenore » continuo del nuovo Testamento, è pe' constanti fatti de' primi secoli » Cristiani, soli veri testimonj delle leggi del nuovo Regno de' Cieli, » che non fu nulla cambiato nell' ordine temporale, il rispondere, co- » me si fa, stiracchiando i luoghi, è allegando fatti, è opinioni de' » secoli recenti, è confessare di aver perduta la causa." *Jesus Christus cum prædicaverit, & fundaverit Regnum Cœlorum, fundavitne Scholam, ut ait Origenes, aut imperium?* (nego Origenem ita dixisse. Et si dixit, proferatur locus. Interea vide ejus Tract. XII. in Matt.) *Regnum spirituale, an spirituale, & temporale simul? Christianos subduxit, neene à temporalibus Dominationibus? Si nobis probatur ex continuo tenore Novi Testamenti, exque constantibus gestis primorum sæculorum Christianorum, quæ sola sunt vera testimonia legum novi Regni Cœlorum, nihil fuisse mutatum in ordine temporali; respondere, uti fit, male interpretando loca, gestaque & opiniones producendo recentium sæculorum, perinde est, atque fateri causæ jacturam.* Non est hujus loci de hoc quæstionum genere disputare. Sed quoniam Genuensis agit quærendo, quærimus & nos, *an Christus Jesus prædicans, & constituens Regnum Cœlorum, ita fundaverit Ecclesiam, ut in ea omne temporale imperium prohibuerit?* Si Genuensis neget, nihil quærendo conficit; si affirmet, sciat in Concilio Constantiensi sess. 45. damnatos esse Wiclefi articulos, 10. *Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.* Et 32. *Ditare Clerum est contra regulam Christi.* Et 36. *Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent.* Et 39. *Imperator, & Domini sæculares sunt seducti à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.* Quærimus insuper, *an Christus Dominus ita Regnum spirituale condiderit, ut omne excluserit Regnum temporale?* Si exclusit, nemo pertinebit ad Regnum spirituale Christi, qui Regnum temporale possideat. Si vero non exclusit, quid vetat, quin Regnum spirituale conjungatur cum Regno temporali? quidve Christianos impedit, ne imperio temporali potiantur? Cur autem Genuensis priora tantum sæcula Christiana agnoscit tamquam veridica testimonia? Obscuratane est posterioribus sæculis veritas, mutata est fides; perierunt Divinæ Traditiones, erravit Ecclesia? Quid hoc est aliud, quam illorum hæreticorum sermo, qui fidem prioribus Ecclesiæ Patribus præbent, posterioribus denegant, & mutata esse docent Ecclesiæ Catholicæ dogmata?

esse diligendum, interrogans concludet, diligendum esse peccatum; si neget, inferet, hominem non esse diligendum. Occurrendum est igitur distinctis responsionibus ad unamquamque interrogationem.

1238 His constitutis videtur insufficiens præfata enumeratio, I. quia Aristoteles sophistarum rationem in multos fines dividit, scilicet, reprehensionem (1), falsum (2), incredibile (3), solœcismum (4), & nugationem (5).

---

(1) Reprehensio, sive redargutio, inquit S. Thomas Opusc. cit. c. 2. est *prænegati concessio, & præconcessi negatio in eadem disputatione* vi argumenti sophistici; ut si respondens argumentis sophisticis implicatus, ea quæ affirmaverat, inficietur; aut quæ inficiatus sit, affirmet; aut certe contraria, & pugnantia concedere impellatur. Si autem redargutio non sophisticis argumentis fiat, sed veris; aut non animo inducendi in falsitatem, sed exercitii gratia, non ad Sophisticam, sed ad Doctorem, disputatoremve pertinet.

(2) » Falsum, *inquit*, S. Thomas loc. cit. secundum quod hic sumi» tur, est aliquod manifestum falsum, vel concessio alicujus manifeste » falsi, quod respondens concedere cogitur vi sophisticæ argumentatio» nis. " Nam ut S. Augustinus advertit l. 1. con. Crescon. c. 15. » Qui » disputat, verum discernit à falso. Quod qui non possunt, & tamen » dialectici videri volunt, per insidiosas interrogationes captant incau» torum assensionem, ut ex eorum responsionibus concludant, unde » illos vel in aperta falsitate deceptos videant, vel occultam falsitatem » deceptis persuadeant, quam plerumque etiam ipsi existimant veritatem."

(3) Incredibile, sive inopinabile, & παράδοξον, dicitur quod est contra communem omnium, vel plurium opinionem, ad idque sophistæ adversarium urgere conantur. Vide S. Thom. loc. cit.

(4) *Solœcismus est vitium in contextu partium orationis contra regulas artis grammaticæ factum.* S. Thomas ib. Vide S. August. l. 2. de Doct. Christ. c. 13. Antiqui sophistæ ejusmodi solœcismus implicabant respondentes, ut barbaro, & peregrino sermone usi viderentur. Philosophis autem Christianis, præcipue cum de Religione, rebusque sacris agunt, non magna debet esse cura solœcismorum, & barbarismorum cavendorum. Vide Origenem in Philocaliis, S. Hieronymum in c. 40. Ezech. S. Augustin. in Psal. 138. & S. Gregorium Magnum Præfat. in lib. Moral.

(5) *Nugatio*, ait S. Thomas ib. *est ejusdem rei ex eadem parte inutilis repetitio*, quod cum primis vitiosum erat apud veteres qui eloquentia pollebant. Nugatio autem non est, si repetitio fiat ad majorem expressionem. Quare cum ejusdem verbi repetitio fit in sacris Litteris (quod sæpe contingit) nulla est nugatio, quia nihil ibi à mysterio vacat. Confer Originem Hom. 2. in Jerem. & Chrysostomum Hom. 18. in Gen.

1239 II. Aristoteles ipse totam de sophismis tractationem inscripsit *de sophisticis Elenchis*. Frustra igitur distinctus ponitur locus, qui est ab ignoratione Elenchi.

Propositio. *Fallaciæ extra dictionem sufficienter sunt enumeratæ.*

1240 Prob. ratione S. Thomæ (1). In fallaciis extra dictionem causa apparentiæ non est ex parte vocis, sed ex parte rei. Sicut enim in fallaciis in dictione deceptio provenit ex eo, quod idem nomen plura significans accipitur perinde atque significaret unum; ita in fallaciis extra dictionem deceptio provenit ex eo, quod aliquæ res quodammodo convenientes, vel differentes, accipiuntur perinde ac si eædem simpliciter essent, vel diversæ. Itaque fallaciæ extra dictionem accipiuntur ex generalibus quibusdam entium conditionibus. Ens autem aliud est per se, aliud per accidens; & secundum hoc accipitur *fallacia accidentis*. Aliud est perfectum, aliud imperfectum; estque fallacia *dicti simpliciter, & non simpliciter*. Aliud est alteri oppositum, aliud alteri non oppositum; estque fallacia *ignorationis elenchi*. Aliud est idem, aliud diversum; estque fallacia *petitionis principii*. Aliud est prius, aliud posterius; estque fallacia *consequentis*. Aliud est causa, aliud causatum; estque fallacia non *causæ ut causæ*. Aliud est unum, aliud multiplex; estque fallacia *plurium interrogationum ut unum*. Sufficienter ergo enumeratæ sunt fallaciæ extra dictionem.

1241 Ad primum respondemus, fines illos, sive metas, quas Aristoteles recenset, non esse ipsa sophismata, sed ad eos sophismata omnia referri, ut eorum finium aliquem sophistæ assequantur, vel assequuti videantur (2).

1242 Ad secundum dicimus multiplicem esse hujus nominis ἔλεγχος vim, & significationem. Aliquando usurpatur pro omni argumento (3); aliquando pro omni fallacia argumentorum, quo sensu Aristoteles appellat sophisticos elenchos; aliquando pro fine sophistarum quo sensu elenchus dicitur redargutio; aliquando pro eo captionis loco, qui dicitur ab ignoratione elenchi.

---

(1) Loc. cit. c. 8.
(2) Vide S. Thom. loc. cit. c. 2.
(3) Vide not. ad §. 1233.

QUÆSTIO XXXII.

De Methodo universim.

1243 Ut Logicæ finem faciamus nihil aliud restat, quam de Methodo agere. Est autem μέθοδος (1) græce latine via, ars, & ratio sive *ordinatus modus procedendi in scientiis*; & μεθοδικος agere dicitur, qui rationem artis, & dicendi compendia consectatur. Methodus autem duplex est, synthetica (2), & analytica (3). Synthetica est, cum à simplicibus progredimur ad composita, à partibus ad totum, ab universalibus ad particularia, à causis ad effectus. Sic progredimur à terminis ad propositiones, à propositionibus ad argumentationem. Analytica est, cum regredimur à compositis ad simplicia, à toto ad partes, ab effectibus ad causas, à particularibus ad universalia (4). Sic argumntatio

---

(1) Ακτὰ, *cum*, & ὁδὸς, *via*, quasi cum via, & ratione. Significat autem ordinem disciplinæ; nam sicut via brevis, & expedita facilius ducit ad terminum; sic ordo in scientiis facilius ducit ad cognitionem veritatis.

(2) σίνθεσις compositio est, à συντίθεμι, compono; quare methodus synthetica, dicitur compositiva.

(3) ἀνάλυσις est resolutio, à verbo ἀναλύω resolvo. Vide S. Thom. 1. Poster. lect. 1.

(4) Notiones analysis, & sinthesis Genuensis confundit, ac perturbat, cum in Arte Log. Crit. l. 5. c. 6. §. 3. tum in Log. Ital. l. 4. c. 1. §. 2. imo sibi ipsi contradicit. Nam in priore illo loco ait: *Syllogismus, qui à toto concludit partem, synthesis est: inductio, quæ à partibus totum colligit, exemplum suppeditat analysis.* In posteriore autem scribit: » Per la prima (analitica) discogliendo l' idee generi» che, ed estratte da molti singolari, e analizzandole, progrediamo sem» pre dal più universale al meno ... Ma se andate per l' opposto dal » semplice, e particolare all' astratto, e generale, dirassi sintesi." *Priori dissolvendo ideas genericas, & abstractas à multis singularibus easque resolvendo, progredimur semper ab universaliori ad minus ... Si opposito modo procedatis à simplici, & particulari ad abstractum, & generale, dicetur synthesis.* Dum solvimus ideas genericas, & abstractas à pluribus singularibus, & progredimur à magis universali ad minus universale, quæso, concludimusne totum à parte, an partem à toto? Certe concludimus à toto partem; nam singularia habent rationem totius. Syllogismus autem qui *à toto concludit partem*, synthesis est, ut Genuensi placet. Ergo syllogismus progrediens à magis uni-

resolvitur in propositiones, propositiones in terminos. De Methodo autem agemus primum universim ; tum de methodo docendi: postea de methodo addiscendi ; denique de methodo disputandi. De methodo autem universim quæremus 1. an methodus analytica in scientiis adhiberi debeat. 2. an methodus mathematica adhibenda sit in ceteris scientiis. 3. de regulis dicemus in methodo servandis.

ARTICULUS I.

Utrum in scientiis adhibenda sit methodus analytica, vel synthetica?

1244 Videtur in scientiis analytica methodus adhibenda; nam scientiæ per demonstrationem acquiruntur, ut supra dictum est (1): ostendimus autem (2) demonstrationem fieri per resolutionem in principia per se nota.

1245 II. Videtur è contra synthetica methodus adhibenda; quippe in scientiis, ut supra diximus (3), rectus ordo postulat, ut ab universalioribus incipiatur : synthesis autem est, cum ab universalioribus ad minus universalia procedimus (4).

---

versali ad minus erit synthesis. Est autem analysis, ut ipse Genuensis statuit. Idem igitur syllogismus est synthesis, & analysis, hoc est, compositio, & resolutio. Præterea cum synthesis sit compositio, peto, quæ sit compositio, cum à toto concluditur pars? nam tunc potius totum resolvitur in partes; nisi enim in partes resolveretur, fieri non posset, ut à toto concluderetur pars. Quæ etiam est analysis, cum à partibus colligitur totum? quandoquidem partes componunt totum. Igitur cum à partibus concluditur totum, compositio est, non vero analysis. Denique si cum à particularibus ad universalia progredimur, synthesis esset, jam synthesis non compositio, sed resolutio foret; progressus enim à particularibus ad univesralia, non componendo, sed resolvendo fit.

(1) §. 1135. (2) §. 1111. (3) §. 1. (4) 1243.

Propositio. I. *In scientiis theoreticis, via acquisitionis, vel inventionis adhibenda est synthesis quoad veritates inferendas.* II. *Et analysis quoad principia.* III. *Via autem ferendi judicii, adhibenda est analysis.* IV. *In scientiis vero practicis necesse est synthesim adhibere.*

1246 Ita S. Thomas (1). Prob. 1. p. Ut scientiæ theoreticæ acquirantur, vel inveniantur quoad veritates inferendas, necesse est procedere à quibusdam simpliciter intellectis, quæ sunt prima principia; omnis enim scientifica cognitio ex præexistente cognitione fit; cognitio autem præexistens, est cognitio principiorum, ut supra ostendimus (2). Hæc vero principia præsupponuntur, ut ex eis determinatæ conclusiones inferantur. Procedere autem ex principiis simplicibus præsuppositis ad inferendas determinatas conclusiones, methodi syntheticæ est (3); ita enim simplicia applicantur compositis. In scientiis igitur theoreticis adquirendis, vel inveniendis quoad veritates inferendas (4), adhibenda est methodus synthetica.

---

(1) 1. p. q. 79. a. 1. *Ratiocinatio humana*, inquit, *secundum viam acquisitionis, vel inventionis procedit à quibusdam simpliciter intellectis, quæ sunt prima principia. Et rursus via judicii resolvendo redit ad prima principia, ad quæ inventa examinat.* Et 1. Ethic. lect. 3. *Necessarium est*, inquit, *in qualibet scientia operativa, ut procedatur modo compositio. Econverso autem in scientia speculativa, necesse est, ut procedatur modo resolutorio, resolvendo composita in principia simplicia.*

(2) §. 1037.

(3) Hac methodo Mathematici utuntur, cum præmittunt definitiones, Axiomata, postulata, ex quibus deinde demonstrationes conficiunt, applicando ad conclusiones determinatas.

(4) Apud juniores Philosophos receptissima sententia est, analysim ad inveniendum, synthesim ad docendum omnino requiri. Quod synthesis in scientis theoreticis necessaria sit ad docendum, non repugnamus. Nam scientiæ docentur, demonstrando conclusiones ex principiis: qua in re adhibetur synthesis. Sed quod analysis requiratur ad inveniendum, negamus, si de conclusionibus scientiarum sermo sit. Nam in scientiis ut veritas pateat conclusionum, oportet, principia præmittere; nisi enim principia præmittantur, numquam poterunt conclusiones demonstrari. Methodus autem, in quo principia præmittuntur, synthefica est, siquidem procedit ab universalioribus ad minus universalia. Inventio igitur veritatis in conclusionibus scientificis pendet à syntesi.

1247 Prob. 2. p. Principia ex quibus scientiæ procedunt ad demonstrandum, cognosci non possunt absque inductione, ut supra dictum est (1). Inductio autem procedit à particularibus ad universalia, quod fit resolvendo, hoc est, per analysim. Igitur in acquirendis, vel inveniendis scientiis theoreticis quoad earum principia quæ, scilicet, neque in iisdem, neque in aliis scientiis demonstrantur, oportet analysim adhibere (2).

1248 Prob. 3. p. Certitudo judicii in scientiis theoreticis aliter haberi non potest, quam per resolutionem in principia (3); nam quæ ex seipsis nota non sunt, & certa, non possunt fieri nota, & certa, nisi ex principiis notis, & certis. Scientiæ autem theoreticæ sunt de rebus, quæ per seipsas non sunt notæ, & certæ, sed fiunt notæ, & certæ per demonstrationem: demonstratio autem fit resolvendo in principia, ut supra diximus (4); quæ quidem resolutio est ipsa analysis. Igitur in scientiis theoreticis adhiberi debet analysis, ut judicium certum feratur.

1249 Prob. 4. p. Principia scientiarum practicarum, & conclusiones ex principiis illatæ, ordinantur ad opus, ut supra diximus (5). Opus autem, ad quod ordinantur, est aliquid singulare: v. g. principia, & conclusiones Medicinæ ordinantur ad curationem infirmi, quod est aliquid singulare. Atqui ordinare universalia ad singularia pertinet ad synthesim. In scientiis ergo practicis adhibenda est methodus synthetica, tam in acquirendo, & inveniendo, quam in judicando; in acquirendo quidem, & inveniendo, quia id commune habent cum scientiis theoreticis; in

---

Quare S. Thomas q. 11. de ver. a. 1. *Processus*, inquit, *rationis provenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias; & inde procedat in aliquas particulares conclusiones, & ex his in alias.* Quod totum synthesis est. Si autem loquamur de inventione principiorum, distinguendum est: nam si principia sint definitiones, & axiomata universalia, inveniuntur per inductionem, ideoque per analysim; cognoscuntur enim ex cognitione propriorum terminorum, ad quos proinde resolvi debent. Similiter si principia sint innixa experimentis, ut in Philosophia naturali, inductione est opus, & per analysim inveniuntur. Si vero principia sint propositiones illatæ, nullo modo differunt à conclusionibus scientificis, ad quas inveniendas non analysis, sed synthesis requiritur, ut dictum est.

(1) §. 420. & in not. 2. sujecta.
(2) Vide not. 1. pag. præc.
(3) Vide S. Thom. 1. p. q. 79. a. 1.
(4) §. 1111. (5) §. 198.

judicando autem, quia in scientiis practicis ipsa resolutio in principia ordinatur ad opus.

1250 Ad primum dicimus, scientias acquiri non posse per demonstrationem, nisi præmittantur principia, ex quibus progressio fiat ad demonstrandum. Quod ergo præmittantur principia ex quibus demonstratio progreditur, pertinet ad synthesim; quod vero demonstratio fiat resolvendo in principia, pertinet ad analysim.

1251 Ad secundum jam ex dictis (1) patet responsio.

ARTICULUS II.

Utrum in omnibus scientiis adhibenda sit methodus mathematica.

1252 Jam Aristotelis ætate nonnulli erant, qui *nisi mathematice loquentes non admittebant* (2) Hac nostra ætate, & seculo proxime elapso eamdem viam tenuere plurimi non modo Philosophi (3), sed & Jurisconsulti (4), & Theologi (5); eoque res

---

(1) §. 1246.

(2) 1. Metaph. c. 3. Quæ verba commentans S. Thom. ib. lect. 5. *Quidam*, inquit, *non recipiunt quod eis dicitur, nisi dicatur eis per modum mathematicum. Et hoc quidem evenit propter consuetudinem his, qui in mathematicis sunt nutriti, quia consuetudo est similis naturæ. Potest etiam hoc quibusdam contingere propter indispositionem, illis scilicet, qui sunt fortis imaginationis, non habentes intellectum multum elevatum.* Quandoquidem Mathematicæ ab imaginatione plurimum pendent; sunt enim de magnitudinibus, & numeris, quæ imaginationis vim non excedunt.

(3) Vide Wolfium Elem. Math. t. 5. Comment. de studio mathem. c. 2. ubi methodum mathematicam ad omne scientiarum genus extendit: quod & executus est ubique suorum operum: quo autem fructu dicemus infra.

(4) Heinecius id tentavit in Jure Civili Romano.

(5) Idipsum conatus fuit Huetius in Demonstratione Evangelica. An vero sit adsecutus, modo non laboro. Certe, ut Wolfius ipse animadvertit loc. cit. §. 102. idem Huetius qui tam fidebat methodo mathematicæ, ut per eam impios homines impugnantes mysteria revelata, Christianumque dogma, ex ratione convincere posse non dubitaret; demum in Quæst. Alnet. & in suo de imbecillitate intellectus humani Opere, viam Scepticismo aperuit.

devenit, ut nihil fere nunc sapiat eruditis, quod non mathematica methodo sit adornatum (1).

1253 Videtur autem ita sentiendum, I. quia methodus mathematica nihilum differt à synthetica, & analytica; siquidem Mathematicæ scientiæ definitiones primum ponunt, axiomata & postulata, ex quibus deinde propositiones probant, resolvendo in ea principia jam constituta. Quælibet autem scientia ita procedit.

1254 II. Scientiæ universæ ad hoc tendere debent, ut intellectum perficiant. Metodus autem mathematica aptissima est ad intellectum perficiendum. Hæc igitur metodus in ceteris scientiis est adhibenda.

Propositio. *Perfecta, & absoluta metodus mathematica in aliis scientiis adhiberi non potest.*

1255 Prob. Methodus mathematica perfecta & absoluta in eo posita est, ut initio statuantur 1. *definitiones* apertissimæ, & à nemine in dubium revocatæ; 2. *axiomata*, id est, propositiones per se notæ, quarum veritas statim cognoscitur, perceptis terminis; 3. *postulata*, id est, quædam propositiones facillimæ, quas nemo negare audebit. Deinde oportet, propositiones quæ demonstrantur, ita apte esse conjunctas, ut earum veritas evidentissime pateat vel immediate ex illis cons-

(1) Imo hujus seculi viris, qui eruditionem ostentant, præsertim in rebus physicis, vix aliquid placet quod non sit ad calculos algebraicos comparatum. Quod tamen Wolfius loc. cit. §. 100. sq. & in Cartesio, & in Newtono reprehendit. In Cartesio quidem, de quo scribit: *Exemplo nobis est* Cartesius ... *Cum enim* Mersenni *desiderio satisfacturus suum de existentia Dei argumentum ad formam demonstrationis geometricæ reducere vellet, quam parum ipsi leges methodi mathematicæ, & genuina demonstrationis forma fuerint perspecta, abunde prodidit in Responsionibus ad objectiones contra Meditiones suas metaphysicas.* De Newtono autem hæc habet: *Doluit ipse vir summus* Isaacus Newtonus, *quod cum se studio mathematico totum daret, ad* Cartesii *Geometriam, aliosque Scriptores algebraicos statim progressus fuisset ... Quod si quis more à nobis præscripto demonstrationes syntheticas resolvere didicerit, & genuinam earum formam animo comprehenderit; is facile animadvertet, quod eam non perviderit* Newtonus, *neque adeo distinctæ agnoverit, unde pendeat evidentia veritatis extra Mathesim.* Hi sunt viri summi, qui perspectam non habent genuinam demonstrationis formam; neque agnoverunt, unde pendeat evidentia veritatis extra Mathesim.

titutis principiis, vel ex aliis propositionibus, quæ jam sunt ex principiis illis demonstratæ, itaut nulla sit propositio (sive hæc sit theorema, sive problema, sive lemma, sive scholion, sive corollarium) quæ non reducatur ad principia illa notissima, & in omnibus vera demonstratio habeatur. Atqui hæc methodus in aliis scientiis adhiberi non potest, ut in Mathematicis adhibetur, ad constituendum, scilicet, unum veluti scientiæ corpus ex propositionibus quæ sint omnes certæ & evidenter demonstratæ; dictum est enim supra (1) rationem omnino certam quæ est in Mathematicis, in aliis scientiis non esse quærendam (2). Igitur perfecta, & absoluta methodus Mathematica in aliis scientiis adhiberi non potest.

1256 Diximus *perfecta*, & *absoluta*: nam si de coordinatione propositionum sermo sit, quæ ita sint dispositæ, ut priores posterioribus lumen adferant, & posteriores ex prioribus tam-

(1) §. 129. sqq.

(2) Quis poterit in Physica v. g. definitiones omnes apertissimas tradere, & propositiones universas ita apte disponere, ut singulæ sint demonstratæ? Idem dicendum de Logica, de Metaphysica, de Ethica. In ipsis enim etsi pleræque sint propositiones revera demonstratæ; multo tamen plures sunt propositiones probabiles; imo si opera nonnullorum recentium Philosophorum percurramus, plurimæ sunt in iis rebus propositiones omnino falsæ, quamquam illi methodum mathematicam adhibere se glorientur. Testem appello impium opus Benedicti Spinozæ, in quo licet omnia videantur disposita methodo mathematica, nihil tamen est, quod non tendat ad Pantheismum constituendum ex principiis, & definitionibus vel omnino falsis, vel æquivocis, quibus præstitutis, cæteræ quæ concluduntur propositiones, tantum abest, ut demonstrationes esse possint, quinimmo sunt aperta sophismata. Nihilominus impius ille ut fucum veritati faceret, methodum mathematicam ostentavit. Neque unus fuit, qui hosce laqueos incautis tenderet; multi sunt ipsum imitati, præsertim in rebus metaphysicis, ubi materies est obscurior, ideoque facilius est errores perstringere, & propagare. In hac autem methodo mathematica, quam ipsi jactant, id etiam habent præsidii, quia cum Mathematici nullas sibi objiciant difficultates (nullas enim objicere sibi possunt, ubi universa sunt certissima, & summæ evidentiæ) postquam definitiones, axiomata, & postulata, vel lemmata ad arbitrium confinxerunt, ac propositiones, & corollaria, & scholia falsissima inde eruerunt, rem omnem confecisse videri volunt, neque de ulla difficultate quæ urgeri posset, vel minimum sunt solliciti. Si quis autem urgere velit, reponunt, se non scholasticos, & contentioso, sed mathematico more agere. Ita pestem ac perniciem ubique important.

quam principiis inferantur; non negamus, methodum mathematicam in aliis scientiis adhiberi posse (1); ac revera S. Thomas eam adhibuit (2) potissimum in Summa Theologica, & in alia, quam contra Gentes perscripsit.

1257 Verum & in ea adhibenda magno opus est judicio: nam contendere in aliis scientiis extra Mathesim de omnibus agere, ut Mathematici faciunt, perridicula videtur res esse (3); si enim aliarum scientiarum materia certitudinem, & evidentiam Mathematicam universim non patitur; qua ratione tractari omnino Mathematice poterit? siquidem modus tractandæ rei debet esse proportionalis rei de qua tractatur (4): ut enim

---

(1) Vide Clem. Alex. Strom. 8. ubi scribit: *Geometrica resolutio, & compositio divisioni dialecticæ, & definitioni similis. Et à divisione quidem recurrimus ad ea quæ sunt simpliciora, & magis principalia, &c.*

(2) Ipse Genuensis Log. Ital. l. 5. c. 3. §. 4. » S. Tommaso, *inquit*, » se ben si considera, ha scritta la sua somma Theologica un con » metodo presso che Euclideo, per la sola sorprendente forza d' inge» gno, e la lettura dell' opere di Aristotele, e degli Arabi, che ave» vano tutti scrito da Geometri.“ *S. Thomas, si recte consideretur, Theologicam suam summam scripsit methodo ferme Euclidea, unice ob eximiam ingenii vim, lectionemque operum Aristotelis, atque Arabum, qui omnes Geometrarum more scripserant.* Quæ cum dicat, non erat, cur in Prolegom. Art. Log. Crit. §. 26. sq. in Arabum Dialecticam tantopere inveheret, omniumque Scholasticorum methodum irrideret.

(3) Christianus Wolfius universa quæ scripsit, methodo mathematica complexus fuit. Daniel Concina *De Jure nat. & gent. Diss. Proleg.* c. 6. judicium ferens hujusce methodi, qua Wolfius jus naturæ exponit, multa habet, quibus non modo inutilem eam methodum, sed etiam pernitiosam probat. Pauca hic describam non minus apposita, quam vera: *Illa* (Wolfiana methodus) *lectores suos, ut rotam, in gyrum perpetuum circumagit. Ut probet propositionem trigesimam, modo te remittit ad decimam, modo ad quinquagesimam. Illuc pergis, & continuo aliam citationem offendis, quæ te mittit ad Philosophiam moralem. Arripis iter, & illuc cum perveneris: quasi lætus de invento demonstrationis arcano, en tibi obviam alia citatio, quæ te remittit ad Logicam ... & hæc quoque te in gyrum agit ad Psichologiam: & hæc te circum agit ad Cosmologiam: hinc revocaris ad Theologiam naturalem ... En in hoc vitioso, atque perridiculo citationum circuitu percurrendo occupatos lectores, temporisque jacturam gravissimam factam.*

(4) S. Thomas 1. Ethic. lect. 3. » Modus, *inquit*, manifestandi ve» ritatem in qualibet scientia, debet esse conveniens ei quod subjicitur

ait Cicero (1), *propriis & suis argumentis, & admonitionibus tractanda quæque res est.*

1258 Ad primum respondemus, in aliis scientiis definitiones omnes adeo exactas esse non posse, ut in Mathematicis; neque probationes adeo efficaces, ut singulæ ad demonstrationis vim pertingant, & ad principia per se nota absque ambagibus resolvantur, ut dictum est (2).

1259 Ad secundum dicimus, methodum Mathematicam aptissimmam quidem esse ad perficiendum intellectum in iis quæ sunt abstracta à materia, nec tamen ipsum intellectum excedunt (3); in reliquis non item. Scientiæ autem à Mathematicis diversæ perficiunt intellectum eo modo quo is perfici potest cum corpore conjunctus; in hoc enim statu conjunctionis veritas in omnibus de quibus sunt scientiæ, inveniri per certas evidentesque demonstrationes minime potest.

ARTICULUS III.

Utrum certæ sint regulæ in methodo servandæ.

1260 VIdentur nullæ certæ regulæ esse, I. nam methodus ipsa quædam est regula. Si igitur aliæ regulæ essent, jam regula indigeret regulæ.

1261 II. Qui de methodo scripserunt data opera, veluti Cartesius (4), ita in varias regulas abierunt, ut in judicandi,

---

» sicut materia in illa scientia: nam certitudo non potest inveniri, » nec est requirenda similiter in omnibus sermonibus, quibus de aliqua » re ratiocinamur. Sicut neque in his quæ fiunt per artem, est simi- » lis modus operandi in omnibus, sed unusquisque artifex operatur ex » materia secundum modum ei convenientem, aliter quidem ex terra, » aliter ex luto, aliter ex ferro."

(1) L. 5. Tuscul.

(2) Vide S. Thom. 2. Metaph. lect. 5. & quæ diximus §. 134. sq.

(3) Vide S. Thom. 2. Metaph. lect. 5.

(4) In Diss. de Methodo. Nam 1. statuit, *se non præcepta dare audere*, nec aliud *promittere quam historiæ* methodi, quam ipse sequutus fuit, *vel, si malis, fabulæ narrationem.* Et sane fabularum loco habenda sunt quæ de materiæ elementis, & vorticibus postea docuit; aliæque hypotheses in quibus Philosophiam suam præsertim naturalem extruxit. 2. arbitrari se dicit, *nihil melius facere posse, quam si omnes opiniones quas fuerat amplexus, è mente deleret*, ædificiumque,

ratiocinandique artem confusionem potius, quam ordinem induxerint. Quis igitur poterit accurate certas methodi regulas constituere?

à fundamentis extrueret, destructo illo quod erat ædificatum. Quod ut præstaret, à notissimis veritatibus in dubium revocandis incœpit, scilicet, an ipse existeret, an semper falleretur, an vigilaret, vel somno indulgeret, cum sibi vigilare videretur &c. De quibus nemo umquam prudens dubitavit, nec dubitare potest. 3. post statutas quasdam regulas ad Ethicam pertinentes, quas modo examini subjicere non vacat, novam methodum aggressus est explicandi ea quæ in *Novo* mundo à se conficto agerentur, *si*, scilicet, *Deus nunc alicubi in spatiis imaginariis sufficientem ad eum componendum materiæ copiam crearet, varieque, & sine ordine diversas hujus materiæ partes agitaret, ita ut ex ea æque confusum Chaos, atque Poetæ fingere valeant, componeret*: (Egregia sane methodus explicandi res naturales more Poëtarum) *deinde nihil aliud ageret, quam ordinarium suum cursum naturæ commodare* (En commodato, ac veluti precarie naturæ singulæ operantur, (*ipsamque secundum leges à se constitutas agere sineret.* (Quid vero si natura quæpiam secundum *ordinarium cursum* non operetur, ut cum miracula fiunt? Quidve cum homo leges à Deo constitutas transgreditur?) Pergit Cartesius: *Quænam essent naturæ leges ostendi*; *nulloque alio assumpto principio quo rationes meas stabilirem, præter infinitam Dei perfectionem* (quasi illam comprehenderit, atque inter infinitos possibiles modos quibus creaturæ participes esse possunt divinæ perfectionis, in eadem Dei perfectione cognoverit leges, quas Deus naturæ imposuit) *illas omnes demonstrare studui, de quibus dubitatio aliqua oboriri posset* (Jam si hæc vera essent, nulla amplius dubitatio suboriri posset de legibus quas Deus astris, quas elementis, quas brutis, quas hominibus posuit; essent enim omnes à Cartesio demonstratæ) *probareque eas tales esse, ut etiam si Deus plures mundos creasset, nullus tamen esse posset, in quo non accurate observarentur.* Si autem nullus alius mundus creari potest, in quo non essent, si crearetur, nisi eædem leges, quæ sunt in mundo creato; Deus non posset alium mundum condere, quin cœlos, planetas, cometas, stellas fixas conderet; quin particulæ materiæ ad centrum ferrentur &c. hæc enim omnia secundum illas leges à Cartesio disposita, & collocata sunt. Vide in quæ absurda (ne cætera persequar) præceps ruat Cartesii methodus. Et nihilominus Genuensis Art. Log. Crit. l. 5. c. 5. §. 2. optat, ut *Philosophi tyrones Cartesii opera legant, in nullis enim aliis libris methodus analytica exactius servatur.*

Propositio. *Statuuntur regulæ methodi cum syntheticæ tum analyticæ.*

1262 I. Regula. In methodo synthetica præmittendæ sunt definitiones (1) tam rerum, quam terminorum; insuper præmittenda sunt principia, sive hæc sint axiomata, seu propositiones per se notæ; sive sint principia innixa experimentis; sive sint propositiones jam sufficienter probatæ, quæ assumuntur loco principiorum. Nam methodus synthetica progreditur à simplicibus ad composita, ab universalibus ad particularia, à causis ad effectus, ut supra diximus (2). Definitiones autem simplices sunt (3), & universales; principia etiam universalia sunt, & causæ conclusionum, ut supra ostendimus (4). Non ideo tamen necesse est, statim ab initio universas definitiones, & prima principia ponere, quemadmodum Geometræ faciunt; sed sufficit, ut in qualibet quæstione ponantur antequam resolutio fiat. Hæc omnia unico verbo *prænotanda*, seu *præsuppositа* Scholastici vocant.

1263 II. Reg. Rursus in methodo synthetica oportet prius considerare communia, & postea propria unicuique illius generis; ita enim proceditur ab universalioribus ad minus universalia; atque, ut S. Thomas advertit (5), *nisi hoc fieret, idem diceretur frequenter.*

1264 III. Reg. Præterea in methodo synthetica, incipiendum est à notioribus: ita enim ad veritatem aperitur via. Incipiendum est etiam à facilioribus, ut fieri potest; nam faciliora nullo pene labore intelliguntur: sin minus, ab eo à cujus cognitione cognitio sequentium dependet (6): in scientiis enim potissima habenda est ratio connexionis propositionum, quæ si abest, nulla esse legitima ratiocinatio, nullaque ratiocinationum connexio, & colligatio potest, ex quibus scientiarum veluti corpus efficitur (7).

---

(1) Vide quæ diximus §. 1127. sqq. (2) §. 1243.

(3) Eulerus in Mechanicæ Præfat. rationem reddens, cur à simplicioribus sit incipiendum, advertit, Newtoni opus de Principiis ab hoc ordine recedere, perturbatumque esse; additque, se propterea cum librum legeret, intellexisse; cum autem à legendo cessaret, vix pauca eorum quæ legerat, memoria tenuisse. Eadem animadversio fieri potest de pluribus juniorum Philosophorum libris.

(4) §. 1099. (5) 1. de anim. lect. 1. (6) Vide §. 123.

(7) Genuensis insuper præcipit Log. Ital. l. 5. c. 1. §. 9. ut curemus,

1263 IV. Reg. In methodo analytica adhibenda divisio est, accurateque servandæ sunt divisionis leges: ita enim expeditius accedimus ad id quod quæritur (1). Divisione etiam mens juvatur: nam res distributæ per partes facilius cognoscuntur, & tenacius menti inhærent (2). Divisio autem non debet esse nimia; hæc siquidem confusionem parit (3): sed quæ sufficiat, ut rei de qua agitur, lux affulgeat: scilicet, dividenda res est in genera, & species, quæ dicuntur partes *subjectivæ*, sive etiam in partes *integrales*, & *potentiales*, & *accidentales* (4).

---

dum ab una propositione ad aliam progredimur, servare eamdem primam perspicuitatem, & evidentiam tam in singulis propositionibus, quam in earum connexione. Id quidem in mathematicis fieri potest, in reliquis scientiis non item. Nam & ipse Genuensis ib. c. 3. §. 5. docet in Scientiis Physicis, Mechanicis, Metaphysicis, Moralibus, vix in paucis rebus egredi nos posse è regno probabilitatis. Quare non video, cur in priore cit. loco Ciceronem reprehendat quod in libris *de officiis* non ita feliciter se gesserit in hac servanda regula. Nam si officia hominum ad moralia pertinent, quid erit mirum, si Cicero aliquando à perspicuitate, & evidentia in illis libris recessit? Inter veteres, qui in usu ejusdem regulæ excelluerunt, Genuensis *ib.* ponit Aristotelem, quia magnus Geometer fuit. Aristoteles ergo ex Genuensis sententia servavit in suis operibus perspicuitatem, & evidentiam: quod nec Aristoteles ipse contenderet: nam in Epist. ad Alexandrum M. quam ex Plutarcho, & Gellio refert Stanlejus in Aristotele c. 8. Acroamatica opera sua *edita esse*, *& non edita* scribit; *vix enim*, inquit, *quispiam qui nos audierit minus, ea intelliget.*

(1) » A divisione (inquit Clemens Alex. Strom 8.) recurrimus ad » ea quæ sunt simpliciora ... & sic semper dividendo accedimus ad id » quod quæritur, & non amplius suscipit divisionem.«

(2) Quæ rationes sunt, cur S. Thomas ubique suorum operum dividat diligentissime.

(3) Seneca Epist. 89. » Philosophiam, *inquit*, in partes, non in frus» tra dividam. Dividi enim illam, non concidi utile est. Nam com» prehendere quemadmodum maxima, ita minima difficile est.« Hac in re peccavit Wolfius, qui usque ad minima dividit.

(4) Partes *subjectivæ* dicuntur species, quia subjiciuntur generi; sic justitia dividitur in commutativam, & distributivam. Partes *integrales* sunt quæ integrant totum. Sic S. Thomas 2. 2. q. 49. varias distinguit partes integrales prudentiæ. Partes *Potentiales* dicuntur illæ, quæ non perfecte attingunt ad rationem eorum quorum sunt partes. Sic Religio est pars potentialis justitiæ. Vide S. Thom. ib. q. 80 sq. Partes *accidentales* sunt ipsa accidentia quæ afficiunt substantiam. Ita cum Apostolus,

1266 V. Reg. In methodo analytica ita propositiones disponi debent, ut posteriores inferantur ex prioribus, vel saltem ex iis, quæ jam alibi sunt probatæ: alioqui resolutio non esset innixa rationi, quæ nulla est, cum præmissæ non satis constant (1).

1267 Ad primum dicendum, methodum non tam regulam esse, quam viam ordine progrediendi. Ut autem quis ordine incedat, regularum indiget.

1268 Ad secundum dicimus, nonnullos juniores Philosophos, qui regulas methodi præscripsere, in iis, vel in earum usu fuisse deceptos. Exemplum suppeditat Cartesius, qui cum constituisset, in veritatis inquisitione incipiendum esse ab universali dubitatione, nihilque esse admittendum, cujus non haberemus claram, & distinctam ideam; tandem desiit in hypotheses fictitias, & fabulis simillimas.

QUÆSTIO XXXIII.

De Methodo docendi.

1269 Post generales regulas methodi cum syntheticæ, tum analyticæ, progredimur ad methodum docendi, de qua duo quæremus, 1. an methodus scholastica sit aptior ad docendum. 2. an utilius sit docere scriptis, quam voce.

ARTICULUS I.

Utrum methodus scholastica sit aptior ad docendum.

1270 Videtur negandum I. quia non solum eximii Phi-

---

ait 1. Cor. 15. v. 40. *alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum*, dividit accidentia. Clemens Alex. Strom. 8. »Ex »divisionibus, *ait*, una quidem dividit id quod dividitur in species: »altera autem in partes, ut totum: alia vero in ea quæ accidunt.« Vide Inst. Log. §. 97.

(1) Regulam quam Genuensis præscribit Log. Ital. l. 5. c. 3. ut scilicet propositiones ita sint connexæ, ut secunda demonstretur per primam, tertia per secundam, quarta per tertiam &c. ne ipse quidem Euclides tenuit: nam propositionem 4. l. 1. demonstrat per sola axiomata. Similiter prop. 7. demonstrat per quintam &c.

losophi (1), sed etiam Ecclesiæ Patres usi sunt ad docendum methodo Dialogorum (2). Hæc igitur ad docendum est aptior.

1271 II. Viri etiam eximii, imprimisque Ecclesiæ Patres usi sunt sæpissime methodo Epistolarum, quod familiaris sit, & facilior. Eademque methodus postremis hisce temporibus apud eruditos plerosque obtinuit, qui de gravissimis rebus per epistolas, quas nonnumquam fictis & suis, & Amicorum eorum ad quos scribunt, nominibus in vulgus spargunt.

1272 III. Methodus scholastica ignota prorsus fuit antiquis, & Philosophis, & Patribus usque ad decimumtertium circiter sæculum. Quis autem dixerit, illorum neminem tenuisse aptam docendi methodum?

Propositio. *Methodus scholastica aptior est ad docendum.*

1273 Prob. Methodus scholastica in eo posita est, ut principio instituatur quæstio de re, de qua discipuli sunt docendi; statim vero adducantur præcipua argumenta adversariorum; deinde statuantur ea, quæ ad rei de qua agitur, intelligentiam requiruntur; postea ex illis probetur propositio; denique respondeatur ad argumenta objecta. Hac methodo S. Thomas in Summa Theologica perpetuo utitur, illiusque habetur auctor (3). Atqui talis methodus est ad docendum aptissima: nam 1.

---

(1) Plato perpetuo utitur methodo dialogorum, qua & Socrates usus fuit, teste Cicerone 3. de fin. & Tullius ipse sæpe utitur.

(2) Dialogorum formam adhibuit S. Hieronymus adversus Luciferianos, & Pelagianos, eumque putat utiliorem: nam Proëm. in Dial. adv. Pelag. Hic liber, *inquit*, quem nunc cudere nitimur, Socrati» corum consuetudinem servabit, ut ex utraque parte quid dici possit » exponat & magis perspicua veritas fiat, cum proposuerit unusquis» que quod senserit.“ Eamdem methodum servavit S. Augustinus in lib. con. Acad. & inaniis plerisque.

(3) Cum de methodo scholastica loquimur, eamque probamus, non propterea inficiamur, fuisse quosdam scholasticos, qui de pluribus frivolis argumentis per vanas, & invalidas ratiunculas egerint, deque illis decertarint tamquam de rebus gravissimis, atque pertinaces lites habuerint. Hæc autem non methodi scholasticæ, sed paucorum scholasticorum vitia sunt. Quare immerito post Lutheranos, & Calvinianos plurimi hac ætate adversus Scholasticorum methodum insurgunt. Vide Canum l. 8. de locis c. 1.

nisi rei de qua agitur instituatur quæstio, non licebit ultra progredi (1). 2. nisi proposita sint argumenta, quæ contra sunt, ratio dubitandi de veritate quæstionis institutæ, nulla patebit (2). 3. Nisi adferantur ea, quæ propositioni probandæ lucem addant, res quæsita intelligi minime poterit. 4. Nisi probetur positio, frustra esset instituta quæstio. 5. Nisi ad argumenta respondeatur, non satis erit occursum adversæ sententiæ (3). Ut autem quis recte doceatur, hæc omnia apprime requiruntur,

(1) S. August. Tract. 29. in Joan. » Qui non videt quæstionem, quæ » proponitur, quomodo intellegit quod exponitur?" Et Proëm. Quæst. in Gen. » Nonnulla pars inventionis est, nosse quid quæras."

(2) Vide quæ scripsimus ex S. Thoma §. 94. not. *Quæ causa*. Confer etiam Clementem Alex. Strom. 8. scribentem: » Aperto per scrutationem » eo quod est impedimento, ingeneratur contemplatio, quæ est scientia."

(3) Gravesandus Introd. ad Philos. §. 666. hunc statuit Canonem: » Si ubi propositio mihi evidenter demontrata apparet, argumenta in » contrarium, quæ mihi etiam evidentia videntur proponantur, in du» bio mihi hærendum erit; error certe datur, sed determinare non » possum ad quam partem." Verum si mens in dubio hæret, qua ratione propositio ipsi apparere potest evidenter demonstrata? nam propositioni evidenter demonstratæ mens refragari nequit; mens enim convincitur evidentia. Fieri ergo non potest, ut mens in dubio hæreat, si argumenta in contrarium videantur etiam evidentia: nam esset simul, & non esset convicta de veritate ejusdem propositionis. Igitur tantum abest, ut mens in eo casu nequeat determinare ad quam partem error detur; quinimmo evidenter cognoscat, argumenta objecta, vel falsa esse, quamlibet videantur evidentia; vel explicatione indigere, qua constet, illa argumenta propositioni evidenter demonstratæ non adversari. Hinc sequitur, falsum esse Canonem, quem §. 670. idem Gravesandus tradit, scilicet, *plenam non posse dari persuasionem, nisi omnes objectiones solvantur, si per objectiones intelligantur evidentia argumenta, quibus contraria propositio probatur*: nam si propositio, contra quam argumenta illa fiunt, jam fuit evidenter demonstrata; jam menti de ejus veritate fuit plene persuasum, alioqui propositio non fuisset evidenter demonstrata, ut Gravesandus suponit. Quomodo igitur mens jam plene persuasa per evidentem demonstrationem, non plene erit persuasa, nisi omnes objectiones solvantur? Quod addit §. 671. *posse negligi difficultates quæ salva propositione subsistere possunt, aut quæ in hac obscuri aliquid dari evincunt*; indignum est viro philosopho, qui paratus esse debet ad objecta omnia diluenda, præsertim cum alios docet, & cum difficultatum enodatio lucem addere posse videtur. Sed plurimorum hac nostra ætate talis est conditio, ut cum ad objecta respondere nesciant, negligi jubeant.

ut est perspicuum quis enim recte doceri potest, qui vel propositionem nesciat de qua sit docendus: vel rationes dubitandi ignoret; vel sit nescius definitionum, & principiorum, ex quibus probanda propositio est vel inscius sit rationum, quibus probatio nititur; vel demum respondere nesciat argumentis adversariorum? Methodus igitur scholastica aptissima est ad docendum (1).

1274 Ad primum respondemus, dialogorum formam re ipsa non multum differre à methodo scholastica, saltem quod ad modum pertinet proponendi, ac respondendi (2).

1275 Ad secundum dicimus in Methodo Epistolari servari etiam posse methodum scholasticam, si non adamussim saltem quoad ea quæ principaliora sunt (3).

1276 Ad tertium negamus, scholasticam methodum fuisse

---

(1) Experiendo compertum est, quam magno adolescentibus detrimento sint ii magistri, qui neglecta scholastica methodo, illos instituunt disciplinis Philosophicis more Geometrarum: nam si ejusmodi adolescentibus, postquam pluribus annis scholas adiverunt, vel leviter contradicas, nihil omnino habent quod respondeant. Qua ex re illud etiam consequitur, quod cum exercitati numquam fuerint in arte cognoscendi sophismata, statim velut arundines inclinantur in quamcumque partem; & si in libros incurrant, qui falsa doceant fucatis argumentis, in falsitatem ruunt, præsertim si male morati sint, & falsa illa dogmata vitiosas passiones foveant. Utinam non hæc potissima causa esset tam late manantis impietatis! Equidem præteritis seculis cum scholastica methodus colebatur, impii adversus Deum, & Religionem revelatam, apud nos saltem, pauci erant.

(2) Dialogos ad Dialecticam disputationem refert S. Augustinus l. 1. con. Cresc. Donat. c. 16. » Nec disputatio, *inquit*, potest esse sine dic-» tione, quando utique verbis, & lingua ipsa constrictio sermonis expri-» mitur: sive illo utatur perpetuo, sive interrogando eum, cum quo » agit, cogat respondere quod verum est, & ex hoc ad aliud verum » quod quærebatur, adducat, ubi maxime regnare dialectica dicitur.“ Et S. Thomas 1. p. q. 84. a. 3. ad 3.“ Nihil refert, utrum ille qui do-» cet, proponendo, vel interrogando procedat de principiis communi-» bus ad conclusiones. Utrobique enim animus audientis certificatur » de posterioribus per priora.“

(3) Multæ sunt Epistolæ dogmaticæ Sanctorum Patrum, in quibus methodus pene scholastica adhibetur, nimirum, status quæstionis proponitur; principia certa ponuntur; rationes adjiciuntur, quibus sententia firmatur; objectis denique argumentis respondetur. Vide S. Basilium Epist. 38. al. 43. quæ est de discrimine essentiæ, & hypostasis; perspiciesque quam illa similis sit art. 3. q. 29. 1. p. Summæ Theologicæ S. Thomæ.

antiquis ignotam (1). Quid enim aliud scholastici faciunt, quam docere disputando ad Dialecticæ leges? Id autem veteres universim fecere (2); quidam late, diffuseque, ac proinde eloquenter, quique propterea Oratores dicti sunt; quidam presse, atque constricte, qui disputatores sunt appellati (3).

ARTICULUS II.

Utrum utilius sit docere scriptis, quam voce.

1277 Mabillonius de studiis Monasticis P. 2. c. 10. §. 1. omnino ad rem esse putat, quod Magistri tyronibus scripta dictent, I. quia difficillimum est, Magistro plane arridere quidquid in opere Auctoris edito continetur.

1278 II. Quia Magister multo melius propria scripta conformare poterit ingenio discipulorum; & apud eos majorem sibi conciliabit auctoritatem, si scripta à se composita illis tradiderit.

1279 III. Scientiæ vividius mentibus discipulorum imprimuntur scriptione; nec discipuli: cum scribunt, facere possunt, quin attendant: quod tamen vix erit sperandum, si audire duntaxat debeant Magistrum explicantem.

1280 IV. Ea fuit fere omnium temporum praxis, ut scripta adolescentibus, traderentur.

---

(1) Scholastice dicere idem est, ac rem per controversiam logice disputare; idque non improprie: nam Cicero scholas pro controversiis usurpavit scribens l. 1. Tuscul. *Dierum quinque scholas (ut Græci appellant) in totidem libros contuli.* Antiquissimus autem est usus logice disputandi per controversias. De nomine *Scholastici* modo non quærimus; scimus enim, aliquando eo nomine fuisse nuncupatos declamatores litium fictarum. Vide Tacitum l. de Orat. & Plinium l. 4. Epist. 3. & S. Hieron. in c. 2. Epist. ad Galat.

(2) Clemens Alex. Sirom. 8. » Magna, *inquit*, cura est gerenda, » quibus suppositis quid concludat: an autem concludentem orationem, » an syllogisticam quis velit appelare, non curare."

(3) S. Augustinus, l. 1. con. Cresc. Donat. c. 16. » Verus disputator, *ait*, si late diffuseque faciat, eloquenter facit, alioque tunc censetur augeturque vocabulo, ut dictor potius, quam disputator vocetur... » Si autem presse atque constricte, magis eum disputatorem, quam dictorem appellare consueverunt."

Propositio *Mos docendi voce longe est utilior more dictandi scripta.*

1281 Prob. Mos dictandi scripta, hæc inter alia creat incommoda, 1. magnam temporis jacturam parit cum in Magistris dictantibus, tum in discipulis describentibus dictata: quod quidem tempus impendi utilius, posset. 2. Cum non admodum facile sit præceptores invenire qui scientias accurata methodo tractare scribendo sciant; sæpe eveniet, ut semidocti præceptores ea quæ in diversis libris invenerunt, in unum colligant; & quia multoties Auctores illorum librorum ex diversis, imo quandoque oppositis principiis procedunt, evenit, ut scripta illa nihil aliud sint, quam indigesta quædam farrago doctrinarum quarum una aliam destruit. 3. Si autem præceptores scripta dictent ab aliis accurate elaborata, consequitur, utilius esse aliorum laboribus uti ad discipulos erudiendos. Denique cum adolescentes qui ad scientias addiscendas accedunt, earum sint, imperiti, si ad scribendum dictata cogantur, res describent quas non intelligunt, & verba, ac sententias depravabunt. Hæc autem incommoda caventur, si Magister voce discipulos doceat. Utilius est igitur, explicando docere, quam Institutiones describendas dictare (1).

---

(1) Id unum difficultatem habet, quodnam, scilicet, seligi ad explicandum opus debeat. Quintilianus l. 2. Instit. c. 6. » Ego, *inquit*, » optimos quidem (libros), & statim, & semper, sed tamen eorum » candidissimum quemque, & maxime expositum velim.“ Seligendum est igitur opus Auctoris optimi, qui nihil scripserit, quod cum Fidei, & Ecclesiæ Catholicæ documentis pugnare vel minimum videatur; qui sit in rebus explicandis perspicuus; qui cum perspicuitate soliditatem rationum, & brevitatem conjugat. Quæ quidem conditiones cum universæ mirifice conveniant in Summa Theologica Angelici Præceptoris, consultum optime fuit ab Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali Joanne Thoma de Boxadors Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, cum decrevit, ut missis quibuscumque aliis Institutionibus Theologicis, Textus ejusdem Summæ in Scholis nostris explicaretur viva, ut inquiunt, voce. Vide quæ diximus §. 97, *not. merito. seq.* Quod si qui non probant, propterea quod multæ sunt controversiæ post S. Thomæ obitum in Ecclesia exortæ; multæ etiam quæstiones sive historicæ, sive criticæ, quas Thomas vel nullo modo, vel tantum leviter attigit; ii profecto minime animadvertunt, oportere, ut tyrones, quemadmodum in reliquis facultatibus, ita in Theologicis, elementa primum addiscant,

1282 Ad primum respondemus, facile posse Magistro arridere, quæ alterius opere continentur, si Auctor sit ejusdem scholæ, quam sibi sectandam Magister constituit. Quod si quæ sint quæ Magistro displiceant, is poterit discipulos monere.

1283 Ad secundum dicimus, Magistrum, si tanto polleat acumine ingenii, ut scripta sua ingenio discipulorum conformare sciat multo magis ingenio valevit, ut possit discipulis explicare, pro eorum captu, ea quæ alterius opere comprehenduntur. Ne quidpiam auctoritati Magistri apud discipulos detrahetur, modo ille inter explicandum, eruditionis, ac doctrinæ suæ spæcimen prebeat; & si quæ sint addenda, non modo indicet, sed etiam declaret, brevibus tamen, ne mentes oneret discipulorum.

1284 Ad tertium dicimus, non scriptione sed meditatione scientias comparari; nec quidquam prodesse attendere scriptioni; nisi ea quæ scribuntur, animo recolantur (1).

---

quibus veluti fundamenta jaciantur earumdem facultatum. In Thomæ autem Summa Theologica nihil desideratur, quod ad Sacræ Doctrinæ elementa cumulate pertineat: & si integrum doctrinæ corpus consideretur, invenietur, nihil etiam pene deesse, quod ad postremas adversus Heterodoxos, impiosque homines controversias spectat, quorum sophismata longe animo perspexisse, atque detexisse Thomas videtur. Si quæ vero sunt quæstiones, sive historicæ, sive criticæ, quas Thomas non attigit, eæ non ad tyrones, sed ad provectos pertinent; deque iis moneri ab Lectoribus adolescentes possunt.

(1) Qui auditores suos scientiis utiliter informare cupit, has regulas teneat. 1. Rationem habeat illorum ætatis, & ingenii. Pythagoræ hanc ingenii cognoscendi fuisse rationem scribit Gellius l. 1. c. 9. » A » principio adolescentes, qui sese ad discendum abtulerant, ἐφυσιογνωμόνει » Id verbum significat mores, naturasque hominum conjectatione qua» dam, de oris, & vultus ingenio, deque totius corporis filo, atque » habitu sciscitari. Eum qui exploratus ab eo, idoneusque fuerat, re» cipi in disciplinam statim jubebat." Quintilianus l. 1. c. 4. *Ingenii*, inquit, *signum in parvis præcipuum memoria est (ejus duplex virtus percipere, & fideliter retinere) proximum imitatio.* Angelicus autem in 2. d. 24. q. 2. a. 2. ad 5. hanc certam tradit regulam ingenii mensurandi: *Hebetudo, vel subtilitas ingenii differrunt secundum velocitatem, & tarditatem addiscendi.* 2. Plano sermone præceptor omnia explicet, atque perspicuis utantur exemplis. Vide quæ diximus §. 421. ex D. Thoma. 3. Discipulos sæpe interroget, utrum explicata intellexerint; sin minus, denuo explicet, donec intelligant. 4. Eosdem benigne excipiat, ne scholas, ac studium aversentur; in desides autem ita animadvertat, ut intelligant, ipsum nonnisi propter eorum bonum com-

1285 Ad tertium negamus, praxim dictandi scripta omni fere tempore obtinuisse (1).

QUÆSTIO XXXIV.

De Methodo addiscendi.

1286 Plura de discendi ratione quæri solent (2). Nos au-

---

moveri. Denique curet, ut bene morati sint; nam *initium sapientiæ timor Domini.*

(1) Socratem docuisse deambulando, testatur Xenophon; ejusque disputationes à discipulis litteris fuisse mandatas, nec à Socrate probatas, refert Laërtius. Vide Stanlej. in Socr. c. 4. Pythagoras etiam discipulos habebat, qui *audientes* vocabantur, donec probati essent. Stanl. in Pythagora c. 16. Utque alios omittamus, Plato, & Aristoteles voce, non scriptis discipulos erudiebant; quare Aristoteles dictus est Peripateticus, quia inter deambulandum docebat. Cum S. Thomas Summam Theologicam pro Sacræ Doctrinæ Novitiis elucubrarit (Vide ejus Prolog.) argumento est, tunc temporis vel non fuisse à præceptoribus scripta dictata, vel hunc morem non fuisse Angelico probatum. Sub Carolo Magno in scholis legebatur Logica S. Augustino adscripta, ut diximus §. 157. *in not.* Quod item indicat morem ejus temporis docendi voce, non scriptis.

(2) Quæritur 1. an expediat adire scientias sine magistro? Respondet S. Thomas 2. Etich. lect. 1. non expedire: » Intellectualis virtus, *in-*» *quit*, secundum plurimum & generatur, & augetur ex doctrina; cu-» jus ratio est, quia virtus intellectualis ordinatur ad cognitionem, quæ » quidem acquiritur nobis magis ex doctrina, quam ex inventione. Plu-» res enim sunt, qui possunt cognoscere veritatem, ab aliis addiscen-» do, quam per se inveniendo. Plura etiam unusquisque inveniens, ab » alio discet, quam per seipsum inveniat. Sed quia in addiscendo non » proceditur in infinitum, oportet, quod multa cognoscant homines » inveniendo."

Quæritur 2. utrum adolescentes utilius in scholis, quam domi eruditantur? Qui privatam domi eruditionem anteponunt, duas præsertim rationes sequi videntur; unam quod moribus adolescentum magis consulatur, si avocentur à turba hominum ejus ætatis, quæ ad vitia est prona; alteram, quod præceptor diligentius poterit unum, quam plures instruere. Quintilianus autem l. 1. c. 3. putat, longe esse utilius pueros scholas addire; tum quod *domi ea sola discere possunt, quæ sibi præcipientur, in schola etiam quæ aliis*; tum quod *firmiores in litteris profectus alit æmulatio.* Si quæ autem est corrumpendi mores occasio eam præceptor potest avertere. *Da mentem*, ait Quintilianus loc.

tem qui de congruo addiscendæ Philosophiæ ordine jam ante (1) tractavimus, id unum quæremus, qua scilicet ratione debeat quis studiis vacare, ut possit in iis progressus facere.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum ad proficiendum in studiis certa servanda sit methodus.

1287 Videtur negandum, 1. quippe ad proficiendum in studiis requiritur facilitas memoriæ, & judicii acumen, quibus qui sunt prædíti, possunt in scientiis progressus facere: qui sunt destituti, vix quidquam proficient.

1288 II. Quintilianus (2) in ea sententia est, oportere pueros eodem tempore discere non modo Grammaticam, sed & Musicam, & Arithmeticam, & Geometriam, & reliquas artes, quibus efficiatur orbis ille doctrinæ, quem Græci ἐγκυλπαιδείαν vocant. Censet ergo, nullam in studiis cerdam servandam esse methodum.

---

cit. *ad pejora facilem, da negligentiam formandi, custodiendique in ætate prima pudoris, non minorem flagitiis occasionem secreta præbuerint. Nam & esse potest turpis domesticus ille præceptor, nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est.* Majorem vero diligentiam, quam domi adhibere præceptor potest, compensabit æmulatio majori cum utilitate.

Quæritur 3. an veteres Scriptores potius quam juniores legendi sint? Respondemus autem, nullius Scriptoris aspernandam esse lectionem, modo vetita non sit. Nam sicut veterum opera solent esse præstantiora ob doctrinæ soliditatem; ita opera recentiorum præstare solent eruditionis copia; progressu enim temporis scientiæ incrementum accipiunt, ut diximus n. 1. p. 85. Curæ autem Præceptoris erit, ut eos libros adolescentes legant, qui sunt magis ad eorum captum accomodati.

(1) §. 116. sqq.

(2) L. 1. c. 16. sqq.

Propositio. *Ut quis in studiis progressus faciat, ita debet ordine discere, ut præcedant quæ lumen sequentibus præbeant.*

1289 Prob. Ubi ordo desideratur, existit confusio (1); nam confusio ordine tollitur. Sed ubi confusio existit, progressus in studiis esse non potest: quandoquidem ad mentis nostræ brevitatem confusio additur. Ordo autem in studiis esse non potest; nisi ea quæ præcedunt lumen frequentibus præbeant (2); etenim à notioribus incipiendo aperitur via ad veritatem, ut supra dictum est (3). Ut quis igitur in studiis progresus faciat, ita debet ordine discere, ut quæ præcedunt, lumen sequentibus præbeant (4).

---

(1) Vide Nazianz. Or. 26.

(2) Quare qui legit, ad ea quæ sequuntur, transire non debet, nisi intellexerit antecedentia, quæ si non intellexerit, repetere debet, donec intelligat. S. Augustinus l. 11. de Trin. c. 8. » Legentibus evenit, » & mihi sæpissime, ut perlecta pagina, vel epistola, nesciam quid le» gerim, & repetam.“ (3) §. 1264.

(4) Ut aliquam hac in re praxim indigitemus, methodi speciem, & formam adumbrabimus singulorum captui, & ætati respondentes, quod ad rectam nostrorum dumtaxat institutionem pertinet. Itaque cum nemo in Fratrum nostrorum cœtum admitti debeat, qui non sit satis latine peritus, curandum erit, ut Novitii primo tyrocinii anno instruantur in iis quæ ad statum religiosæ perfectionis spectant, librosque legant, quibus imbui virtutum ideis possint; quia tamen *in studii linguarum* occupari permittuntur in nostris Constitutionibus Dist. 1. c. 14. Tex. 3. litt. B. poterunt exerceri in libris linguæ latinæ purioris, cujusmodi sunt Ciceronis opera. Exerceri etiam poterunt in studiis linguarum Hebraicæ, & Græcæ, ut earum notitia instructi, ad scientias sublimiores comparentur. Ne vero à studio perfectionis avocentur, percurrent etiam Sacræ Scripturæ libros. Philosophiæ operam navaturi, primum Logicam, deinde Arithmeticæ, & Geometriæ cum planæ, tum solidæ elementa discent. Postea Physicam audient; deinde Ethicam, & Metaphysicam; is enim rectus est addiscendæ Philosophiæ ordo, ut supra ostendimus §. 116. sqq. Ad Theologiam progredientur, & Summam Theologicam S. Thomæ ita versabunt, ut singula, si fieri possit, ejus verba memoriter teneant. Hoc studio diligenter exacto, qui sunt mediocri eruditione contenti, & ad Sacras Conciones, vel ad Fidelium Confessiones unice cupiunt sese devovere, sedulam operam dabunt lectioni Sacrarum Scripturarum, Homiliis SS. Patrum, præsertim Chrysostomi, Bibliothecam Concionatoriam consulent P. Combefisii, & pu-

1290 Ad primum respondemus, ad proficiendum in studiis requiri sane memoriæ facilitatem, & ingenii acumen; sed hæc minime sufficere, nisi methodus accedat.

1291 Ad secundum dicimus, posse pueros diversa discere eodem tempore, si ea admodum colligata sunt inter sese; si autem disciplinæ colligatæ non sint, negamus, id expedire. Addimus, longe esse melius, ne adolescentum animus diversis disciplinis uno tempore fatigetur; nam inde confusio existit, quando quidem *pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

QUÆSTIO XXXV.

De Methodo disputandi.

1292 Disputationem definit S. Thomas (1), *Est actus syllogisticus unius ad alterum ad aliquod propositum ostendendum.* Dicitur *actus syllogisticus*, quia, ut dictum est (2) sub syllogismo comprehenduntur omnes aliæ species argumentationis (3). Dicitur *unius ad alterum*, quia disputatio vertitur inter opponentem, & respondentem (4). Quod additur *ad propositum ostendendum*, indicat disputationis effectum (5). De ipsa queremus 1. utilitatem, 2. fontes communes argumentorum, 3. regulas ut recte fiat.

---

rioris doctrinæ Moralis libros, & Canonum Tractatores adibunt. Qui autem majori pollentes ingenio, ad ampliorem eruditionem adspirant pro Ecclesiæ utilitate, hanc sequi poterunt methodum: Sacram Scripturam diligentius investigabunt, ejusque Commentatores consulent; Patrum libros revolvent; Concilia, & Summorum Pontificum Decreta percurrent; Historiam Ecclesiasticam discent; melioresque Controversiarum Auctores consulent. Is aptior videtur esse studiorum cum majorum, tum minorum ordo. Conferri potest Mabillonius l. 2. de Stud. Monast. c. 18. sqq. Ut autem qui multa legunt, eorum recordari opportune possint, duo curabunt, 1. ut notabiliora quæ legerint, scribant. S. Augustinus l. 4. de ani. & ejus orig. c. 7. » Sæpe, *inquit*, nos præsu» mimus aliquid memoria retenturos, & cum id putamus, non scribi» mus; nec nobis postea, cum volumus, venit in mentem, nosque pœ» nitet credidisse venturum, vel litteris non illigasse, ne fugeret.“ 2. Origenem imitari possunt, qui, ut refert S. Hieronymus Epist. 15. cum libros legeret, asteriscis, & obelis utebatur.

(1) Opusc. 39. c. 1. (2) Inst. Log. §. 107. sqq.
(3) S. Thom. loc. cit. (4) Ibid. (5) Ibid.

ARTICULUS I.

Utrum utile sit disputationes instituere.

1293 Videtur non modo inutile, sed noxium esse : nam 1. disputationibus lites foventur, & charitas Christiana sauciatur. Apostolus autem præcipit (1) : *servum Domini non oportet litigare.*

1294 II. Res de quibus disputatur, vel sunt certæ, & perspicuæ, vel incertæ, & dubiæ. Si certæ, disputationibus potius obscurantur ; si dubiæ, nihil præstat disputare, nam de veritate numquam constabit.

1295 III. Cum disputatur, vel omnibus oppugnantibus est respondendum, vel non omnibus. Si omnibus, nullus erit disputandi finis. Si non omnibus, qui primus disputationem fuit aggressus, videbitur cecidisse causa : quæ si pro Religione sit, silentium in Religionem ipsam vertetur. Utilius ergo erit, nullo modo disputare.

Propositio. *Utiliter disputationes instituuntur, modo non sint sophisticæ.*

1296 Quatuor disputationum species distinguit S. Thomas (2), doctrinalem, dialecticam, tentativam, & sophisticam. *Doctrinalis*, inquit, *sive demonstrativa est, quæ ad scientiam ordinatur, procedens ex primis, & veris, & per se notis, & propriis principiis illius scientiæ, de qua fit disputatio... Dialectica vero disputatio est ex probabilibus procedens & ad opinionem, vel propositum tendens... Tentativa autem disputatio, est quæ ordinatur ad experimentum sumendum de aliquo per ea, quæ videntur respondenti. Sophistica autem est tendens ad gloriam, ut sapiens esse videatur.* Atqui disputatio quæ ordinatur ad scientiam, utilis est ; ita enim scientiæ comparantur, & si quæ sunt adversariorum objecta, diluuntur, detecta falsitate. Disputatio quoque dialectica utilis est : nam licet in probabilibus veritas omnino certa deprehendi non possit disputando, nihilominus accedi potest ad id quod est

(1) 2. Tim. 2. v. 24.
(2) Opusc. 39. c. 2.

vero similius. Utilis præterea est disputatio tentativa: ipsa siquidem exercentur adolescentes, ut captiosas impiorum hominum argumentationes agnoscant, ac devitent. Restat igitur, ut una tantum sophistica disputatio inutilis sit, & noxia (1).

1297 Ad primum respondemus, non omnes lites noxias esse, & Christianæ charitati adversari: nam quæ, ut S. Augustinus ait (2), non contentione, & animositate, sed causa veritatis, & unitatis suscipiuntur, nullo modo noxiæ sunt dicendæ (3). Apostolus autem loquitur de disputationibus, quæ ad veritatem non ducunt (4).

1298 Ad secundum dicimus, de iis quæ sunt per se nota, ut sunt prima principia non esse disputandum (5): nam veritas primorum principiorum statim comperta est ex sola perceptione terminorum, ut supra diximus (6). De iis autem quæ certa, & perspicua fiunt per demonstrationem, disputari & potest, & debet, si qui illa oppugnant (7): nam quomodo objecta, quæ contra sunt, diluemus, nisi instituatur disputatio?

---

(1) S. Augustinus l. 1. de Gen. con. Manich. c. 1. & ipsas hæreses utiles esse ait, quia præbent Catholicis Doctoribus disputandi occasionem, & diligentius inquirendi veritatem." *Ideo*, inquit, *divina providentia multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum insultant nobis, & interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & Divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea & Apostolus dicit, oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos.*

(2) L. 4. con. Cresc. Donat. c. 3.

(3) Vide S. Thom. 2. 2. q. 38. a. 1. ad 3.

(4) S. Thomas in cit. c. 2. Epist. 2. ad Tim. lect. 3. *Quæstiones*, inquit, *in tantum sunt amandæ, in quantum ducunt ad veritatem, per hoc quod oportet, quod omnes unum dicant. Quæstiones autem stultæ non ducunt ad veritatem, sed ad litem quæ est vitanda; & ideo dicit*, Servum autem Domini, *id est, eum qui se dat servitio Domini*, non oportet litigare. Confer S. August. l. 1. con. Cresc. Donat. c. 3.

(5) Quare inepte Cartesius 1. p. Princ. §. 5. statuit, dubitandum esse *etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus esse per se nota*; ipsumque immerito laudat Genuensis Log. Ital l. 5. c. 2. §. 7. quod philosophari cœperit à revocando ad examen principium illud, *egone sum, aut non sum*? Vide S. Augustinum l. 3. con. Acad. c. 13.

(6) §. 1047.

(7) Non disputamus de mathematicis demonstrationibus, eo quod illæ adeo certæ, & perspicuæ sunt, ut à nemine in dubium revocentur: disputamus autem adversus Atheos de Dei existentia; adversus materialistas de animæ nostræ immaterialitate; quia licet hæ veritates

De probabilibus necessariæ disputationes sunt, ut si fieri possit, ad veritatem certam, vel saltem ad id quod est verisimilius accedamus.

1299 Ad tertium dicendum, omnibus quidem impugnantibus veritatem esse respondendum, dummodo non sint de illorum numero, qui eadem semper repetunt, mutatis verbis, ne videantur nihil habere quod respondeant (1). Contemnendi tamen ii sunt, qui cum rationibus non possint, contumeliis respondent (2).

ARTICULUS II.

Utrum utiles sint fontes communes, sive loci, ex quibus argumenta ad disputandum accipiuntur.

1300 Cicero (3) definit *locum esse argumenti sedem; argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem.* Præcipui loci sunt, à definitione (4), ab enumeratione partium (5), à

---

certissimæ sint, & evidentissime demonstrentur; nihilominus ab illis oppugnantur; adeoque oportet, eorum objectis occurrere.

(1) S. Augustinus documentum hac in re accipe l. 2. de Civ. c. 1. *Quis disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus? Nam qui vel non possunt intelligere quod dicitur, vel tam duri sunt adversitate mentis, ut etiamsi intellexerint, non obediant, respondent, ut scriptum est, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria si totiens velimus refellere, quotiens obnixa fronte statuerint non curare quid dicant, dum quocumque modo nostris disputationibus contradicant, quam sit infinitum, & ærumnosum, & infructuosum vides.*

(2) Imo contumeliæ ab inimicis Fidei prolatæ, habendæ sunt pro laudibus. *Quando* (ajebat S. Augustinus l. 3. oper. imperf. con. Jul. n. 18.) *pro defensione catholicæ Fidei ab hæreticis contumelias audio, pro laudibus habeo.*

(3) Top. 1.

(4) A definitione argumentatur Cicero Paradoxo 5. cum ait: *Si servitus est (sicut est) obedientia fracti animi, & abjecti, & arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos?* Conser ea quæ scripsimus de Definitione in Inst. Log.

(5) Exemplum ponit Cicero in Topic. *Si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber factus est, non est liber. At non est*

notatione nominis (1), à conjugatis (2), à genere (3), à forma (4), à similitudine (5), à differentia (6), à contrario (7), ab adjunctis (8), ab antecedentibus, à consequentibus, à repugnanti-

---

ulla earum rerum liber factus. Non est igitur liber. Vide quæ de Divisione diximus in Instit.

(1) Id est, à nominis interpretatione. *Interpretare vocabulum Monachi* (ajebat S. Hieronymus in Epist. ad Heliodorum) *hoc est nomen tuum. Quid facis in turba, qui solus es?* Et Cicero in octava Philippica: » Quid est, *inquit*, tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major » timor oriatur, quasi timor multus? "

(2) Conjugata dicuntur, quæ ab uno verbo orta, varie commutantur, ut sapientia, sapiens, sapere, sapienter. Cicero in Top. *Si compascuus ager est, jus est compascere.* Et pro Flacco: *Desine putare auctoritatem esse in eo testimonio, cujus auctor inventus est nemo.*

(3) *Cum à genere ducitur argumentum* (inquit Cicero in Top.) *non erit necesse id usque à capite arcessere, sæpe etiam citra licet, dummodo supra sit quod sumitur, quam id ad quod sumitur ... Commode etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere sumitur, cum ex toto persequare partes, hoc modo: Si dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur: enumerare licet quibus id modis fiat; deinde in eorum aliquem id quod arguas, dolo malo factum includere: quod genus argumenti in primis firmum videri solet.*

(4) Quam Cicero in Top. formam, nos speciem dicimus. A specie ad genus affirmatio ducitur in omnibus quæstionibus, v. g. est homo, igitur est animal, non autem econtra. Ad refutandum vero genus universum, una species negata sufficit; ut, commiseratio non perturbat rationem, non omnis igitur animi motus rationem perturbat.

(5) Similia sunt quæcumque affectione quadam inter sese conferuntur; quorum tres sunt formæ, Inductio, Collatio, & Exemplum. De Inductione, & exemplo vide quæ diximus in Inst. Log. §. 115. sq. Collatio autem est, cum in simili ratione una res uni, par pari confertur, ut sicut se habent duo ad quatuor, ita quatuor ad octo.

(6) Hoc est, à dissimilitudine. Ita Christus Luc. 22. v. 25. sq. *Reges gentium dominantur eorum ... Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Quibus verbis innuit, Apostolos, eorumque Successores non eo modo quo Reges ethnici fastu dominabantur, debere populis præesse, sed potestatem cum humilitate tenere.

(7) A contrario argumentatur Cicero 8. Orat. Philip. » Cum inter » bellum, & pacem medium nihil sit, necesse est, tumultum, si belli » non sit, pacis esse, quo quid absurdius existimari potest? " Vide quæ de oppositis diximus. §. 665. sqq.

(8) Quintilianus adjuncta vocat circumstantias rerum, & personarum. Cicero *in partitionibus Oratoriis* adjuncta refert ad personas,

bus (1), à causis (2), ab effectis (3), à comparatione majorum, aut parium, aut minorum (4), & ab auctoritate (5). Vide Ciceronem in *Topicis*, & Quintilianum (6).

1301 Auctor Operis *de Arte cogitandi* (7) arbitratur, hujusmodi locorum tractationem esse inutilem, I. quidem quia nemo, cum de re aliqua est disputandum, cogitat de hisce locis.

1302 II. Natura ipsa, reique tractandæ diligens perpensio, & variarum veritatum præcognitio satis nos ducunt ad eas probationes, quas denique ars refert ad quædam genera locorum.

1303 III. Inutilitatis doctrinæ locorum certissimum argumentum est exiguus illius per tot sæcula usus: qui si frequentior fuisset, non inde quidpiam utilitatis manasset: cum enim ea loca

---

locos, tempora, facta, eventus, & rerum ipsarum, negotiorumque naturas. Est is locus magna ex parte oratorius, & conjecturis potissimum nititur.

(1) Antecedentia dicuntur quæcumque rem necessario præcedunt, ut, *recte accepit, ergo jure retinet.* Consequentia dicuntur quæ necessario consequuntur, ut, *non retinet jure, ergo nec recte accepit.* Repugnantia sunt illa, quæ sese mutuo evertunt, ut Cicero in Orat. *Cur autem discere turpe est, quod scire honestum?* Huc referuntur Oratorum contentiones, quas Græci ἀντιθέσεις vocant, *ut servare potui, perdere an possim rogas?* A consequentibus inferebat S. Augustinus Ep. 40. al. 9. c. 4. Petrum non recte coegisse gentes ad judaizandum, quia reprehensus fuit à Paulo.

(2) Sive *materiali.* Ita argumentatur S. Augustinus l. 20. con. Faust. c. 11. „Si (Christus) corpus non habuit, non est crucifixus: si autem „habuit, quære unde habuerit, cum omnia corpora ex tenebrarum „gente esse dicatis.“ Sive *formali.* Vide eumdem August. l. 1. de Gen. con. Manich. c. 17. ubi eorum calumniam depellit, quod Catholici Deum corporeum facerent. Sive *efficiente.* Adeatur S. Aug. l. de nat. & grat. c. 7. sqq. ubi de transfusione peccati originalis, deque justificatione agit. Sive *finali*, ut 1. Cor. 3. v. 23. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.*

(3) Apostolus Rom. 1. gentiles Philosophos arguit, qui cum ex creatione mundi, & operibus Deum cognovissent, non tamen ut Deum honoraverunt.

(4) Veluti cum dicitur 1. Joan. 4. v. 20. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Et Rom. 8. v. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

(5) Vide quæ diximus §. 932. sqq. & 970. sqq.

(6) l. 5. c. 10. (7) part. 3. c. 17.

communia sint, mentem fœcundiorem non reddunt ad eruendum proprias, & naturales, sed tantummodo ad abundantiam sermonum, qui mentem solidam non faciunt.

Propositio. *Valde utilis est locorum usus.*

1304 Prob. Philosophi est, rerum, de quibus disputationes instituuntur, rationem invenire. Atqui tunc facilius rationes inveniuntur, cum certos quærendi locos noverimus, quibus res ipsæ continentur: quare hi ad disserendum promptius accedunt, qui locorum doctrinam compertam habent. Ut igitur noverimus res, de quibus disputamus, noscere debemus locos, unde argumenta desumuntur. Est igitur valde utilis, ac plane etiam necessarius locorum usus (1).

1305 Ad primum respondemus, argumentum illud, si quid valeret, probare etiam inutilitatem Grammaticæ, Rhethoricæ, Poeticæ, Dialecticæ universæ, imo omnium ferme Artium. Quis enim latine, aut oratorie loquens: quis carmina canens: quis propositiones, & syllogismos conficiens &c. actu reflexo considerat earum disciplinarum regulas? quas tamen nisi didicisset, sibique familiares usu reddidisset, recte agere numquam posset. Idipsum dicimus de usu locorum.

1306 Ad secundum respondemus, arte juvari naturam: quodque nonnisi magna difficultate per naturam facere licet, id per artem fit promptius, atque facilius.

1307 Ad tertium negamus, exiguum fuisse præteritis sæculis locorum usum; nam si libri consulantur non modo Philosophorum, sed & Oratorum, & Caussidicorum, perpetuus locorum usus in illis deprehendetur. Etsi vero ii loci communes sint, peculiares evadunt, cum rei de qua agitur, applicantur; adeoque non ad unam sermonum abundantiam conferunt, sed mentem etiam & fœcundam, & solidam reddunt.

---

(1) Hoc nomine Cicero. *in Topicis* Dialecticam Aristotelis Stoicæ præfert: « Cum omnis *inquit*; ratio diligens disserendi duas habeat » partes, unam inveniendi, alteram judicandi, utriusque princeps, ut » mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elabora» verunt; judicandi enim vias diligenter persequuti sunt; inveniendi ve» ro artem, quæ topice dicitur, quæ ad usum potior erat & ordine » naturæ certe prior, totam reliquerunt. Nos autem quoniam in utra» que summa utilitas est &c."

ARTICULUS III.

Utrum certæ sint disputandi leges.

1308 Videtur negandum I. quia de instituenda, moderandaque disputatione non melius quam usu, & experientia præcipitur.

1309 II. Ad recte disputandum sufficit nosse leges argumentationis; nam disputatio, ut supra diximus (1), est actus syllogisticus.

Propositio. *Statuuntur leges in disputatione servandæ.*

1310 Cum disputatio sit actus syllogisticus unius ad alterum, ut dictum est (2), personæ in ipsa considerantur duæ, una oppugnantis, altera respondentis. Hæ partim communibus, partim propriis legibus in disputatione regi debent.

1311 Communes leges sunt, 1. ut rem propositam, & statum quæstionis utraque accurate intelligat, ac tollatur homonymia, ne vocum, rerumque ambiguitate disputatio obscuretur, proque veritatis inquisitione futilis, ac vana altercatio producatur. 2. Utrique sollicitudo erit conveniendi in principiis: nam si in principiis dissentiant, perperam disputabunt. 3. Utraque sedato, & perspicuo sermone utetur, ab omni perturbatione liber; multoque magis ab injuriosis, & inurbanis verbis abstinebit.

1312 Jam vero proprias opponentis leges considerantes, is 1. non à propositionibus quibusdam vagis initium ducet, sed ab illis, quæ rem proxime spectant, ne inutiliter tempus teratur. 2. Cavebit à syllogismis implicatis, & ab usu Dilemmatum, quorum utraque pars potest ab adversario negari: syllogismos autem absolvet brevibus, & frequentius adhibebit enthymemata, ut disputatio gratior evadat. 3. Abstinebit ab argumentis, quæ plus probant, quam ipse contendat: nec impugnet id quod respondens non negat: neque adsumat tamquam dictum, quod ille non dixit (3): nec concludat id, quod quamquam con-

(1) §. 1292.
(2) ib.
(3) Id S. Augustinus reprehendit in Juliano l. 3. con. eund. c. 7.

cedatur, respondentem non ferit (1) 4. in argumentationis prosequutione, eumdem medium terminum conservabit, hoc est, primum illum medium, sive argumentum, quod ab initio adsumpsit, in argumentationis progressu retinebit. 5. Argumentatione indirecta uti poterit non quidem ad ostendendam falsitatem propositionis quam respondens defendit; sed ut ostendat, respondentem sibi ipsi contradicere (2). 6. denique abstinebit ab argumentis ab invidia, cujusmodi tamen illa non sunt, quibus fraudes, & errores hæreticorum, & impiorum hominum deteguntur (3).

1313 Respondentis autem partes erunt, 1. ut argumenti vi bene perspecta, respondeat, vel concedendo, vel distinguendo propositiones; aliquando illas poterit permittere, si videlicet vel de earum veritate, aut falsitate non constat; vel ex iis nihil ab opponente concludi potest, etiamsi concedantur. 2. Ad respondentem non pertinet probare quod negat; debet tamen responsiones dare solidis rationibus innixas. 3. Non sufficit pro argumenti solutione absurdum adferre quod sequeretur: nam ut vulgo dicitur, *adducere inconveniens, non est solvere argumentum.* 4. Nec sufficit proferre rationes, quibus nititur propositio impugnata, si rationes illæ vim argumenti non infirmant. 5. Nec etiam sufficit difficultati objectæ aliam difficultatem objicere; aut ab una quæstione ad aliam transire; aut respondere quibusdam propositionibus generalibus, veluti, si respondens diceret, *non omnia possumus intelligere, multa sunt nobis occulta* &c. 6. Tandem is qui propugnat, abstinebit ab illis doctrinis, quæ ad argumenti solutionem non pertinent (4).

1314 Quemadmodum autem opponenti licet aliquando propositiones occultare, non ut decipiat (quod proprium est sophistæ) sed ut veram responsionem eliciat (5); ita respondenti quandoque permittuntur quidam elabendi modi ad hominem com-

(1) Vide eund. S. August. ib.

(2) Wolf. Log. §. 1029.

(3) Immerito Clericus reprehendit S. Hieronymum, quod Vigilantio invidiam crearit,: nam Hieronymus hæretici hominis errores refellit.

(4) Hoc vitium S. Hieronymus in Epist. ad Oceanum, *Pisonianum* appellat, quod Piso, cum loqui vix posset ob linguæ balbutiem, tacere nesciret. Eodem vitio sæpe peccant hæretici. Vide S. August. l. 3. con. Petilian. c. 29.

(5) Confer S. Hieronym. in Apol. pro lib. adv. Jovinian.

pescendum magis, quam ad rem decidendam idonei, scilicet vel regerendo argumentum in adversarium, vel extenuando rationem quæ adfertur.

1315 Ad primum dicimus, experientiam præceptis munitam, certiorem, & faciliorem esse.

1316 Ad secundum negamus, solas argumentationis leges sufficere ad recte disputandum.

FINIS TOMI PRIMI.

IN-

INDEX

PRIMÆ PARTIS

SUMMÆ PHILOSOPHICÆ.

Prologus . . . . . Pag. 1.
Institutiones Logicæ . . . . . 3.
Pars I. De Terminis . . . . . Ib.
Cap. I. Complectens definitiones, & divisiones terminorum. Ib.
Cap. II. De Nomine, Verbo, & Oratione . . . . . 9.
Pars II. De Propositione . . . . . 13.
Cap. I. Quid sit propositio . . . . . Ib.
Cap. II. De divisione propositionis ratione materiæ . . . . 15.
Cap. III. De divisione propositionis ratione formæ . . . . 16.
Cap. IV. De divisione propositionis ratione quantitatis . . . 17.
Cap. V. De divisione propositionis ratione qualitatis . . . . . 20.
Cap. VI. De propositione simplici, & composita . . . . . 21.
Cap. VII. De propositionibus incidentibus, & exponibilibus. 24.
Cap. VIII. De quibusdam propositionibus usu receptis apud Philosophos, & Geometras . . . . . 27.
Cap. IX. De Proprietatibus propositionum, & primum de suppositione . . . . . Ib.
Cap. X. De Appellatione . . . . . 30.
Cap. XI. De Ampliatione, Restrictione, & Alienatione . . 32.
Cap. XII. De Propositionum oppositione . . . . . 33.
Cap. XIII. De Propositionum æquipollentia, & conversione. 36.
Pars III. De Argumentatione, & reliquis sciendi modis . . 38.
Cap. I. De Definitione . . . . . Ib.
Cap. II. De Divisione . . . . . 42.
Cap. III. De Argumentatione . . . . . 43.
Cap. IV. De multiplici argumentationis specie . . . . . 44.
Cap. V. De Syllogismorum divisionibus . . . . . 49.
Cap. VI. De generalibus Legibus Argumentationis . . . . 51.
Cap. VII. De Figuris syllogismorum . . . . . 53.
Cap. VIII. De modis syllogismorum . . . . . 56.

QUÆSTIO PRIMA.

De Philosophia generatim.

ARTICULI.

I. Utrum Philosophia sit. . . . . 58.
Prop. I. Existit Philosophia : *II.* Est tamen in nobis valde imperfecta. . . . . 59.
II. Utrum Philosophia recte dividatur in Logicam, Physicam, Ethicam, & Metaphysicam. . . . . 62.
Prop. Philosophia recte dividitur in quatuor partes enumeratas. . . . . Ib.
III. Utrum Philosophia infusa fuerit Adamo . . . . . 64.
Prop. Adamo statim à creatione infusa fuit à Deo Philosophia plene, cumulateque perfecta. . . . . 65.
IV. Utrum Philosophiæ propagatio tribuenda sit Philosophis Græcorum . . . . . 67.
Prop. Philosophia à prima mundi ætate ad hæc nostra tempora constanter propagata fuit, magna tamen vicissitudine. . . . . Ib.
V. Utrum veteres philosophi, præsertim Græci, aliquid acceperint à sacro revelationis fonte. . . . . 83.
Prop. Veteres Philosophi, præsertim Plato, magnam doctrinæ suæ partem, in iis præsertim quæ ad Religionem naturalem, & ad mores pertinent, è sacro Revelationis fonte acceperunt. . . . . 84.
VI. Utrum utile sit Philosophiam addiscere . . . . . 89.
Prop. Philosophia utilis est homini : *I.* qua homo: *II.* qua Civis : *III.* qua Christianus Catholicus est. 90.
VII. Utrum viro philosopho expediat vagari per omnes Sectas. . . . . 92.
Prop. I. Philosophiæ auditoribus maxime expedit uni adhærere sectæ. *II.* Neque id obest libertati philosophandi . . . . . Ib.
VIII. Utrum expediat, in rebus philosophicis uti S. Thoma Aquinate Magistro. . . . . 99.
Prop. Maxime expedit, in rebus Philosophicis uti S. Thoma Magistro. . . . . Ib.
IX. Utrum in tradendis disciplinis Philosophicis conveniens sit ordo à S. Thoma constitutus . . . . . 118.
Prop. Congruus addiscendæ Philosophiæ ordo est,

ut 1. Logica : 2. Mathematicæ puræ : 3. Physicæ, & Physico-mathematicæ : 4. Ethica : 5. Metaphysica tradantur . . . . . Ib.

X. Utrum in Philosophicis disciplinis sit una, & eadem certitudo . . . . . 122.

Prop. Ratio omnino certa, quæ est in puris Mathematicis, quærenda non est in omnibus rebus, de quibus agitur in cæteris disciplinis philosophicis. . Ib.

QUÆSTIO II.

De Logica generatim . . . . . 125.

I. Utrum præter Logicam naturalem detur Logica artificialis. . . . . 126.

Prop. Præter Logicam naturalem existit Logica artificialis. . . . . 127.

II. Utrum ars Logica necessaria sit ad alias scientias comparandas . . . . . 129.

Prop. I. Ars Logica necessaria est ad comparandas scientias in statu, ut inquiunt, perfecto : *II.* non autem imperfecto. . . . . Ib.

III. Quodnam sit Logicæ objectum . . . . . 134.

Prop. Ordo, quem ratio ponit in propriis conceptibus, est objectum formale, sive subjectum Logicæ . . . . . 135.

IV. Utrum Logicæ divisio accipienda sit ex diversitate actuum rationis . . . . . 137.

Prop. Partes Logicæ accipiendæ sunt ex diversitate actuum rationis . . . . . Ib.

V. Utrum Logica sit scientia . . . . . 142.

Prop. I. Logica in qualibet parte vere scientia est. *II.* Habet tamen similitudinem quandam cum arte. 144.

VI. Utrum Logica sit scientia theoretica, vel practica. . 146.

Prop. I. Logica non est simul theoretica, & practica. *II.* Sed theoretica duntaxat. *III.* Habet tamen quamdam similitudinem cum scientiis practicis. . . . . Ib.

QUÆSTIO III.

De Perceptione.

I. Utrum perceptio sit motio corporalis organorum sensoriorum, & cerebri. . . . . 148.

Prop. Perceptio esse non potest motio corporalis organorum sensoriorum, & cerebri. . . . . 150.
II. Utrum materiæ partes ita disponi possint, ut fiant percipiendi, sive cogitandi capaces. . . . . 152.
Prop. Repugnat, partes materiæ ita disponi, ut fiant percipiendi capaces. . . . . 153.
III. Utrum perceptio distinguatur à sensatione. . . . . 159.
Prop. Sensationes non possunt in mentis perceptione consistere. . . . . 162.
IV. Utrum perceptio sit actio, vel passio. . . . . 167.
Prop. Perceptio est vera mentis actio. . . . . 168.

QUÆSTIO IV.

De existentia, & distinctione Idearum. . . . . 169.

I. Utrum ideæ existant. . . . . 170.
Prop. Existunt ideæ : *I.* cum impressæ : *II.* tum expressæ . . . . . 171.
II. Utrum ideæ intellectuales distinguantur à perceptionibus. . . . . 174.
Prop. Ideæ intellectuales à perceptionibus reipsa distinguuntur. . . . . 175.
III. Utrum ideæ impressæ distinguantur ab expressis. . 180.
Prop. Ideæ impressæ distinguuntur ab expressis. . . Ib.

QUÆSTIO V.

De Idearum Origine . . . . . 181.

I. Utrum ideæ intellectuales sint corporum effluxiones. 182.
Prop. Ideæ intellectuales nequeunt esse corporum effusiones. . . . . 183.
II. Utrum ideæ intellectuales sint modificationes materiæ . . . . . 184.
Prop. Ideæ intellectuales esse non possunt modificationes materiæ. . . . . 185.
III. Utrum ideæ sint formæ separatæ. . . . . 189.
Prop. Nullæ possunt esse ideæ per se existentes, à Deo, & à rebus separatæ. . . . . 190.
IV. Utrum Plato admiserit ideas per se existentes, à Deo, & à rebus separatas. . . . . 192.
Prop. Plato ideas, sive naturas quasdam admisit per

se subsistentes, à Deo, & à rebus separatas. . . . 193.
V. Utrum ideæ intellectuales menti sint concreatæ, sive, ut ajunt, innatæ. . . . . 194.
Prop. I. Nullæ in nobis extant ideæ intellectuales nobiscum creatæ. *II.* Neque ullas in nobis Deus producit, cum illis indigemus. . . . . 195.
VI. Utrum idea Dei sit nobiscum creata. . . . . 203.
Prop. Idea Dei, quam in hac vita habemus, non est nobiscum creata, sed à rebus sensibilius accepta . . . . . 204.
VII. Expenditur Malebrancii systema de idearum origine. 215.
Prop. I. Repugnat, mentem humanam naturaliter Deum cognoscere immediate per seipsum: *II.* alia vero in Deo videre. . . . . 217.
VIII. Utrum omnia cognoscamus in idea totius universi . . 224.
Prop. Fictitium, & absurdum est systema Leibnitianum de anima res cognoscente in idea universi. 227.
IX. Utrum mens sibi ideas formet, ut recentioribus placet . . . . . 234.
Prop. Ideæ non formantur à mente ad præsentiam rerum sensibilium. . . . . 235.
X. Utrum Gassendus, & Lockius recte explicarint originem idearum? . . . . . 237.
Prop. Mens nullo modo potest res immediate percipere in imagine corporea phantasiæ, neque in cerebro tamquam in sensorio . . . . . 240.
XI. Utrum origo idearum recte explicetur à S. Thoma. 241.
Prop. Exposita sententia S. Thomæ recte explicat originem idearum. . . . . 243.

QUÆSTIO VI.

De universalitate idearum generatim . . . . . 252.

I. Utrum præter voces, & conceptus dentur etiam naturæ universales illis respondentes . . . . . 254.
Prop. Præter voces, & conceptus dantur etiam naturæ universales illis respondentes . . . . . Ib.
II. Utrum naturæ sint universales ante omnem intellectus operationem . . . . . 257.
Prop. Nulla natura est formaliter universalis ante intellectus operationem. . . . . 258.
III. Utrum universalia abstractione fiant. . . . . 261.

Prop. I. Universalia non agregatione, sed abstractione fiunt. *II.* Ita tamen, ut universalia in essendo abstractione tantum. *III.* Universalia in prædicando simplici comparatione fiant. . . . . 264.
IV. Utrum universalia sint perpetua. . . . . 268.
Prop. Essentiæ, sive naturæ universales sunt perpetuæ negative. . . . . Ib.
V. Utrum universalia sint notiora singularibus. . . . . 270.
Prop. I. Singularia quoad nos sunt notiora universalibus cognitione sensitiva. *II.* Universalia vero quoad nos sunt notiora singularibus cognitione intellectiva . . . . . 271.

QUÆSTIO VII.

De universalibus speciatim . . . . . 272.
I. Utrum universale recte dividatur in quinque Prædicabilia . . . . . 273.
Prop. Universale logicum recte dividitur in quinque prædicabilia . . . . . 277.
II. Utrum genus, & differentia oriantur ex diversis principiis . . . . . 278.
Prop. I. In substantiis creatis genus, & differentia proxime accipiuntur ex tota rei entitate. *II.* In substantiis corporeis genus remote sumitur à materia, differentia à forma. *III.* In accidentibus genus sumitur ex modo essendi, differentia ex diversitate principiorum . . . . . 279.
III. Utrum componi ex genere, & differentia sit proprium rerum creatarum . . . . . 281.
Prop. Componi ex genere, & differentia ita est proprium rerum creatarum, ut nullo modo attribui possit Enti increato . . . . . Ib.
IV. Utrum genus contineat differentias specierum in suo conceptu . . . . . 287.
Prop. I. Differentiæ specierum non actu : *II.* sed potestate continentur in conceptu generis . . . . . Ib.
V. Utrum genus, & differentia comparentur ad speciem tamquam partes . . . . . 289.
Prop. I. Genus, & differentia comparantur ad speciem tamquam totum : *II.* Sed neutrum significat totum quod est in specie . . . . . Ib.

VI. Utrum genus, differentia, & species reciprocentur. 290.
Prop. I. Genus & differentia si conjunctim accipiantur, reciprocantur cum specie: *II.* Non reciprocantur autem neque genus cum differentia: *III.* neque differentia cum specie: *IV.* neque species cum genere . . . . . 291.
VII. Utrum dari possit genus, cujus unica tantum species sit possibilis. . . . . 292.
Prop. Fieri non potest, ut detur genus, cujus unica tantum species sit possibilis. . . . . Ib.
VIII. Utrum dari possit species, cujus unicum sit possibile individuum . . . . . 293.
Prop. Dari potest species, etsi unicum sit possibile individuum . . . . . Ib.

QUÆSTIO VIII.

De Ideis simplicibus, & compositis. . . . . . 294.

I. Utrum simplicitas, & compositio idearum recte explicetur à junioribus Philosophis. . . . . 295.
Prop. Simplicitas idearum non recte explicatur: *I.* neque per carentiam compositionis: *II.* neque per carentiam affirmationis, aut negationis. . . . . 296.
II. Utrum simplicitas, & compositio idearum recte explicetur à S. Thoma. . . . . 299.
Prop. I. Simplex est idea, quæ unicam: *II.* composita, quæ multiplicem repræsentat essentiam. . . . 300.
III. Utrum ideæ associatæ defferant à compositis. Et qua ratione fiant associatæ. . . . . 301.
Prop. I. Ideæ associatæ differunt à compositis. *II.* Fiunt autem associatæ per simplicem dumtaxat perceptionem: *III.* Compositæ vero etiam per judicium, & ratiocinationem . . . . . 302.

QUÆSTIO IX.

De Ideis abstractis, & concretis . . . . . 305.

I. Utrum abstracta de concretis, vel concreta de abstractis prædicari possint. . . . . 306.
Prop. In creatis neque abstracta de concretis, neque concreta de abstractis prædicari possunt . . . . . 307.

II. Utrum abstracta prædicari possint de abstractis . . . 311.
Prop. I. In accidentibus abstracta de abstractis prædicari possunt : *II.* secus in substantiis. . . . . Ib.

QUÆSTIO X.

De ideis completis, & incompletis. . . . . . 313.

I. Utrum ideæ accidentium, sive modorum sint completæ . . . . . 315.
Prop. Ideæ accidentium, sive modorum sunt omnes incompletæ . . . . . 316.
II. Utrum ideæ substantiarum sint completæ . . . . . 319.
Prop. I. Omnis idea substantiæ, quæ totam repræsentat essentiam substantiæ in concreto, completa est : *II.* incompleta vero, quæ partem essentiæ substantiæ : *III.* vel ipsam essentiam in abstracto repræsentat. . . . . Ib.

QUÆSTIO XI.

De Univocis, Æquivocis, Analogis, & Denominativis. . 320.

I. Utrum multiplex sit Analogia. . . . . 321.
Prop. Duplex est analogia, proportionis, & proportionalitatis. . . . . 323.
II. Utrum aliqua sit analogiæ utilitas. . . . . 334.
Prop. Analogia magnæ, solidæque est utilitatis. . . . 325.
III. Utrum quinque universalia sint univoca. . . . . 328.
Prop. Quinque universalia sunt univoca ad sua inferiora. . . . . Ib.
IV. Utrum ens sit analogum. . . . . 329.
Prop. I. Notio entis non est univoca : *II.* sed est tantum analogice communis Deo, & creaturis : *III.* necnon substantiæ & accidentibus. . . . . 330.
V. Utrum accidens ad sua inferiora sit univocum . . . 332.
Prop. Accidens analogum est ad genera accidentium. 333.
VI. Utrum omnis denominatio sit à forma. . . . . Ib.
Prop. Quælibet denominatio vel est à forma, vel ab aliquo se habente ad modum formæ. . . . . 334.

QUÆSTIO XII.

De idearum seriebus, sive de Categoriis. . . . . . 335.

I. Utrum Categoriæ sufficienter enumerentur. . . . . 336.
Prop. Absolutus est denarius Categoriarum numerus . . . . . 337.
II. Utrum Categoriæ à Peripateticis sint recte ordinatæ. . 341.
Prop. Decem categoriæ recte à Peripateticis sunt ordinatæ. . . . . 342.
De Substantia . . . . . Ib.
De Quantitate. . . . . 344.
De Relatione . . . . . 345.
De Qualitate . . . . . 348.
De Actione, & Passione. . . . . 350.
De Reliquis Categoriis . . . . . 351.

QUÆSTIO XIII.

De Hypotheoriis. . . . . . 353.

I. Utrum oppositionis divisio sit adæquata . . . . . 354.
Prop. Divisio tradita oppositionis sufficiens est, & adæquata . . . . . 355.
II. Utrum in iis quæ sunt simul, unum possit esse altero prius. . . . . 356.
Prop. I. Fieri non potest, ut in iis quæ sunt simul, unum sit altero prius in eodem genere simultatis, & prioritatis: *II.* Bene vero in diverso genere. . . 358.

QUÆSTIO XIV.

De ideis modorum . . . . . 359.

I. Utrum modi distinguantur á re, cujus sunt modi. . Ib.
Prop. I. Modi intrinseci positivi absoluti distinguuntur à re cujus sunt modi: *II.* Modi negativi nihil rei addunt præter negationem: *III.* Modi extrinseci nihil ponunt in re, sed circa rem: *IV.* Denique modi respectivi sunt aliquid distinctum á re, si in ipsa rei natura non includantur . . . . . 361.
II. Utrum modi distinguantur ab accidentibus. . . . . 562.

Prop. Modi intrinseci tam absoluti, quam respectivi, ab accidentibus absolutis, & respectivis distinguuntur . . . . . Ib.

II. Utrum modi habendi revocentur ad genus qualitatis. 363.

Prop. Modi habendi ad diversa genera pertinent. . . Ib.

QUÆSTIO XV.

De Ideis claris, & obscuris, distinctis, & confusis. . . 364.

I. Utrum omnis idea clara, sit etiam distincta. . . . . 365.

Prop. I. Potest esse idea clara, quin sit distincta : *II.* Non potest ulla esse distincta, quin sit item clara . . . . . 366.

II. Utrum aliquæ sint causæ obscuritatis, & confusionis idearum. . . . . 368.

Prop. Duplex est causa obscuritatis, & confusionis idearum nostrarum : 1. intrinseca, scilicet, imbecillitas mentis nostræ, & luminis intellectualis : 2. extrinseca, videlicet, imperfectio sensuum, & minus accurata applicatio objectorum . . . . . 369.

III. Utrum aliqua sint remedia, quibus tolli possint obscuritas, & confusio idearum. . . . . 371.

Prop. Obscuritas, & confusio idearum per definitiones, & divisiones auferuntur. . . . . 373.

QUÆSTIO XVI.

De Ideis abstractivis, & intuitivis.

I. Utrum notitia intuitiva differat ab abstractiva. . . . . 374.

Prop. I. Notitiæ intuitiva, & abstractiva reipsa differunt : *II.* Non tamen essentialiter in ratione notitiæ : *III.* nisi objectum sit diversum . . . . . 375.

II. Utrum notitiæ intuitiva, & abstractiva sint claræ, & distinctæ . . . . . 376.

Prop. I. Omnis notitia intuitiva clara est, & distincta : *II.* Notitia autem abstractiva numquam est distincta : *III.* Potest tamen esse clara quoad existentiam objecti. . . . . Ib.

QUÆSTIO XVII.

De Veritate, & Falsitate idearum . . . . . 377.

I. Utrum veritas. & falsitas sint in intellectu simpliciter percipiente . . . . . Ib.
Prop. I. Veritas potest esse in intellectu simpliciter percipiente, ut in quadam re vera : *II* non autem ut cognitum in cognoscente : *III.* Falsitas vero per se quidem potest esse solum in intellectu componente, & dividente : *IV.* per accidens autem in intellectu simpliciter percipiente. . . . . 378.
II. Utrum veritas, & falsitas sint in sensibus. . . . . 382.
Prop. I. In sensibus ad mentem comparatis numquam est falsitas, nisi tantum occasionaliter : *II.* Sensus autem ad res comparati, non falluntur circa propria sensibilia, modo sint recte dispositi : *III.* Nihilominus falli possunt circa sensibilia communia, & per accidens, quamvis sint recte dispositi . . . . . 384.

QUÆSTIO XVIII.

De Signis idearum, sive de Vocabulis secundum se. . . 386.

I. Utrum significatio vocabulorum sit à natura . . . . 387.
Prop. Vocabula naturaliter non significant. . . . . 388.
II. Utrum conceptus rerum differant à conceptibus vocum. . . . . 389.
Prop. Conceptus vocum significantium differunt à conceptibus rerum, quas significant. . . . . 390.
III. Utrum aliquando homines sine articulati sermonis usu extiterint . . . . . 391.
Prop. Nullo umquam tempore homines plerique omnes extitere sine articulati sermonis usu. . . . . 396.
IV. Utrum primitiva hominis lingua fuerit Hebraica. . . 399.
Prop. Lingua Hebræa fuit primitiva hominis lingua. 400.
V. Utrum ante Babelicam confusionem fuerit unus omnium hominum sermo . . . . . 402.
Prop. Ante Babelicam confusionem unius fuit omnium hominum sermo. . . . . 403.
VI. Utrum humana industria fieri possit, ut omnes homines in uno eodemque sermone conveniant . . . . 407.

Prop. I. Possibile absolute est, ut omnes homines ad unicum sermonem redigantur : *II.* Sed numquam id erit futurum humana industria. . . . . Ib.

QUÆSTIO XIX.

De imperfectione Vocabulorum . . . . . 410.

I. Utrum vocabula perfecte significent. . . . . 411.
Prop. I. Vocabula perfecte significant, si determinate exprimant non solum conceptiones intellectus, sed etiam res ipsas conceptas : *II.* Sin minus significant imperfecte. . . . . Ib.
II. Utrum recte assignentur causæ imperfectionis vocabulorum. . . . . 412.
Prop. Omnis imperfectio vocabulorum in æquivocatione posita est. . . . . 413.
III. Utrum adhiberi possit remedium imperfectioni vocabulorum. . . . . 417.
Prop. Definitio nominis est remedium imperfectionis vocabulorum . . . . . Ib.

QUÆSTIO XX.

De usu, & abusu vocabulorum.

I. Utrum significatio vocabulorum accipienda sit ab eo quod communiter homines intendunt . . . . . 420.
Prop. In civili societate, & in omni facultate vocabulis est utendum, quibus homines ejusdem societatis, & facultatis communiter utuntur . . . . . 421.
II. Utrum determinati sint vocabulorum abusus . . . . . 423.
Prop. Ii vocabulis abutuntur, qui ab ejusdem societatis, aut facultatis hominibus communiter determinato usu recedunt. . . . . 428.
III. Utrum aliqua sint remedia contra vocabulorum abusus . . . . . 430.
Prop. Unicum est remedium contra vocabulorum abusum, determinare eorum significationem ex communiter recepto vocabulorum usu. . . . . Ib.

QUÆSTIO XXI.

De natura Judicii . . . . . Ib.

I. Utrum judicium sit actus intellectus. . . . . 433.
Prop. I. Judicium elicitive est ab intellectu : *II.* Applicative à voluntate . . . . . Ib.
II. Utrum judicium sit simplex mentis actus. . . . . 435.
Prop. Judicium est simplex mentis actus. . . . . Ib.

QUÆSTIO XXII.

De judiciorum defectibus.

I. Utrum defectus judiciorum habeant causam in sensibus . . . . . 436.
Prop. Sensus possunt esse causæ occasionales defectuum judiciorum nostrorum. . . . . 437.
II. Utrum defectus judiciorum habeant causam in ipsa mente. . . . . 439.
Prop. Defectus judiciorum nostrorum præcipue oriuntur ex parte intellectus nostri. . . . . 440.
III. Utrum defectus judiciorum oriantur ex voluntate. . 443.
Prop. Defectus nostrorum judiciorum oriri etiam possunt ex voluntate . . . . . Ib.
IV. Utrum defectus judiciorum oriantur ex affectibus. . . 445.
Prop. Affectus appetitus sensitivi, maxime cum inordinati sunt, plurimos in judiciis nostris defectus causant . . . . . 448.
V. Utrum defectus judiciorum oriantur ex corpore. . . . 452.
Prop. Defectus judiciorum oriri possunt ex corpore non immediate, sed mediate. . . . . Ib.
VI. Utrum falsitas judiciorum oriatur ex causis externis . . . . . 454.
Prop. Causæ externæ falsitatis judiciorum sunt Magistri non recte, aut non recta docentes. . . . . Ib.

QUÆSTIO XXIII.

De emendandis judiciorum defectibus.

I. Utrum ad emendandos judiciorum defectus conferat

universalis dubitatio . . . . . 457.
Prop. I. Dubitatio si de principiis per se notis instituatur, inepta est, impossibilis, & cognitioni veritatis noxia : *II.* Si de aliis propositionibus certis instituatur disputationis causa utilis est : *III.* De propositionibus autem incertis necessario est instituenda . . . . . 459.
II. Utrum aliqua sint remedia pro emendandis judiciorum defectibus. . . . . 462.
Prop. Unicum constituimus remedium defectibus judiciorum, diligens examen in rebus incertis, & obscuris . . . . . 463.

QUÆSTIO XXIV.

De Criterio veritatis. . . . . . 465.

I. Utrum in iis quæ ad Fidem pertinent, ratio humana sit legitimum criterium. . . . . 466.
Prop. I. Ratio humana in rebus Fidei nequit esse legitimum criterium : *II.* Nec potest dari aliquod philosophice verum, & Theologice falsum. . . . . 467.
II. Utrum sensus sit legitimum criterium in rebus sensibilibus. . . . . 472.
Prop. In rebus sensibilibus evidentia sensuum est criterium veritatis circa propria sensibilia ; modo sensus sint recte dispositi, & omnia impedimenta removeantur . . . . . Ib.
III. Utrum evidentia, & perspicuitas sint legitimum criterium pro rebus intelligibilibus. . . . . 473.
Prop. Evidentia intellectus est in rebus intelligibilibus legitimum veritatis criterium . . . . . 474.
IV. Utrum auctoritas humana constitui possit veritatis criterium . . . . . 475.
Prop. I. Auctoritas humana in Dogmatibus minimum valet : *II.* nisi agatur de iis quæ ab auctoritate unice pendet : *III.* vel adsit omnium, vel fere omnium consensus : *IV.* In rebus autem historicis haberi potest ut criterium veritatis : *V.* Numquam tamen excedit moralem certitudinem. . . . . 476.

QUÆSTIO XXV.

De Arte Critica. . . . . . 477.

I. Utrum ars critica utilis sit. . . . . 478.
Prop. Ars critica non solum Ecclesiæ, sed & Reipublicæ, magnæ est utilitatis . . . . . Ib.
II. Utrum ars critica quolibet sæculo culta fuerit. . . . . 480.
Prop. Quolibet Ecclesiæ sæculo egregii fuere artis criticæ cultores . . . . . Ib.
III. Utrum aliquæ sint regulæ ad dignoscendam veritatem historiæ. . . . . 498.
Prop. Statuuntur regulæ ad dignoscendam veritatem in factis historicis. . . . . Ib.
IV. Utrum libri genuini possint secerni à suppositis. . . 505.
Prop. Traduntur Canones, quibus opera genuina à suppositis discerni possunt . . . . . 506.
V. Utrum emendatio librorum fieri debeat ex Manuscriptis Codicibus . . . . . 510.
Prop. Libri integri à corruptis, & à mutilatis, aut interpolatis potissimum ope MSS. Codicum discernuntur; ex quibus proinde emendatio librorum fieri debet . . . . . 511.
VI. Utrum certæ sint regulæ ad Scriptorum libros interpretandos. . . . . 513.
Prop. Certæ sunt regulæ artis Hermeneuticæ. . . . . Ib.
Regulæ de optimo interpretandi genere in vertendis libris ex una in aliam linguam. 514
Regulæ de optimo genere interpretandi sensum Scriptorum. . . . . 515.

QUÆSTIO XXVI.

De Propositionibus.

I. Utrum una propositio possit esse altera verior . . . . 521.
Prop. Si veritas consideretur secundum rationem æqualitatis, una propositio non est altera verior. . . . . 522.
II. Utrum propositionum contradictoriarum una sit determinate vera, altera falsa. . . . . 523.
Prop. Propositionum contradictoriarum futuri contingentis neutra est determinate vera, vel falsa, nisi

dependenter à Divino Decreto. . . . . 525.

QUÆSTIO XXVII.

De Argumentatione in genere.

I. Utrum argumentari sit proprium mentis humanæ. . . 527.
Prop. Argumentari, sive discurrere, & ratiocinari ita est proprium mentis humanæ, ut nulli alteri naturæ intellectuali conveniat. . . . . 528.
II. Utrum expediat ratiocinari per syllogismos. . . . . 529.
Prop. In veritate inquirenda oportet ratiocinari per syllogismos . . . . . 530.
III. Utrum probanda sit hypothetica argumentandi ratio. . 534.
Prop. Ut ex hypothesi aliquid sufficienter probetur, necesse est, suppositionem vel esse certam, vel saltem probabilem. . . . . 535.
IV. Utrum probanda sit argumentatio ad absurdum. . . . 536.
Prop. I. Argumentatio ad absurdum utilis est: *II.* Non est tamen potior neque negativa, neque affirmativa. 538.
V. Utrum expediat argumentari ex datis. . . . . 539.
Prop. I. Argumentatio ex datis potissima est ad revincendum: *II.* infirma ad probandum. . . . . Ib.
VI. Utrum adhiberi possit argumentatio reciproca, seu circularis . . . . . 540.
Prop. I. Non licet uti argumentatione circulari in eodem genere causæ: *II.* In diverso genere causæ: *III.* & in diverso genere argumentationis licet. 541.
VII. Utrum ex veris præmissis inferri possit conclusio falsa, vel ex falsis conclusio vera . . . . . 542.
Prop. I. Ex vero non potest inferri, nisi verum: *II.* Ex falso autem per se, & directe non potest inferri, nisi falsum: *III.* indirecte tamen, & per accidens infertur aliquando verum. . . . . 543.
VIII. Utrum intellectus, præstito præmissis assensu, necessitetur ad assentiendum conclusioni. . . . . 544.
Prop I. Si præmissæ sint probabiles, vel creditæ, præstito iis assensu, oportet intellectum assentiri conclusioni vi illationis, non autem veritatis inferentis: *II.* Si autem præmissæ sint evidenter veræ necese est, intellectum, præstito eisdem assensu, assentiri conclusioni, necessitate, & quoad specificationem: *III.* & quoad exercitium. . . . . 545.

IX. Utrum assensus præmissarum influat efficienter in assensum conclusionis . . . . . 547.
Prop. Præmissæ habent rationem causæ efficientis, & activæ respectu conclusionis . . . . . 548.

QUÆSTIO XXVIII.

De Demonstratione.

I. Utrum necesse sit dari veras demonstrationes . . . . 549.
Prop. I. Necesse est dari veras demonstrationes: *II.* quibus refragari mens nullo modo potest . . . 551.
II. Utrum demonstratio recte dividatur in demonstrationem *propter quid*, & demonstrationem *quia* . . . 553.
Prop. Recta est divisio demonstrationis in demonstrationem propter quid, & demonstrationem quia. Ib.
III. Utrum demonstratio procedere debeat ex principiis primis, & immediatis . . . . . 557.
Prop. In quovis genere demonstrationis oportet procedere ex primis, & immediatis principiis, sive indemonstrabilibus in eo genere in quo est demonstratio . . . . . 559.

QUÆSTIO XXIX.

De effectu demonstrationis, scilicet, scientia.

I. Utrum sit apud nos ulla scientia? . . . . . 561.
Prop. Multa sunt omnino certa, & explorata, de quibus revera dantur scientiæ . . . . . 563.
II. Utrum scientiæ sint nobis inditæ . . . . . 565.
Prop. I. Scientiæ non sunt nobis inditæ : *II.* sed acquiruntur sive per inventionem, sive per disciplinam . . . . . 566.
III. Utrum unitas, & diversitas scientiarum accipienda sit ex principiis . . . . . 568.
Prop. I. Ad unitatem specificam scientiæ requiritur unitas subjecti, & principiorum : *II.* Ad diversitatem specificam scientiarum sufficit principiorum diversitas . . . . . Ib.
IV. Utrum una scientia sit altera dignior in ratione materiæ, de qua agit. . . . . 572.
Prop. I. In scientiis theoreticis, una est altera dig-

nior, cum in ratione materiæ, tum in ratione certitudinis: *II.* In scientiis vero practicis ea est dignior, quæ ad ultimiorem finem ordinatur . . . . . 573.

V. Utrum scientia, quæ est sub altera, veram habeat rationem scientiæ . . . . . 575.

Prop. I. Scientia quæ sub altera est, sive, ut ajunt, subalternata, veram habet rationem scientiæ, etiam sejuncta à subalternante: *II.* est tamen imperfecta quoad statum . . . . . 577.

VI. Utrum sint aliqui modi perficiendi scientias. . . . . 579.

Prop. Scientiæ perficiuntur per inventionem, & disciplinam. . . . . 580.

QUÆSTIO XXX.

De Probabilitate, Opinione, & Fide . . . . . 585.

I. Utrum probabilitas æstimari debeat ex pondere rationum . . . . . 586.

Prop. I. Probabilitas potissimum æstimanda est ex pondere rationum, non ex auctoritate sola: *II.* Expedit autem, ut accedat etiam auctoritas. . . . . 591.

II. Utrum opinio compati possit cum scientia. . . . . 593.

Prop. I. Actus opinionis nequit compati in eodem intellectu circa idem objectum cum actu scientiæ: *II.* Et similiter nec habitus opinionis cum habitu scientiæ: *III.* Potest tamen actus opinionis compati cum habitu scientiæ: *IV.* Non vero habitus opinionis cum actu scientiæ, si actus scientiæ producat habitum . . . . . 594.

III. Utrum fides compati possit cum scientia . . . . . 596.

Prop. I. Neque Actus Fidei potest esse in eodem intellectu circa idem objectum cum actu scientiæ: *II.* Neque habitus Fidei cum habitu scientiæ: *III.* Potest tamen compati actus Fidei cum habitu scientiæ: *IV.* Et actus scientiæ cum habitu Fidei, si actus scientiæ non generet habitum. . . Ib.

QUÆSTIO XXXI.

De Fallaciis . . . . . 599.

I. Utrum recte enumerentur sex loci sophistici in dic-

tione . . . . . 600.
Prop. Recta est enumeratio instituta sex locorum sophisticorum in dictione . . . . . 605.
II. Utrum septem enumerentur fallaciæ extra dictionem. 609.
Prop. Fallaciæ extra dictionem sufficienter sunt enumeratæ . . . . . 618.

QUÆSTIO XXXII.

De Methodo universim . . . . . 619.
I. Utrum in scientiis adhibenda sit methodus analitica, vel synthetica. . . . . 620.
Prop. I. In scientiis theoreticis, via acquisitionis, vel inventionis adhibenda est synthesis quoad veritates inferendas: *II.* Et analysis quoad principia: *III.* Via autem ferendi judicii, adhibenda est analysis: *IV.* In scientiis vero practicis necesse est synthesim adhibere. 621.
II. Utrum in scientiis adhibenda sit methodus mathematica. 623.
Prop. Perfecta, & absoluta methodus mathematica in aliis scientiis adhiberi non potest . . . . . 624.
III. Utrum certæ sint regulæ in methodo servandæ . . . . 627.
Prop. Statuuntur regulæ methodi cum syntheticæ, tum analyticæ . . . . . 629.

QUÆSTIO XXXIII.

De Methodo docendi . . . . . 631.
I. Utrum methodus scholastica sit aptior ad docendum . Ib.
Prop. Methodus scholastica aptior est ad docendum. . 632.
II. Utrum utilius sit docere scriptis, quam voce . . . . 635.
Prop. Mos docendi voce longe est utilior more dictandi scripta . . . . . 636.

QUÆSTIO XXXIV.

De Methodo addiscendi. . . . . . 638.
I. Utrum ad proficiendum in studiis certa servanda sit methodus . . . . . 639.
Prop. Ut quis in studiis progressus faciat, ita debet ordine discere, ut præcedant quæ lumen sequentibus

præbeant . . . . . 640.


QUÆSTIO XXXV.


De Methodo disputandi. . . . . . 641.

I. Utrum utile sit disputationes instituere. . . . . 642.
Prop. Utiliter disputationes instituuntur, modo non sint sophisticæ . . . . . Ib.
II. Utrum utiles sint fontes communes, sive loci, ex quibus argumenta ad disputandum accipiuntur. . . . . 644.
Prop. Valde utilis est locorum usus. . . . . 647.
III. Utrum certæ sint disputandi leges . . . . . 648.
Prop. Statuuntur leges in disputatione servandæ . . Ib.

Biblioteca Pública de Valladolid

72007083 BPA 1610 (V.1)





ROSELLI
PHILOSOFI.

I.

BPA
1610